LV.
C.
39.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LV
C
39
NAPOLI

RERUM NUPER IN REGNO SCOTIÆ GESTARUM HISTORIA,

Seu verius Commentarius,

Cauſas, occaſiones, progreſſus horum motuum breviter & perſpicuè proponens, ſimul cum ſynopſi concordiæ, quantum hactenus inita eſt.

Excerptus ex ſcriptis utriuſque partis ſcitu digniſſimis, quorum primaria in Latinum ſermonem nunc primum fideliter tranſlata inſeruntur.

Addita eſt Eccleſiæ Scotiæ ad Helveticas reformatas Epiſtola, quâ compendio res tota perſpectivè exhibetur.

Per

IRINÆUM PHILALETHEN, ELEUTHERIUM.

DANTISCI.

Anno Domini cIↃ.IↃ.C.XLI.

Chriſtiano & veritatis ſtudioſo Lectori. S. P.

Prodiit non ita pridem in lucem brevis narratio motuum præſentium Scoticorum, deducta ad Kalend. Octobris anni trigeſimi octavi poſt milleſimum ſexcenteſimum: quæ cum obviis multorum ulnis acciperetur & fidem datam efflagitarent importunius: viſum fuit eorundem motuum deſcriptionem continuare, quantum ex ſcriptis utriuſque partis ſcitu digniſſimis colligi poſſet: ut exteris rerum harum cognitione certa flagrantibus conſuleretur quorum aures dubiis & vagis rumoribus pro relatorum indole hactenus repletæ fuerunt. Quæ in ſubitarium hoc σχεδίασμα relata ſunt, amicis per modum epiſtolarum, obvio & ſponte nato dicendi genere expedita, primitus deſtinabantur, quorum ſtudio publici juris nunc fiunt. Rudes commentarios, συλλογὴν, aut collectanea, non vero juſtam hiſtoriam conſcribere authori inſtitutum unquam fuerat; neque alio quam commentarioli titulo ſucciſivam hanc operam dignam judicavit, quicquid typographo & amicis contra viſum ſit, quorum culpam præſtare non tenetur, ſi opus lemmatis dignitati uſque quaque non reſpondeat.

Quin conatus hic diverſa hominum judicia ſubiturus ſit, ac plures fortaſſe judices & cenſores quam lectores inveniet, vix dubitandum erit: aliis nimiam feſtinationem & tantum non abortum incerto adhuc

eſſe differentibus, donec ſublatis temporum impedimentis graviſſimis prodirent peritiores, qui argumentum hoc ampliſſimum copioſius & fœlicius tractarent, rerumque quæ noſtris temporibus mirabiliter pæne, certe non ſine conſpicuâ Dei manu, contigerunt, memoriam poſteritati conſecrarent, ſtylo materiam æquante. Eadem & nobis olim mens; & hodie fuiſſet; niſi conſtaret, conatu hoc fœlicioribus illis ingeniis accuratioris hiſtoriæ laudem non præreptam eſſe, ſubjectam materiam tanquam in ſylvam hic colligi, & forte excitari poſſe alios qui Spartam hanc pro rei dignitate exornabunt. Sed neque operi huic manum admoviſſet author ſi per alios quieſcere licuiſſet, qui omnem operam & ſtudium in eo collocare videntur, ut bonorum animos præjudiciis præoccuparent, atque ut illud aſſequerentur, orbi Chriſtiano perſuaſum eunt, eos quibus nihil aliud unquam propoſitum fuit, quam privilegia à majoribus ſuis ab omni ævo tranſmiſſa vindicare, ac religionis puritatem frequentiſſimis & expreſſis ampliſſimorum regni ordinum ſtatutis ſancitam, à cœno putidarum traditionum & ipſo Antichriſtianiſmi nucleo aſſerere, idque ex vi fœderis ſolemnis cum Deo olim initi; hos, inquam, ſi vel ad inculpatam ſuam tutelam contra apertam vim aliis omnibus modis ſæpius fruſtra tentatis pertrahantur, immani & nunquam ſatis damnanda rebellione authoritatis regiæ jugulum ipſum petere, optimi ſui regis jugum excutere, ab eccleſiis aliis omnibus divortium petulanter facere, religionem reformatam conculcare & hoſti ludibriis & ſannis exponere, pontificiis ludos facere, ſeditionem movere, Ieſuitiſmum

recoctum

recoctum, reponere, Deo denique & hominibus bellum indicere. Hæc ſunt quæ in libellis ſuis toties ingeminarunt venales illæ animæ, quæ ad eas partes ſe contulere per quas honoris & pecuniæ uberior ſpes affulget, viperarum inſtar, quæ naſci nequeunt niſi denata matre. Atrocium id genus criminum infamia intoleranda eſt iis qui honoris & exiſtimationis ſuæ apud probos curam omnem penitus non exuerunt; An vero commentariis hiſce abſterſa ſatis ſint, Lectori partium ſtudio non excæcato haud difficile erit judicatu, vel ex tumultuaria eorundem lectione. Nam videbit ſonticas motuum horum cauſas fuiſſe, quod Scoti *difficiliores ſe præſtitiſſent ad dura obſcurorum paucorum hominum imperia ſubeunda, qui ſuam tantum cauſam ſubdole agentes quæſito regiæ authoritatis egregio velo, quà fraude quà vi nihil ad ſummam diligentiam reliqui fecerunt, ut Scotis liberorum ſubditorum jus, & religionis puritatem extorquerent, quoſque blanditiis corrumpere non potuerunt, belli funeſti calamitatibus in foveã defoſſam tandem præcipitarent. A turbulentis hiſce conſiliis ſereniſ. rege, cujus gratia per ſummum nefas turbones iſti abuſi ſunt, quam longiſſime abeſſe, innata Majeſtati clementia, & indoles æquitatis ſtudioſa ſtatuere jubent. Omnium ſæculorum annales docent, non nunc primum irrepſiſſe in optimorum principum aulas incendiorum artifices, qui delationibus & calumniis non ſecus ac in pelago ventorum turbines, ingentes procellas commovent, quorum mores ex veteri eccleſiaſtica hiſtoria ſuis coloribus depingit Clariſſ.* Vedelius, *de prudentia veteris eccleſiæ. lib. 2. cap. 5. para. 1. & ſæpius: Libellus lectu digniſ-*

 ſimus

ſimus hiſce præſertim temporibus, comprobatis & certis documentis oſtendens quomodo principum optimorum iſtæ peſtes & in negotio religionis ſimulatores detegi poſſint.

Aliis forte non arridebit humi repens ac demiſſius dicendi genus, & phraſes quædam minus terſæ & de foro arreptæ, in quarum locum ſi ſubſtitutæ fuiſſent aliæ quæ auribus magis arriſiſſent, tum vel longiores & ingratæ periphraſes admittendæ, vel argumentum prorſus negligendum fuiſſet, quod cum magna ſui parte ſit Theologicum, (præſertim plenior illa narratio Synodi Glaſguenſis a pagina 83. ad 296.) vocibus & phraſibus apud Theologos receptis iiſque quidem ſignificantioribus utendum fuit, uti & locis illis, quibus jus Scotorum municipale excutitur, propria τεχνολογήματα exprimere oportuit: addita fere ſemper explicatione commoda ne vocabuli exòtici obſcuritas legentis impetum ſiſteret. Adde quod authoris inſtitutum fuerit, ipſiſſima quæ & qualia utrinque narrarentur quam fieri potuit graphice depingere, atque eo fine ſcripta quædam utriuſque partis è re nata vernaculo ſermone edita in linguam Latinam transferenda erant, ut ex ipſis fontibus cauſæ ſtatus peti poſſet. Quæ ab aliis fœliciter ſatis tranſlata erant, ne actum ageret, de verbo in verbum inſeruit ſuis locis. Atque hi & quotquot hoc genus ſcripta unquam aggreſſi ſunt, ſatis norunt quam difficile ſit ita verbis verba reddere (quod fidelis interpretis munus eſt) ut orationi interim ſua vis ac conſtans gratia ſervetur, & à ſententia nihil recedatur. Verborum mangonibus delicatulis, quibus nihil ſapit quod palæſtram & oleum non redolet,

ſicuti

ſicuti nec iis qui nunquam æquis animis ferre poſſunt verſutiam & artes ſuas detectas, hæc non ſcribuntur, verum veritatis & candoris ſtudioſis, qui pro æquitate ſua typothetarum negligentiam Authori à prælo abſenti vitio non vertent, quin potius errata arrepto calamo corrigent.

Denique ne nimiis præfationum anfractibus in ipſo limine faſtidium lectori ad negotii hujus certam cognitionem anhelanti creetur, hic finiam, ſi prius ſuggeſſero, cum Deo optimo maximo precibus ſeriis contendendum eſſe, ut ſpiritu pacis & Chriſtianæ prudentiæ Regum ac ſubditorum corda regat, tempeſtatemque hanc florentiſſimis eccleſiis formidabilem in Halcedonia vertat, ac pacis & ſolidæ concordiæ remoras ocius ſubmoveat. Sic utere præſenti hâc opella, ut calamitatum quibus alii premuntur ſympathia ad preces in eorundem gratiam fundendas exſtimulet, ac paterna illa in alios ſeveritas ad ſalubrem pœnitentiam & ſeriam vitæ emendationem deducat. Det ille in cujus manu omnium corda ſunt ut ulciſcendi crudelitate, dominandi libidine, ac nocendi cupiditate depoſita, omnes Deum pacis & veritatis caſte colentes, paratis animis Chriſtianam concordiam alamus, & perſequamur etiam fugientem. Vale, *& conatibus noſtris fave: aut* ſi quid noſti rectius iſtis, Candidus imperti.

HISTORIA RERUM NUPER IN REGNO SCOTIÆ GESTARUM.

VT quæſtionum quibus exagitatur, & motuum qui hodie in Eccleſia & Regno Scotiæ fervent, ſolida habeatur cognitio; Notanda inprimis ſunt ipſorum cauſæ, occaſiones, initia, & quouſque hactenus progreſſum ſit. Initia porro & cauſæ nequeunt commodè percipi, niſi primum oſtendatur, quæ fuerit Eccleſiarum Scoticarum ab initio reformatæ ibidem religionis legitima adminiſtratio, regni legibus & frequentium nationalium Synodorum conſtitutionibus ſancita, & quibus quaſi gradibus à diſciplinæ puritate primitus receptæ receſſum fuerit. Et quia accuratam Eccleſiæ Scoticæ hiſtoriam propediem prodituram ſpes eſt, ſummatim nunc ea ſolum tangam, quæ præſentibus controverſiis lucem aliquam afferre poſſunt.

Poſtquam Deus mirâbili ſua dextra laboribus primorum reformatorum in Scotia, *Knoxii, Willoci, Vinrami*, *&c.* benedixiſſet, religionique ſuæ primæva & Apoſtolica puritas reſtitueretur: cum omnes ex vicinorum malis experti eſſent, non diu conſervari poſſe doctrinæ puritatem, niſi diſciplinam Chriſtianam ad regulam SS. ſcripturæ conformandam haberetur ratio; ideo omnes piorum Doctorum & aliorum conatus, eo tum tendebant, ut optima Eccleſiæ diſciplina ſtabiliretur, Eccleſiis non minus neceſſaria quam murus civitati, quam caſtris val-

lum, quam horto maceria, verè Μήτηρ τῶν ὄντων καὶ ἀσφάλεια, ut frequenter eam vocat Nazianzenus.

Negotium itaque conſcribendi politiæ exactiſſimam formam mandatum fuit paſtoribus; quorum ſententia fuit, Eccleſiam per conventus plurium regendam; etenim unius arbitrio rem neutiquam committendam cenſuerunt eccleſiaſticam: & exactam regiminis formam ſenatui ſupremo offerunt; videlicet, ut regeretur Eccleſia per ſeſſiones (ſeu conſiſtoria) preſbyteria (ſeu claſſes) ſynodos provinciales & nationales.

Atque ubicunque per paſtorem colligi potuere Eccleſiæ, in iis erectæ ſeſſiones, quæ conſtabant ex Paſtore, Senioribus, & Diaconis: huic conventui ſemper præſidebat paſtor. Statutum, ut plures vicinæ Eccleſiæ ſimul unirentur, quæ preſbyterium ſeu claſſem facerent, cui conventui tunc ſeniores (ut vocant) Laici intereſſe debuerant à particularibus Eccleſiis deputati: ad conventum hunc (qui ſingulis ſeptimanis in primaria vicina urbe habendus eſſet) pertinere dixerunt judicium omnium appellationum à conſiſtoriis, poteſtatem decernendi de ſententia excommunicationis, paſtorum admiſſionem, ſuſpenſionem, depoſitionem, Eccleſiarum viſitationes, & hujus generis ſimilia, quæ ad Eccleſiarum ſic unitarum commodum facerent.

Statutum etiam, ut in iſtis cœtibus, qui hebdomatim conveniebant, paſtores omnes per vices dona ſua exercerent, utque duo proponerent, quorum primus Textum ſcripturæ aperturus fuit, alter locos doctrinæ & uſus familiariter propoſiturus, ſingulis vero menſibus caput aliquod controverſum inter reformatos & pontificios vernaculo ſermone publicè diſcuterent, ac dein populo dimiſſo idem contra ſymmyſtas defenderent. Atque hoc exercitium presbyteriale vocatum fuit. Porro præſidentia fuit vel viciſſitudinaria, vel per electionem.

Cenſu-

Cenſuerunt etiam Eccleſiis vtiliſſimum futurum, ſi Synodi provinciales haberentur, ſingulis annis bis; in quibus de iis quæ in minoribus conventibus peragi non potuêre, diſceptaretur: ubi etiam diligens inſtituenda fuit Cleri cenſura, & hiſce conventibus Præſides ſeu Moderatores per plurimorum ſuffragia eligebantur.

Denique quia plurima ſæpius occurſura eſſent, quæ totius eccleſiæ nationalis ſtatum tangerent, & quæ in provincialibus Synodis tranſigi non poſſent; ideo Synodi nationalis neceſſitatem & utilitatem proponunt, ad quam conventuri eſſent ex ſingulis Presbyteriis Paſtores aliquot (poſtea numerus incertus ad tres redactus eſt) cum unico Seniore, ſeu deputato Laico iſtius presbyterii; ex ſingulis regni urbibus unus, ex Academiis etiam aliquot. Huic conventui eligebatur plurimorum ſuffragio Moderator ſeu præſes.

Horum quatuor conventuum ὑποτύπωσιν Senatui regio exhibuerunt, cujus mandato & authoritate labor ille ſuſceptus fuit. Veruntamen communibus & concordibus ſenatorum & magiſtratuum ſuffragiis tum non muniebatur: omnia tamen de conſiſtoriis, Synodis provincialibus, nationalibus, ſatis arridebant. Illud ſolum de presbyteriis in actum redigi vix potuit; etenim procerum multi Eccleſiæ bona, quæ invaſerunt, ſic ſibi ereptum iri augurati ſunt: alii diſciplinæ jugum averſabantur. Accedebat, quod tunc magna erat Doctorum & Paſtorum infrequentia: poſtea tamen publica ordinum regni authoritate, in comitiis anni 1592. omnia plenè ſanciebantur.

Quare cum hiſce de cauſis erigi tum non potuerint Presbyteria, ut defectui huic interim ſubveniretur, ſtatutum, ut eligerentur Superintendentes. Si enim miniſtri (quorum tum magna fuit raritas;

ſicut ubique eſſe ſolet, veritate ex tam craſſis tenebris ignorantiæ & ſuperſtitionis caput primitus emergente) egregiis donis à Deo locupletati, particularibus quibuſdam eccleſiis omnes addicerentur, regni pars maxima miniſterii beneficio deſtitueretur; quo non ſolum obmurmurandi materia eccleſiis paſtoribus idoneis deſtitutis daretur, ſed multorum etiam ſalus, periculo certo exponeretur. Quare ex paucis paſtoribus qui tunc Euangelium purè prædicabant, eligendi erant duodecim,quibus provinciæ aſſignandæ erant, in quibus eccleſias fundarent,& ea omnia (in conſilium adhibitis ſemper vicinis paſtoribus) peragerent, quæ liber primus de diſciplina (nam ſic delineatio illa diſciplinæ, de qua prius, vocabatur) ad presbyteria propriè pertinere declarabat. Porro munus hoc Superintendentium vel inde conſtat fuiſſe tantum temporarium, donec major eſſet in provinciis Paſtorum frequentia; nam ubi frequentiores fuêre in vicinia paſtores, & Eccleſiæ melius conſtitutæ, nihil ibi negotii fuit cum Superintendentibus. Eligebantur autem iſti Superintendentes ab Eccleſiis quas curabant; ac Synodis tenebantur rationem reddere omnium actionum,quarum judicio ſe ſubmiſerunt. Specialiter tum iiſdem mandatum, ne regimini politico ſeſe immiſcerent, etenim, cum ordinarii Paſtoris munus totum hominem requireret, impoſſibile judicarunt, eum cui tot Eccleſiarum cura incumberet, poſſe ſecularibus negotiis, in aula aut Senatu regio vacare. Sed numerus hic duodecim Superintendentium, propter ſtipendiorum inopiam impleri non potuit, quare in eorum locum electi ſunt ex doctiſſimis & prudentiſſimis paſtoribus quidam, quibus Commiſſariorum nomen inditum: & horum numero aſcripti quidam ex Epiſcopis, qui deſerto Papatu, reformatæ pro-

feſ-

feſſioni ſe adjunxerant, iis tamen omnibus hoc non fuiſſe conceſſum conſtat; Nam *Alexander Gordonus* Gallovidianus Epiſcopus, poſt ejuratum Papiſmum, licet gauderet titulo & reditibus Epiſcopi, ac ſerio ambiiſſet, ut ſibi liceret ſuis Gallovidianis ſuperintendere, repulſam tamen tulit, & alius Paſtor ipſius provinciæ præpoſitus fuit. Habitæ tunc fuerunt frequentes Synodi, & in Synodo nationali anni 1566. chirographis paſtorum in Synodo congregatorum, comprobata fuit confeſſio Eccleſiarum Helveticarum, ubi Epiſcopatus pro commento humano declaratur,

Et quia in illis conventibus ſæpenumero deliberatum fuit ſerio, de vindicandis decimis aliiſque reditibus Eccleſiaſticis, à privatis quibuſdam magnatibus præter jus & æquum occupatis, ac ſine ulla juris vel ſpecie, in privatum paucorum patrimonium converſis: Ideo eorum quidam qui nullo juſto titulo, ſe bona Eccleſiaſtica poſſidere intellexerunt, ut ſibi proſpicerent, excogitarunt hanc artem, ut Paſtores ipſorum clientes & propinqui, ad Epiſcoporum titulos eveherentur, quibus minutula redituum portio conceſſa fuit, ut reliquum ipſis in prædam cederet. Atque ut hoc obtinerent, licet nihil intentatum reliquiſſent, nunquam tamen titularibus illis Epiſcopis conceſſa fuit juriſdictio Eccleſiaſtica; iiſdemque etiamſi munere ullo Eccleſiaſtico fungi vellent, omnis civilis juriſdictio interdicta. Mirum tamen quas turbas titulares illi Epiſcopi Eccleſiis dederunt, & in omnibus Synodis frequentiſſimæ exhibitæ querelæ, contra Epiſcoporum illorum ſegnitiem & malos mores, quod Eccleſiam jam adultiorem eo adduxit, ut ſerio diſceptari cœptum ſit, an functio illa ulla lege ferenda eſſet in Eccleſia; ac tandem decretum unanimi conſenſu in Synodo Taodunenſi anno 1580. autho-

authoritatem illam quam in Eccleſias ſibi arrogarunt Epiſcopi, eſſe Antichriſtianam uſurpationem, per quam Antichriſtus in Chriſti cathedram ſurrepſit. Authoritate etiam Synodica ſecundus liber, de diſciplina editus fuit. Et quia nondum ubique erecta fuerunt presbyteria diligenter negotium illud urgebat ſereniſſimus Rex Iacobus beatæ memoriæ; mittendo ad Synodum, cum nobili quodam viro, & eodem tempore confeſſionem Domus Regiæ, (de qua pluribus poſthac dicturi ſumus) & diagramma quinquaginta presbyteriorum, locis totius regni maximè opportunis, conſtituendorum, uti in libris de diſciplina concluſum fuit; ac denuo Epiſcoporum, tam in ſæcularibus quam Eccleſiaſticis, uſurpatio fuit damnata.

Sed qui Epiſcopatui evertendo maximam operam navarunt, poſtea aulicorum gratiâ Epiſcopatus ambiunt, qui eos quærebant, quos minimo ad illud nomen conducerent, ut lautiori præda ſecurius frui poſſent, avaris quibuſdam Eccleſiaſticis, ad ejuſmodi conſilia promovenda nimium pronis, cum ſcirent, plus ex ruderibus Epiſcopatuum ſe poſſe corradere, quam ex tenui ſacerdotio. Omnes tamen ipſorum conatus (licet muniti ſpecie conſenſus trium ordinum) fuêre irriti, & presbyteriis tandem poſtliminii jure in plenis regni comitiis 1592. ſtatuto 114. reſtituta fuit authoritas. Ac per aliquot annos uſque adeò coërcebatur Epiſcoporum titulo tenus faſtus, ut Eccleſiis turbas creare non fuerint auſi, donec infœlices quaſdam controverſias, inter Regem & Synodos nationales ortas conſpexerunt, occaſione comitum quorundam Papanorum, qui cum Hiſpano, ad res novas moliendas, conſpirarunt. Hos ab Eccleſiis excommunicatos, Rex volebat recipi; renitente Eccleſia eos pro Eccleſiæ membris agnoſcere, qui nullum pœniten-

nitentiæ ſignum ad averruncandum priorum ſcelerum ſcandalum, dederunt; quos etiam Papiſmum fovere nimis apertis indiciis conſtaret. Hic ſtatim, qui latebant, Aulici, nova conſilia Regi optimo ſuggeſſiſſe feruntur; nunquam pacem ſolidam regno futuram, niſi antiquatâ hac eccleſiaſticorum Cyclopica paritate, eam politiæ Eccleſiaſticæ formam conſtituat, qua cuncta Regis arbitrio dirigi poſſint. Seriò tum de erigendis Epiſcopatibus deliberatum in aula, politicis conſilia illa ſedulò promoventibus; quibus Regem in Anglia Eccleſiaſticis gratiorem futurum, non malè augurabantur; quorum ope, coronam regni illius jure hæreditario debitam, facilius ſine cæde, & ſanguine adipiſceretur. Nam aliter metuendum erat, ne mitris ſuis metuentes, à Rege Iacobo nato & enutrito, in ea Eccleſia, in qua miniſtrorum paritas vigeret, paulò alieniores ſe oſtendiſſent. Nunc vero omnem ejuſmodi metum diſcuti, Rege ſeriò allaborante, ut Epiſcopatum, frequentium Synodorum decretis ejectum, rurſus introduceret. Sed quia rem plurimis motibus occaſionem daturam præſenſerant, & nondum memoria excidiſſet tumultus ille Edinburgenus, anno 1596. ſuadent; ut non confeſtim, & momento, ſed per intervalla, & pedetentim negotium hoc promoveret, ne res agi videretur. Imprimis vero dandam operam eſſe, ut oblatâ lucri, aut dignitatis ſpe, Eccleſiaſticorum quorundam animos ſibi devincirent, nec conſiliis eventus defuit.

Et quia uſque adeò exoſus fuit epiſcoporum faſtus, ut vix abſque famæ diſpendio licuerit eos nominare, nuſquam eorundem tum facta mentio, contenti hoc à Synodo obtinuiſſe, ut unicuique liceret, dubia de externo Eccleſiæ regimine proponere. Deinde laboratum, ut aliquot eligerentur deputati, qui Synodi nationalis nomine, gravamina

Eccleſiarum parlamento proponerent. Et hi inter alia, auſi ſunt propria authoritate urgêre,ut jus ſuffragii, in ſupremo illo regni ordinum conventu, poſtliminio Eccleſia reciperet. Ac licet ſagacioribus ſuboleret, quid aſtutiæ illis conſiliis machinarentur Aulici, gratiamque hanc intempeſtivam Eccleſiæ ingens damnum daturam, non malè augurati ſint; quia numero vincebantur, in plurium ſententiam inviti conceſſere.

Sed ne deputati ſecularium quorundam veſtigia premerent, qui uſurpatis Prælatorum titulis, in publicis regni comitiis, pro Eccleſia non ita pridem ſe venditabant, & ſæpius contra Eccleſiæ commodum, ſuffragiis abutebantur; nè, inquam, idem à deputatis illis fieret, eas cautiones Synodus poni ſtatuit, quæ Epiſcopaturientibus frœnum injicerent, quales ſunt inter plures hæ. I. Ne qui ad ſuffragii jus eligeretur, aliquid in Comitiis proponeret, niſi de Synodi nationalis conſilio; cui actorum omnium rationem redderet, cujuſque cenſuræ ſe ſubmitteret, ſub pœna depoſitionis & excommunicationis. II. Vt aſſignata à Rege portione & ſtipendio contentus viveret. III. Eccleſiæ particulari præeſſet,ut alii omnes Paſtores;eamque ſedulo curaret, ac Claſſicali ſeu presbyteriali cenſuræ ſe non ſubduceret. IV. In juriſdictione Eccleſiaſtica,ne quid ſupra Collegas uſurparet. V. Vt ſi Synodus nationalis, provincialis, claſſis, eum ab officio Paſtoris deponat, ſuſpendat, jure ſuffragii ſimul ſe privatum agnoſceret, in omnibus denique conventuum Eccleſiaſticorum judicio ſe ſubmitteret. Atque has conditiones omnes & ſinguli deputati, ſe religioſè obſervaturos, juramento & chirographo polliceri tenebantur. Acris tum fuit diſputatio de nomine, quo compellandi eſſent: Nemo Epiſcopi nomen vel leviter inſinuare auſus fuit,

fuit, & execrationibus diriſſimis deputati ipſi ſæpius profeſſi ſunt ſibi nunquam ſtatutum Pontificii aut Anglicani Epiſcopi jugum Scoticis Eccleſiis imponere; videbant quam infœliciter illud Adamſono Andreapolitano titulo tenus Archiepiſcopo ceſſiſſet. Agitata etiam tum fuit queſtio alia, de duratione hujus muneris; aliis ut aulæ gratia potirentur, non renuentibus; quin deputatorum ad jus ſuffragii in comitiis regni munus eſſet perpetuum, ad vitam aut culpam, aliis vero ſumma ope contra nitentibus. Etenim ſi perpetuum foret, fruſtra cancellos poni, quibus commiſſionarii hi (nam ſic vocandos ſtatutum) circumſcriberentur. Et ſi litem, ob rem male adminiſtratam, contra eos intentaverit Eccleſia, hos regia authoritate fretos, Eccleſię judicium deſpecturos, beneficia retenturos, ac, tempore ſibi maximè opportuno, vindictam in Eccleſiam meditaturos eſſe, ęquum etiam eſſe nè in deteriori ſtatu ponatur Eccleſia, quam quo alii Regni ordines (excepto nobilium majorum ordine) ſunt, quibus conceſſum, legatos ſingulis vicibus ad comitia eligere. Et multa hujus generis urgebantur; ita ut nihil de perpetuitate tum ſtatutum fuerit: & deputati illi, ſeu commiſſionarii in quaſlibet conditiones aſſentiebant, modo jus ſuffragii ſartum tectum concederetur.

Sed quas ſacro juramento & ſolenni chirographo ratas tunc habuerunt cautiones, poſtea apertè profeſſi ſunt, ſe iis non teneri; utpote quod iiſdem pro tempore tantum aſſentiti fuiſſent, quo rixoſis contendendi anſa pręriperetur: non animo in perpetuum obſervandi; quod omnibus ſubſequentibus actionibus re ipſa comprobarunt. Nam cum ægre ferrent, tam arctis cautionum ſtipulatarum cancellis ſe concludi: nec ſi eoſdem tranſilirent, Synodorum cenſuram (quibus obitę legationis ra-

tionem reddere tenebantur) ſine perjurii manifeſti macula effugere poſſe, omni conatu allaborarunt, ne tam frequentes Synodi coirent, tranſlata omni authoritate indicandi Synodum nationalem in Regem, cum notabili damno Eccleſiæ, cui pro re nata ſæpius & ſingulis annis ſemel convenire conceſſum fuit, Rege aut Regis deputato, ſi quis adeſſet, tempus & locum ſubſequentis Synodi indicente, & expreſſa lege ſancitum fuit in comitiis regni anno 1592.

Quod cum continua etiam praxi receptum eſſet ab initio reformationis, inique admodum tulerunt Eccleſiæ, hiſce artibus ſibi eripi: nec videbant quibus mediis obviam iri poſſet Epiſcoporum tyrannidi, receptę libertatis Eccleſiaſticę ruinam minitanti, itaque quandoquidem Rege conſentiente, in Synodo nationali Edenburgi habita anno 1602. decretum fuiſſet, ſequentem Synodum habendam Abredoniæ, ac Rex deinde novo mandato diem ſtatutum mutaverit, alio certo ſubſtituto, tandem cum reſcripto altero regio, conventus ille Abredonię habendus in diem incertum prorogatus eſſet, quem Regem nunquam indicturum verebantur multi, niſi de Conſilio eorum qui Epiſcopaturiebant, quibus certum, nullam Synodum expetere, donec potentia & dignitatibus auctiores, Synodos quo vellent, pro arbitrio flecterent; hac inquam de cauſa, paſtores quibus Eccleſia chara, deputati à claſſibus, Abredoniam conveniunt, ad diem illum certum, quem Rex edicto publico primitus deſtinaverat. Porrò quas pœnas Regi dederint, teſtatur multorum exilium, poſt diuturnum carceris ſqualorem. Atque in hæc tempora incidebat Andreæ Melvini, Iacobi Melvini, Ioannis Forbeſii, Duncani, Fermii, Welſhii, Durei, Sharpii ac aliorum exilium,

Quum

Quum jam ſic ſtabilitum jus ſuffragii in Comitiis eſſet, ut convelli non poſſet, ad invadendam Eccleſiaſticam in ſympresbiteros juriſdictionem ſe comparant, tempore, negotio huic promovendo, opportuno; paſtoribus, qui remoram injicere inſurgenti tyrannidi vellent, aliis in exilium, aliis carceri, aliis, ut intra propriæ cui inſerviebant, parochiæ limites ſe continerent, damnatis; habetur tunc conventus eorum Eccleſiaſticor. quorum nomina regiis literis erant expreſſa Limnuchi Anno 1606. adſunt imprimis deputati illi ſeu Commiſſionarii, quorum quibuſdam jam tituli beneficiorum Epiſcopalium regia munificentia conceſſi fuêre. Ac licet in omnibus præcedentibus Synodis nationalibus ii ſoli ſuffragii jure gauderent, qui à Claſſibus ſeu Presbyteriis, civitatibus, Academiis, legitimè deputati fuerant, nulla tamen hic deputationis habita fuit ratio. Quare, dum conventus ille primum haberetur, qui regiis literis evocati, negabant conventum illum habendum pro Synodo nationali: Statim tamen ac dimiſſus fuit, celebrem fuiſſe Synodum venditant, ejuſque decreta presbyteriis obtruduntur ſub pœna perduellionis; Videlicet, ut deputatos ſeu Commiſſionarios Eccleſiarum, pro Claſſium præſidibus agnoſcerent, & quos Rex titulo & reditibus Epiſcopatuum ornaverat, Synodorum provincialium præſides ſeu Moderatores eſſent; licet multi qui conventui illi intererant, confidenter affirmaverint, nihil tum agitatum aut concluſum fuiſſe de Synodorum provincialium præſidibus: neque ipſi Epiſcopi ubique conventus illius ſtatuta executioni mandare auſi fuerunt; Etenim in Synodo provinciali Fiſana non multò poſt dimiſſum Lymnuchenſem conventum, non conceſſum fuit Gladſtono Archiepiſcopo Andreapolitano, ut vigore iſtius decreti, præſideret. Conventui huic Lymnuchenſi

electus

electus fuit Moderator Nicolſonus, paulò ante titulo & beneficio tenus factus Epiſcopus Caledonius, quem uſurpationis hujus ſeriam licet ſeram inceſſiſſe pœnitentiam referunt. In cujus rei fidem circumferuntur verſus non illepidi, compoſiti à Theologo magni nominis D. Lindeſio, Brechinenſe primum, dein Edenburgenſi Epiſcopo. ipſi proxima affinitate juncto; qui, quæ præſens audiit proſa, ſic metro conſtrinxiſſe fertur:

Solatur fruſtra conjux, ſolantur amici
Et medicum accerſi ſedulo quiſque jubet
Sed dare ſolamen nemo, dare nemo ſalutem
Te præter, potuit, Rex Iacobe, mihi.
Quæ corpus gravat atque animam tantum exime mitræ
Huic caput: hujus onus me premit & perimit,

Paſtorum quidam inviti (qui ſub pœna perduellionis cogebantur) decretum hujus conventus, de preſbyteriorum ſeu Claſſium perpetuis moderatoribus, admiſerunt; ſub certis tamen conditionibus, donec ea de re plenius, in Synodo nationali libera diſpiceretur: Alii verò qui admittere nullatenus voluerunt, duriter tractati; quibuſdam in exilium ejectis, aliis carceri mancipatis, nondum tamen arcem cauſæ obtinuerunt; ideoque huc jam omnes conatus collimant, ut juriſdictionem Eccleſiaſticam plenè obtinerent.

In hunc finem Menſe Februario anni 1610. quam Eccleſiarum conſenſu ſe nunquam adepturos noverant, juriſdictionem in fratres compresbyteros à Rege obtinent, ſub titulo Commiſſiariorum Regis in juriſdictione Eccleſiaſtica ſeu judicum *celſæ Commiſſionis*, qua armantur poteſtate exauctorandi miniſtros, ſuſpenſionis cenſuram irrogandi, excommunicationem decernendi, & ad ferendam ſententiam aut latam denunciandam, quemvis Miniſtrum cogendi,

gendi, poteſtate mulctandi, in carcerem conjiciendi, & perſequendi contumaces pœna rebellionis; &c.

Atque, ut ſpeciem aliquam conſenſus Eccleſiarum obtinerent, Synodus indicitur Glaſguæ, menſe Iunio anni ejuſdem 1610. ubi aderant, non (ut legibus ſtatutum, & continua praxi receptum) à presbyteriis liberè deputati, ſed Moderatores presbyteriorum (quos in conventu Lymnuchenſi ab Epiſcopis electos diximus) penſiuncula annua ineſcatos, & ſpe lautioris fortunæ lactatos cum binis ex ſingulis presbyteriis paſtoribus quos minis aut præmiis facilius ſe pellecturos ſperant; eoque nomine miſſus mandato regio Comes *Dunbarenſis*, tanquam Regis deputatus, ſtipatus ſatellitibus Regiis. Coram hoc deputato agendum erat de Epiſcopis, qui civilibus dignitatibus onuſti, pinguiſſimorum beneficiorum patroni, ſtipendiorum Miniſtris debitorum moderatores, ut alios ſpe auctioris ſtipendii ad ſe pertraherent, alios ſi flectere non poſſent, minutiore frangant, armati etiam ancipiti gladio celſæ commiſſionis. Et ii ſententiam dicturi erant, qui ab ipſis electi & evocati, ac ſatellitio Regio obſeſſi fuerant.

Non mirandum ergo, ſi omnia ad Epiſcoporum libitum hic conceſſa fuerunt; videlicet, ut nulla ordinatio Paſtorum ſequentibus temporibus rata eſſet, niſi actum ordinationis conſummaret Epiſcopus; nullus Miniſter exauctorandus niſi probante Epiſcopo, Omnium presbyteriorum ſeu claſſium, Epiſcopi Præſides eſſent, ſi adfuerint, & quos ipſi vicarios conſtituerent ſi abfuerint: eſſent Epiſcopi, aut ipſorum vicarii, Synodorum provincialium Præſides perpetui, diœceſeos viſitatio ipſis committitur.

Summa, quæcunque antea ad presbyterium pertinebant, ea Presbyteriis erepta, Epiſcopis concederentur. Interim Eccleſiaſticorum in eo conventu

tu mens non fuit, licuiſſe Epiſcopis actus illos juriſdictionis per ſe, excluſis Presbyteriis, exercere: ſed negativam ad ſummam poteſtatem Epiſcopis concedunt, conjunctam cum claſſe ſeu Presbyterio; cujus voculæ ſuppreſſionem ſubdolè urgent, ejuſque loco vocem conventus miniſtrorum poni ſuadent, ne Regis aures offenderent, qui Presbyterii prolationem iniquo animo laturus diceretur. Sed revera, ut eventus docuit, Presbyteria prorſus everſa volebant, quorum loco liberum eſſet, quos vellent deligere Paſtores, qui actibus iſtis juriſdictionis intereſſent. De conſecratione Epiſcoporum, nulla tunc mentio; quia nec fraude nec vi ſciebant ſe nunquam potuiſſe perſuadere aut cogere conventus illius partem maximam, ut ſtatuerent jure divino differre Epiſcopum à presbytero ſeu ordinario paſtore: neque jure Divino poſſe Epiſcopum, quod non poſſit presbyter. Quo tamen eorum ſtudia collimaſſè, ſtatim à dimiſſo conventu, demonſtrarunt, tribus eorum in vicinam Angliam excurrentibus, ut in Epiſcopos conſecrarentur, qui reverſi alios conſecrarunt, Eccleſiis & Synodis inconſultis; ac in omnibus actionibus ita ſe geſſerunt, quaſi προστασίαν illam Eccleſiis non acceptam ferrent, ſed quaſi ea ipſis jure Divino competeret, utpote à ſpiritu Sancto creatis & conſecratis. Atque hi gradus illi ſunt, quibus pedetentim & per intervalla jugum Hierarchiæ Anglicanæ Eccleſiis Scoticis impoſuerunt, quo facilius farraginem cæremoniarum Anglicarum introducerent. Quod malum prudentiores maximè terrebat; cum ſcirent, eos, quibus plus licet, quam par eſt, ſæpius plus velle quam licet.

Nec vanus fuit hic metus. Etenim Epiſcopi cum ſe ſolos omni juriſdictione Eccleſiaſtica veſtitos cernerent; neque quenquam eſſe, qui contra hiſcere auderet, niſi utriuſque gladii aciem experiri vellet;

quum-

quumque Regi optimo unicè in votis fuiſſe compertum haberent, ut mutatis ſimplicibus ritibus cultus Divini Eccleſiæ Scoticæ, Anglorum multiformes in eorum locum ſenſim introduceret, quo regnorum firmior eſſet unio. Denique cum ſine cæremoniis illis hierarchiam ſuam jam adoleſcentem vix ſtabiliri poſſe putarent, quæ aliter inſtar ignis ſine alimento & fomite expiraret, ad mutationem ſimplicium illorum rituum cultus Divini, in quibus conformis fuit Eccleſia Scotica, Eccleſiis reliquis reformatis tranſmarinis ſed Anglicæ Eccleſiæ difformis, animum ſeriò intendunt Epiſcopi; & cum fruſtra ſe laboraturos cernerent, ſi univerſos ſimul & ſemel abolerent aut introducerent, paucos ſeligunt, maximè plauſibiles, ut ſic cuneatim cæteris recipiendis viam ſternerent. Regi itaque gratificandum ſuadent, in admiſſione quinque articulorum, videlicet, genuflexionis in Sœna, celebrationis 5. dierum ſacrorum (nativitatis, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Chriſti & deſcenſus Spiritus S.) privati Baptiſmi, privatæ adminiſtrationis ſacræ cœnæ, & confirmationis Anglicanæ; quæ cæremoniæ, quia promotæ per Synodum Perthenſem (quæ habita fuit Perthæ Anno 1618) vulgo Perthenſes cæremoniæ dictæ. Et quia Synodi illius hiſtoria utrinque exſtat; aliis vituperantibus, tanquam non uno nomine nullam, in qua debita Synodis libertas deputatis negata, ac ad quam jure ſuffragii admiſſi qui à presbyteriis ſe minimè deputatos falſi ſunt. Aliis verò eandem approbantibus & tuentibus. Ideò de ipſa Synodo ejuſque forma nunc ſuperſedendum duxi, Lectore hujus rei cupido, remiſſo ad libellos ea de materia editos. Qualiſcunque demum fuerit Synodus, in ea tamen admiſſæ ſunt 5. illæ cæremoniæ, à multis pacis gratia (ſicut antea Epiſcopatus intra limites & cautiones multiplices incluſus)

præ-

præſertim cum ſolenne tunc daretur promiſſum, Regem non ſtatuiſſe, reliquam farraginem cæremoniarum Anglicarum urgere. At alii, ſive, quia promiſſo huic non ſatis fiderent (revocatis in memoriam frequentiſſimis pollicitationibus & execrationibus, dum de admiſſione Commiſſariorum agitaretur, hierarchiam Anglicanam non intendi) ſatiuſque putarent non admittere, quam poſtea, cum experti eſſent quantum damni Eccleſiis daturæ eſſent, ejicere; ſive, quia in conſcientia putabant, ſingulas ad indifferentium categoriam ſimpliciter referri non poſſe, ideo conſtanter ſeſe iis oppoſuere. Qua ſententiarum varietate ſchiſma in Eccleſiis ortum eſt, quod in hodiernum diem ſopiri non potuit; Aliis Synodum illam rejicientibus, ut ſpuriam: aliis ut legitimam probantibus. Multarum calamitatum ſeriem, quas occaſione hujus Synodi perpeſſi ſunt plures, nihil artinet narrare; hoc tamen prætereundum non eſt, coram celſa illa commiſſione multos citatos, ab eaque damnatos, Iunioribus etiam cum Sacro miniſterii munere inaugurantur, neceſſe Synodum illam, ut legitimam, tueri, prædictaſque quinque ceremonias defendere: & Epiſcopatus Regimen, ſicut nunc eſt in Eccleſia Scotica, approbare: & hiſce ſimilia quæ ad Epiſcoporum regimen ſtabiliendum faciunt ac quæ faciliorem reliquis cæremoniis Anglicanis introducendis, viam ſternunt. Siquis huic juramento ſe ſubmittere nolit, rejicitur. Si verò juramenti ſemel dati immemor, prædictis ſe oppoſuerit, citatur in jus; non coram Synodis aut conventibus Eccleſiaſticis: ſed coram celſa commiſſione; quod forum eſt politico Eccleſiaſticum, ratione perſonarum jus ibi dicentium; ubi ſummo jure cum reis agi poteſt, exhibito iis juramento ex officio, quo tenentur ſemet accuſare, prodere; quod primitus introductum fuit

fuit in Eccleſiam Anglicanam, ſub *Henrico* 4. poſtulantibus Epiſcopis ad detegendos *Lollardos*; quam ſanguinariam legem vocat *Foxus* ipſe Anglus, contra ſcripturam, quæ vetat, accuſationem contra presbyterum admitti, niſi ſub duorum aut trium teſtimonio: contra veterum Romanorum ſtatuta; nam & *Trajanus*, licet fidei Chriſtianæ hoſtis, ſtatuit tamen etiam in Chriſtianorum cauſis, quod ſine authore certo propoſiti libelli; nulla crimina locum habere debeant; nam, inquit, & peſſimi exempli res eſt, nec noſtri ſeculi. Vnde illud ex ipſis juris naturæ penetralibus vulgatum, neminem cogi debere contra ſe teſtes producere; Ergo multo minus cogendus inofficioſo hoc juramento contra ſe teſtimonium præbere. Adde quod Tribunal illud Scotis plane extraneum ſit, neque unquam ulla lege civili aut Eccleſiaſtica munitum; quod multarum querelarum contra Epiſcopos materiam dedit.

Dum fervent diſſidia Eccleſiaſtica circa illas Perthenſes cæremonias, moritur Rex optimus & prudentiſſimus Iacobus, quumque de ſereniſſimi regis Caroli voluntate, certiores eſſent: aut (ut alii) Regem optimum ad demortui parentis (ut præ ſe ferebant) conſilia promovenda flexiſſent, telam orſam pertexere ſtatuunt; præſertim cum egregium ſpecimen piiſſimus Rex dediſſet, quo animo eſſet erga Eccleſiaſticos, tum in Anglia, tum in Scotia; Decreto illo verò regio de revocatione donationum bonorum Eccleſiaſticorum, inprimis decimarum, quæ dono parentis olim minorennis, conceſſa fuere nobilibus quibuſdam. Atque licet ſucceſſum tam egregio conatu dignum res ea non obtinuerit, quibuſdam tamen Eccleſiaſticis, qui ſe Epiſcoporum machinationibus favere oſtendebant, aliquid emolumenti accrevit.

Redit in Scotiam Rex poſt triginta fere anno-

rum abſentiam Anno 1633. ac tum omnium ordinum regni comitia habentur, Rege ipſo præſente. Si unquam, tum aliquid audendum erat; quo regi innoteſceret, quantum in Republica ac Eccleſia poſſent Epiſcopi; ac ſimul experiundum ipſis erat, an alii omnes cervices ipſorum jugo ſponte ſubmiſſuri eſſent, Inhunc finem proponitur articulus, quo concederetur Regi, mandare quem vellet habitum omnibus publico officio, ſeu in republica ſeu in Eccleſia, fungentibus; & urgetur hoc tanquam connexum regalis privilegii, quare uno & eodem articulo utrumque conjungitur, & reſpondendum erat categoricè, affirmando aut negando. Cum ars hæc Nobilibus quibuſdam ſuboleret, & Epiſcopos ac aulæ officiarios pronos in affirmativam abſque ſcrupulo ruentes vidiſſent, articuli partes nullo nexu ſibi invicem hærentes, dividunt; & quandoquidem eſſet πολυζήτησις, quæ unico reſponſo in captionem deduceret reſpondentes, primam articuli partem de regali privilegio concedunt, negant ſecundam de veſtitu præſertim Eccleſiaſticorum in ſacris, tum quia (ut ingenuè profitebantur) non videbant, qua ratione firma aut probabili ad res illius naturæ extendi poſſet ac debeat Regale privilegium; tum quia metuebant, ne prætextu hujus articuli Pontificius Sacerdotum veſtitus in ſacris, uti ſunt, ſuperpellicium ſeu lintea illa veſtis candida, rochetum, capa, epitogia, caputia, pilei quadrangulares, & id genus aliæ veſtes, paſtoribus invitis obtruderentur, quas tamen Eccleſia Scotica ab initio reformationis abjecit, cum reliquis omnibus Antichriſti, cujus inventum fuerunt, reliquiis: Metus etiam fuit, ne ſuccedentibus ſeculis, (quæ ad deteriora ferè ſemper vergunt) Principes flagitioſorum novatorum malè feriatis conſiliis ſeducti, ſtatuti hujus prætextu, libertatem ſibi ſumerent obtrudendi alias Papiſmi

ſordes

ſordes ab Eccleſia Scotica fæliciter profligatas.

Sed pluralitate ſuffragiorum totus articulus Regi conceſſus fuerat; Maſculus tamen ille & apertus procerum illorum animus Regi clementiſſimo non admodum placuit, Epiſcopis nobilium illorum actiones etiam innocentiſſimas in deteriorem partem traducentibus, quaſi contemptum authoritatis regiæ, ſeditionem in Republica & ſchiſma in Eccleſia ſpirarent. Ita ut proceres illos tunc Rex non ſolum publicè increpuerit, verùm etiam (ut terrorem cæteris injiceret) propria manu eorum nomina, qui totum articulum ſimpliciter non concederent, notarit; tanquam ſubditorum Regiæ dignitati minus quam par eſſet deferentium. Quare proceres illi cum hac arte de Regis gratia immeritò ſe dejectos dolerent, communicatis conſiliis conſultiſſimum eſſe ſtatuunt ſupplici libello Regi humiliter oſtendere, ſe privatis affectibus in hoc negotio non indulſiſſe, atque unicam & ſolam cauſam cur poſteriori articuli parti aſſenſum non præbuiſſent, fuiſſe conſcientiæ dictamen. Libellum hunc ſupplicem à *Guilielmo Haig* Sollicitatore regio formatum ipſorum mandato, ac diligenter ab omnibus reviſum, fidei & diligentiæ Comitis Rothuſii & Domini de Laudoun commiſerunt, ut omnium nomine, captata opportunitate, Regi offerrent: Qui cum multis indiciis perſpexiſſent, ingratum Regi futurum quicquid à ſe oblatum eſſet, ſatius eſſe judicarunt, eundem Regi tunc non exhibere, rati temporis tractu averſionem hanc de Regis animo obliteratum iri, ac fidelitate & ſubmiſſo obſequio, Regis gratia tandem potituros eſſe: ſed improvido unius, & improbo ac maligno alterius conſilio, libelli hujus exemplar furtivè deſcriptum in Epiſcoporum manus pervenit, qui anno 1634. Regem ſtatim monent, rem eſſe capitali ſupplicio dignam,

ac conſulto à Nobilibus illis hierarchico regimini non ſatis faventibus, libelli hujus ſupplicis exemplaria diſperſa fuiſſe, ut paſtores ad aſſumendum veſtitum illum in ſacris difficiliores redderent, quos aliter ſatis æquos & paratos ſeſe habituros jactabant. Etenim Regi perſuaſiſſe feruntur Epiſcopi, Paſtores Eccleſiarum libenter aſſumpturos quem vellet Rex habitum in ſacris imperare, ſed cum re ipſa edocti eſſent, Paſtorum ferè omnium animos ab omni novatione alienos eſſe, veriti ne vanitate hac Regis gratia exciderent, calumniam hanc ipſi cum aſſeclis (hominibus ad dignitates ſupra meritum aut genus ſubito evectis) fabricarunt, ut regis iram capitibus ſuis debitam in alios innocentes derivàrent, ac ſimul ulciſcerentur quam ſibi putabant ſcripto eo illatam injuriam, in quo queſti fuere proceres illi, ab Epiſcopis nobiles quoſdam pontificios electos fuiſſe Dominos articulorum, (quibus articulos omnes in parlamento concludendos, formandi & diſponendi provincia committi ſolet) quod eſſet contra ſtatuta plurima parlamentaria, quibus expreſsè interdicitur Pontificiis quibuſlibet, ne ſedeant tanquam membra cujuſlibet fori, cui ſuprema competit juriſdictio. A Rege tandem importunis horum ſollicitationibus obtinetur reſcriptum, quod paucis quibuſdam ſelectis perſonis, nomine deputationis immediatè à Rege (quam vocant Scoti, *A Committee*) poteſtas concedebatur, procedendi contra auctores & fautores illius libelli ſupplicis, quaſi rei eſſent ſeditionis & læſæ majeſtatis regiæ: quod cum innotuiſſet Guil. Haig ejuſdem formatori licet ſibi minimè conſcius eſſet eorum criminum, quia tamen eoſdem habiturus eſſet Iudices & accuſatores, fuga opportuna vitę ſuę conſuluit, in abſentem tamen lata fuit ſententia, ejuſque bona omnia in fiſcum redacta fuerunt. Nobilium vero, quorum intererat, quidam, in

in quæſtionem vocati ſunt, inter quos Dominus de Balmerino (ſub cujus cuſtodia libellus delituit) poſt arctam multorum menſium cuſtodiam capitis damnatus fuit, ab optimo tamen Rege clementer eidem indultum, cum ex quatuordecim viris more Scotico, ad cauſam capitis diſceptandam & definiendam electis, ſeptem iique nobiliſſimi ac maximæ dignitatis, reum abſoluiſſent, alii verò nobiles forum illud ut incompetens declinando evaſerant.

Interea diligenter ſudatum eſt ab Epiſcopis informandis novis Canonibus Eccleſiaſticis, & libro liturgico, certa ſpe, neminem auſurum ſeſe iis opponere, niſi nobilium illorum fortunam experiri vellet, & majori terrore omnes concutiendos ſperabant ex promotione Archiepiſcopi Andreap. Regni primatis, ſenis capularis & ſeptuagenarii, ad munus Cancellariatus quæ ſuprema eſt dignitas totius regni in ſecularibus, Summi vero theſaurarii, (quę ſecunda eſt dignitas) officium ſpe inani jamdudum devoraverat Epiſcopus Roſſenſis, nunc in flagranti gratia apud Cantuarienſem Archiepiſcopum: Cumque ſint tantum quatuordecim in Scotia Epiſcopi, novem tamen fuere ex ſanctiore Regis ſenatu, & multi in Camera rationum, ſummo divitiarum fulgore, & potentiæ ſplendore, ad quę nuper ſubito evecti fuerant, nihil quod vel in repub. vel in Eccleſia auſuri eſſent, impervium aut difficile fore, nimis credula, ad regno & Eccleſiæ noxia fallacia ſibi perſuaſere. Excuditur tandem liber Canonum in uſum Eccleſię Scoticanæ, authoritate regia non ſolum ratus habetur, verum etiam jubentur omnes ſubditi in Regno Scotiæ, in omnibus articulis ſemet ſubjicere Epiſcopali cenſuræ. Per conſtitutiones uno ictu, tota ditiæ Eccleſiaſticæ, (hactenus cum fructu in Eccleſia Scotica obſervatæ, & frequentibus legibus in ennni trium ordinum Regni conventu ſupremo,

B 3 ſeu

ſeu parlamento, latis, ſancitæ) ſtructura evertitur, conſiſtoria ſeu ſeſſiones, Claſſes ſeu presbyteria conventiculorum loco habentur, rejiciuntur ſeniores laici & diaconi, omnes cauſæ Eccleſiaſticæ ad Epiſcopi ſolius tribunal revocantur. Iam pridem diſciplinæ Eccleſiaſticæ nervos inciderant, quædam tamen facies licet elanguida manebat, per illa reſtantia rudera, oſtendens qualis olim Troja fuiſſet, ſpem etiam faciens, quam glorioſum ædificium extrui poſſet, ſi Deus oculo miſericordiæ vaſtatam ſuam vineam reſpicere dignaretur: licet poſt infælicem illam Synodum Perthenſem, nullus conventus aut Synodus nationalis fuiſſet, manebant tamen provinciales Synodi, præsbyteria, ſeſſiones, quibus (licet vanis ferè nominibus) ſe mutuo ſolabantur viri boni: At monſtroſo hoc canonum partu in lucem extruſo ipſum nomen ablatum, neque dubitabant quin omnium ulnis libenter ſuſciperetur; Sed quam vana ſpe ſe lactaverint ſubito patuit, etenim ubique malè formatus hic partus rejectus eſt, tum propter abſurda literis quaſi majuſculis in fronte notata, qualia ſunt, quod omnes vetentur ſub pœna excommunicationis, aliquid in dubium vocare; quod in libro Canonum aut in libris Liturgiæ & Ordinationis (tum nondum impreſſis) contineretur, licet liber ille canonum habeat, quicquid Anglorum liber continet, quæ Epiſcopi non potuerunt ignorare, vocari in dubium quotidie à Scotis & aliis fere omnibus reformatis Eccleſiæ, ſed & multa nova ſuperaddita ſint de quibus in Anglorum canonibus nec vola nec veſtigium, quorum pauca ſpeciminis loco exhibebo, uti ſunt cap. 18. 9. *Sacramentalis confeſſio & abſolutio*, literis etiam majuſculis, qua verendum eſt, ne auricularis confeſſio Eccleſiis obtrudatur, præſertim cum in libro liturgico jubentur omnes ſemel ſaltem in anno participare Sanctæ cœnæ, & ad

ad alia omnia Sacramenta accedere, quid prohibebit, quo minus inter alia Sacramenta ad quæ adultioris ætatis homines jubentur accedere, ponatur Pœnitentiæ Sacramentum? Cujus pars primaria eſt auricularis confeſſio; ideo dicta Sacramentalis, & præter hujus generis plurima, quæ vel cæcis ſpectanda offerunt; ambiguitatibus libellum illum ſcatere queruntur Scoti, ſub quibus myſteria quædam occultantur, quæ ſolui deſiderant, ut ſunt, Dum jubentur paſtores urgere operum neceſſitatem, quaſi impudentia ipſa auſit quempiam Paſtorum in Eccleſia Scotica reum agere contrarii dogmatis. Sed quid ſi efficacem neceſſitatem operum ad juſtificationem intelligant canonum fabri; nec ſine cauſa tale quid de quibuſdam eorum ſuſpicari licet, nam licet dogma ſit apertè Pontificium, totam humanæ ſalutis per Chriſtum partæ ſtructuram convellens, à multis tamen hodie reſorbetur, & tractatus ea de re publicè proſtant in vicina Anglia, ſine ullo auctorum papaturientium damno, aut cenſura, ad quam heterodoxiam amplectendam queruntur Scoti, contribulium ſuorum quoſdam plenis velis ferri, ſic cap. 8. § 4. inſinuant, diſciplinam ſicut nec doctrinam ad reformationis perfectionem nondum perveniſſe, ideoque ſedulo videntur caviſſe, ne ullibi mentio haberetur de receptis Eccleſię Scoticæ confeſſionibus fidei: Quod, quid aliud eſt, quam omnibus novitatibus in doctrina portam patentiſſimam aperire. Porro cum defectus illos in doctrina compertes habeant Epiſcopi (alioqui ejuſmodi ſuſpitionibus non gravarent) cur non aliis amicè monſtrant? Sed illa fortaſſe myſteria ſunt Eleuſina, iiș ſolis aperienda, qui cœcæ obedientiæ ſpecimine exhibito, ſeſe ejuſmodi Doctoribus, diſcipulos dignos præbuerunt, nec dubitandum, quin tempore opportuno in atria & ipſum cubile deducendi ſint, ubi

Calvinum, fanaticum illum Puritanum (nam hiſce elogiis ab Hierarchicis, heroes illi vulgo appellantur) videbunt ad partes vocatum, & magiſteriali virgula flagellatum, quod auſus fuerit ſanctiſſimum papam Antichriſtum vocare, quod nulla ſpiritualis communio, cum idololatrica illa Eccleſia Romana, habenda ſit, quod non expectata ordinatione Genevenſis Epiſcopi auſus ſit cathedram paſtoralem *Genevæ* conſcendere, licet petitus votis civium & ſuffragiis honorabilium, quod hoc ſuo audaci cœpto viam ſtraverit aliis, præſertim *Iohanni Knoxio* Scoti diſcipulo, qui non expectata Epiſcoporum ordinatione (qui tunc intentiſſimis animis Chriſti teneram Eccleſiam in Scotia diſſipabant) auſus ſit pro Paſtore ſe gerere, licet à plebe petitus (quam maximè poteſtatem habere, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi, atque illud de Divina authoritate deſcendere, olim teſtatus eſt *Cyprianus*) & à legitimo presbytero *Iohanne Rough* ordinatus: etenim ſi jure Divino ordinatio Paſtorum Epiſcopis competit, totus ferè beatus chorus reformatorum injuſtæ intruſionis rei peragentur, & mirandum illud divinæ benignitatis opus in Eccleſiis reformandis in dubium vocabitur. Audiet etiam alia majoris momenti, quam iniquè ſcilicet & rigidè ſe geſſerit *Auguſtinus* contra *Semipelagianos*: *Calvinus* & *Genevenſes* contra *Caſtalionem*, Synodus *Dordracæna* contra *Remonſtrantes*, quam utile ſit Imagines in templis locare, ſigno crucis ſignari, coram altari genu flectere, quam nullius momenti ſint controverſiæ, inter reformatos & Pontificios agitatæ, quam facilis partium reconciliatio, niſi paucorum puritanorum obſtaret pertinax moroſitas. Verebantur etiam ad hæc Scoti, ne ſub obſcuris ejuſmodi verborum involucris, ea Eccleſiis Scoticis obtruderentur, quæ alibi hactenus

publicè

publicè & cum multorum applauſu docentur, querebantur etiam in iſtis canonibus Epiſcopos ſibimet ipſis indulgere, ac durius cum Paſtoribus agere, quam Pontificii Epiſcopi cum clero ſibi ſubdito agere ſoleant: ereptum paſtoribus jus liberorum regni civium: tum, dum licet verbis, concedatur appellatio, ab injuſta ordinarii præſulis ſententia, ad Regem: negetur tamen libertas appellationem proſequendi, niſi primum petita & conceſſa licentia à præſule parte adverſa; tùm etiam, quod paſtorum virginitatem colentium, aut aliorum ſine liberis decedentium teſtamenta non ſint rata, niſi prius obſervetur conditio quam præſcribunt Epiſcopi, Eccleſiam maxima bonorum parte dotandam. Pium hunc præſulum affectum in Eccleſiam laudant, ſed qui aliis tam comiter viam monſtrant ipſos præire jubent, ut qui primi ſunt in decernendo primi ſint in conferendo, verborumque liberalitati, reſpondeat rerum largitas, ut in ſimili cauſa loquitur Salvianus, Nec æquius quid ab Epiſcopis in hoc negotio fieri poteſt, quam ut ex ſuperfluitatibus aliquid ſeponant in pios uſus, ſaltem pecunias illas, quas ex venundatione officiorum curię *Commiſſionariatus* corradunt, præſertim, cum nullum officium publicum, cui jus dicendi poteſtas competit, in toto Regno venum exponatur, iis ſolis exceptis, quæ ad Epiſcoporum forum pertinent.

Hujus generis multa ab Eccleſiaſticis objecta, ſed Laici, quibus libertas patriæ chara, impatientius fremebant, dum canonibus hiſce, duriſſimum injectum jugum conſcientiis viderent, ita ut vix liberioris auræ hauſtus reſtaret, niſi actiones ſuas ad nutum paucorum ambitioſorum præſulum componerent, Si vel in dubium vocarent, rubricam aliquam in libris edendis & editis, paratum in ſua capita excommunicationis tremendæ fulmen videbant;

ſed duriſſimum longe judicabant aliis eandem pœnam decerni, qui converſati fuerint cum excommunicato; præſertim cum metuendum ſit, ne excommunicationis fulmen vibretur in homines innoxios, ac ignaros quid rerum agatur, ſæpe ob non ſatis fideliter ſolutas decimas, aut expenſas Curiæ Epiſcopalis: vocabant in memoriam, quam ſervili jugo premerentur ipſorum majores ſub papatu terrore excommunicationis, ob res viliſſimas, neque ſpem eſſe, mitiores futuros Epiſcopos hodiernos, qui licet cap. 18. § 2. Excommunicationem *ſummariam* damnent, quæ legitimis citationibus non præcedentibus lata ſit, cap. tamen 8. § 4. Quoſdam *ipſo facto* excommunicatos dicunt, quam excommunicationem juris, ſeu latæ ſententiæ Canoniſtæ papales vocant, in qua ſummam Tyrannidem latere ingenuè profeſſus eſt *Spalatenſis* Archiepiſcopus. Et quia legibus regni Scotiæ excommunicatorum bona, niſi intra præſcriptum tempus, Eccleſiis ſe ſubmiſerint, in fiſcum redigenda ſtatuuntur, Ideo videbant omnes ſuas fortunas & quicquid hominibus carum eſſe ſolet, præſulum arbitrio exponi, in quos peccare durius eſſet, quam in ipſum Regem. Neque Panicum hunc fuiſſe timorem, fidem faciebant acta præſentia Epiſcopi Gallovidiani, qui, ut rudimentum poneret flagrantis zeli, quo fervet ad omnes non ſolum Eccleſiæ Anglicanæ cæremonias, verum etiam papaturientium heterodoxias promovendas in Scotia, habita celſa commiſſione in propria diœceſi, abſentibus Archiepiſcopis, ejus fori præſidibus, & pauculis aſſeſſoribus ſibi adſcitis; omnes ferè, qui magiſtratu fungebantur in oppido Kirkudbrigh in jus vocat, quod proprium paſtorem virum octuagenarium, audierint concionantem poſtquam Epiſcopali ſententia à functione Miniſterii depoſitus aut ſuſpenſus eſſet, quod difficilem ſe exhibuiſſet

in

in recipiendis cæremoniis Perthenſibus, &, quod fidem fere ſuperat, Paſtoris illius filium oppidi tum Conſulem (ſeu, ut vulgo vocant, Balivum) in carcerem trahi jubet, quod reum & citatum patrem foro huic non exhibuiſſet, uti ferebatur. Eodemque tempore, nobilem quendam primariæ in iſta provincia familiæ & dignitatis, pecunia prius bene mulctatum in remotiſſimam à propriis ædibus urbem relegatum miſit, quia forum illud tanquam extraneum, nullis Parlamenti ſtatutis munitum declinaverit. Ex hoc uno audaci facinore diſcebant omnes omnino laici, cujuſcunque ordinis & dignitatis eſſent, quid ſibi à clementia Epiſcoporum expectandum eſſet; interim quia nondum ſeverè urgebant omnes ubique Epiſcopi librum hunc canonum in Synodis provincialibus, omnia in publico ſtatu fuere pacata, nullus publicus motus exortus, ſed manifeſta maximorum tumultuum indicia cernebant ubique prudentiores, ſi prout cæpiſſent pergerent Epiſcopi, quibus niſi mature obviam iretur, fumus ille in flammam erumperet, quæ Eccleſiæ & Regno ruinam tantum non allatura eſſet.

Sed hæc Epiſcopi contemnentes, ut ſtatuerant, excudi curant librum liturgicum, ſeu communium precum in uſum Eccleſiarum Scoticarum, nullo præeunte conſenſu Eccleſiarum, quibus, regio mandato imperatur, ut omnes eundem reverenter recipiant, tanquam unicam divini cultus publici formam, tempus etiam definitum, videlicet Paſchatis feſtum anni 1637 ad quem diem Senatus regius ſtatuit, ut unaquæque Eccleſia, duo ad minimum exemplaria emeret in uſum Parochiæ, & pretium ſatis liberale, libris illis coëmendis deſtinatum, in eorum Epiſcoporum utilitatem, qui fætui huic formando maximam operam navarant.

Porro liber ille idem ferè eſt cum libro communium

nium precum in Angliâ ſi mutationes quaſdam exceperis, paucis quidem in melius ſed pluribus in deterius, lectiones librorum apocryphorum non ſunt hic tam frequentes quam in Angliâ, quæ tamen apocryphorum capita retinentur, ea ut plurimum iis diebus deſtinantur, in quibus frequentiſſimus fieri ſolet (aut imperatur) populi conventus. Dein, cum in Anglia retineatur tranſlatio verſionis vulgatæ Latinæ, præſertim in Pſalmis, hic vero adhæretur verſioni poſtremæ, quæ dicitur Iacobi Regis, atque hæ ſunt mutationes in melius.

At in deterius frequentiſſimæ ſunt; ſpecimen tantum exhibebo in adminiſtratione ſacræ cœnæ, ubi expreſſa mentio pompoſi *apparatus altaris*, ſeu menſæ (quibus vocibus promiſcuè liber utitur) *ſitus altaris juxta murum ad orientem*, *ſtabit Presbyter officiaturus, ad partem ſeu latus altaris boreale, locum hunc occupaturus tantum in principio actionis*, & *dum legitur offertorium, ſtaturus poſtea eo in loco, in quo majori facilitate utraque manu uti poſſet: hæc loci mutatio tantum eſt inchoanda*, *dum dicitur precatio conſecrationis elementorum* (porro locus hic nullus alius eſſe poteſt quam ante altare, facie à populo averſa) *Diaconus* (non qui in uſu Belgarum aut Scotorum & reformatorum in Gallia, ſed tertius ordo cleri) *populi collectas presbytero adducet in pelvim congeſtas, ſumma cum reverentia, qui coram Deo humiliter præſentabit, & altari imponet. Tum presbyter offeret & locabit panem & vinum ſacramento deſtinatum ſuper dominica menſa.* In prima precatione poſt finitum offertorium, *fit luculenta mentio mortuorum, pro quibus Deo gratiæ aguntur*. frequens mentio, *paſtorem debere ſe aliquando ad populum convertere* (aliquando ergo avertitur.) In oratione conſecratoria, quę in Anglico clara fuêre contra transſubſtantiationem, omittuntur, eorumque loco ea ponuntur, quæ Pontificiorum, Vbiquitariorum ſenſum ferre, abſque ulla

ulla deflectione poſſunt, *Audi nos benigne Pater*, & *pro omnipotenti tua bonitate concede, ut ita benedicas & ſanctifices verbo tuo, & ſpiritu tuo ſancto hæc tua dona, has tuas creaturas panis & vini, ut ſint nobis corpus & ſanguis dilecti filii tui, &c.* quæ ſunt formalia verba Canonis Miſſæ. In eadem precatione margini apponuntur hæc, *Presbyter officians ſumet ſeu tollat patinam in manus, dum hoc eſt corpus meum repetitur*, & *calicem, dum dicitur hic eſt ſanguis novi Teſtamenti*, finita conſecratione immediatè ſubjungitur *memoriale*, ſeu oratio oblationis (quæ in miſſali Romano vocatur oblatio rememorativa) in qua dicitur, *Chriſtum voluiſſe nos illud memoriale celebrare in memoriam, non ſolum beatæ paſſionis, ſed & potentis reſurrectionis, glorioſæ aſcenſionis, &c.* &, ut verbo dicam, quantum declinat hic liber ab Anglico, tantò propius accedit ad miſſale Romanum, plurimas alias mutationes in deterius obſervarunt Scoti, & profitentur apertè, ſe probaturos omnes materiales partes canonis miſſæ, ſeminaliter ibi poſitas, & parvo temporis intervallo miſſam poſſe inde fabricari.

Sed redeo ad narrationem, defunctus neceſſaria hac excurſione, quia librorum horum in ſequentibus frequentiſſima futura eſt mentio, utpote, quod omnibus hiſce diſſidiis cauſam dederint, Epiſcopis omni conatu urgentibus, ut ab Eccleſiis reciperentur, nullo præeunte Synodi Nationalis examine aut judicio, cujus conſenſum ſe nunquam obtenturos ſciebant, itaque denuo, ad ſupremum Regis ſenatum confugiunt, cujus mandato omnes jubentur regio mandato parere, cum certificatione (ut ita loquar) niſi in uſum Parœciarum ſinguli Paſtores duo exemplaria comparent, ſe interdicturos eis aqua & igni, rebelliumque pœnas non evaſuros. Interim vero quidam Epiſcoporum, non expectato die à Rege præfinito (Paſchatis feſto) ſtatim ea li-

turgia in cathedralibus Eccleſiis uſi ſunt, præſertim Roſſenſis & Dumblanenſis Epiſcopi, librorum iſtorum primarii authores, & Eccleſiis antea de ἑτεροδοξίᾳ valdè ſuſpecti. Alii cum Synodis Provincialibus egerunt, in quibus reſpondebant Paſtores, non poſſe ſe tam inſignem cultus divini publici mutationem probare, niſi re bene perpenſa & examinata, iniquum eſſe, ea tam magni momenti Eccleſiis invitis obtrudere, de quibus nulla unquam habita ſit in Synodis Nationalibus deliberatio aut cenſura, quibus ſuprema in rebus hujus materiæ competit poteſtas: Canones Eccleſiaſticos nullibi unquam latos aut ſancitos fuiſſe, quam in Synodis, agnoſcentibus & ſtatuentibus illud Hierarchicorum doctiſſimis, præſertim *Lanciloto Wintonienſi Epiſcopo* in concione de jure & poteſtate convocandi conventus, *& Bilſono*. æquum ergo eſſe, ut res hæc Nationalis Synodi judicio ſubmittatur. Ad hanc exceptionem variè reſponſum, quibuſdam Epiſcopis ſilentio ſupprimi ſatagentibus omnem Synodorum Nationalium mentionem; à quibus tam metuebant quam ab œcumenicis Pontifices Romani. Aliis vero apertius affirmantibus, omnem canonum & rituum Eccleſiaſticorum ſanciendorum authoritatem ſibi ſolis, ut Eccleſiam repræſentantibus competere; Paſtoribus cæteris, ſeu ſolis, ſeu congregatis, obedientiam ſolum relictam eſſe: in quibuſdam tamen Provincialibus Synodis, deliberandi tempus ex gratia conceſſum, ad Synodum Provincialem proximam, quæ menſe Octobri habenda fuit, anni currentis 1637. præſertim in diœceſi Edinburgena (quam ad nouum Epiſcopatum erexerat Rex anno 1633.) ſed quorundam præcipitantium impetu, qui omnem moram fervidis ſuis conſiliis damnoſam putabant, procuratur novum à Rege ſereniſſimo mandatum, quo Eccleſiæ urbis Edinburgenæ

(quæ

(quæ regni metropolis eſt) jubentur liturgiam hanc ſtatim omni mora poſthabita admittere, cujus mandati vigore convocantur oppidi illius Paſtores: renuentibus, abſque omni legitimo proceſſu ſtatim indicitur ſilentium, qui obedientiam ſpondent ad libri liturgici lectionem publicam, die dominica ante matutinam concionem ſe comparant.

Ad inſolitum hoc ſpectaculum magnus fuit populi concurſus, cumque vidiſſent, libros illos ab Epiſcopo productos (qui primum actum in cathedrali Eccleſia peragi per ſe æquum putabat) ingentem edunt fremitum, ac Templo excedunt, non ſine diris imprecationibus in capita Epiſcoporum & aſſeclarum: clauſis oſtiis peragitur ſacrum, quæ, ſibi à plebe metuentes Epiſcopi, qui frequentes intererant, occludi curarunt per magiſtratum urbis: finitis ſacris, egrediente templum Epiſcopo ingens oritur populi tumultus, à verbis devenerunt mulieres ad verbera, à quarum furore niſi maturè ſubductus fuiſſet, præſentiſſimum vitæ periculum, non effugiſſet. In cæteris oppidi templis aut cogebantur lectionem intactam relinquere, aut interrumpere. Cogitur ſtatim regius Senatus à prandio, qui indignitate rei motus, ſtatuit diligentiſſimè indagandos tumultus authores, ac ſub pænis ſeveriſſimis omnibus interdicitur, ne aliter quam honorificè & reverenter de Epiſcopis, eorumque actionibus, ac libris hiſce loquantur; ſtatutum quoque, ut continuaretur liturgiæ lectio: ſed ſacris pomeridianis finitis, major oritur ſævientis populi contra Epiſcopum fremitus: non defuere quæcunque furor arma procaci & irritatæ plebi miniſtrat: ſed ille curru magnatis tectus evaſit, injuriam hanc vindicaturus. Nam omnia ad Regem delata fuêre, non ſine amplificationibus, quibus clementiſſimum ipſius animum ad extremam vindictam irritarent; niſi

Senatu

Senatus regius literis mollioribus (quibus cives ſpectatos, & alicujus nominis, liberabant, culpa in procacem plebem, mulieres, præſertim viliores, rejectâ) ad clementiam flexiſſent. Interim tamen nulli habiti fuerunt conventus ſacri diebus hebdomadariis; nec ad publicas preces, aut conciones (uti antea fieri conſuevit) integri menſis ſpatio patebant templa, ita ut oppidum quaſi interdicto Eccleſiaſtico ſubjectum fuit, quod furorem populi, ſat hactenus ſævientis, inflammavit.

In aliis regni partibus, haud minori diligentia urgentur omnes ab Epiſcopis, ut librum liturgicum reciperent; & quia præſens periculum, omnium, qui reſiſtebant, capitibus imminebat (nam Senatus regii edicto omnes terrebant Epiſcopi) ideo ne ignavo ſilentio, ſibi atque Eccleſiis deeſſent Paſtores; ii maximè, cum quibus acrius inſtabant Epiſcopi, Senatum regium ſupplices adeunt, ac rogant, ne tam manifeſta vi Eccleſiam opprimi ſinerent, ſe paratos mutare, quicquid in recepta à majoribus diſciplina & liturgia, vitioſi à quoquam oſtendi poſſit: ſumma capita errorum, in hiſce libris contentorum notant, ac diſputationem, ſeu amicam collationem ſuper iis offerunt, oſtendunt quantorum malorum res ſit, mutationes in Eccleſiis introducere, etiam in melius vergentes; quas plus novitate turbare, quam utiliter prodeſſe, (licet veterum exempla non oſtenderent) miſeram præſentis Eccleſiæ ſub ſchiſmate gementis, faciem declarare dicebant: violenta obtruſione liturgiarum peſſundatas fuiſſe Auſtriacas reformatas Eccleſias; notabant etiam infœlices illas controverſias, quibus vexata fuit Eccleſia regnante Carolo Magno, aliis Ambroſianæ liturgiæ adhærentibus; aliis in illius locum Gregorianam ſeu Romanam promoventibus; ac quibus calamitatibus Hiſpaniæ regnum

olim concuſſum fuerit, regnante Alphonſo 6, qui conſilio legati Pontificii veterem Mozarabicam liturgiam, antiquaturus, ut Gregorianam introduceret; omnibus ordinibus regni reclamantibus. Denique quam fragili loco res Eccleſiæ ſtarent; ſi ad paucorum, aut Principis libitum, cultus innocens hactenus cum magno piorum fructu obſervatus, ſine prævio conſenſu Eccleſiarum mutaretur; idque in cultum non uno nomine vitioſum. Si hæc nunc permittantur, poſſe à poſterioribus principibus deteriora in horum locum introduci; nam nunquam defuturi ſunt ex Eccleſiaſticorum ordine; qui ut aulica gratia fruantur purpuram inſtar Ecebolii colant. Optima quidem de sereniſſimi Regis pietate omnibus eſſe perſuaſum: ſed omnium regnorum hiſtorias abundè docere, ſucceſſionem plurium Regum, eodem modo erga cultum divinum affectorum, rarò occurrere, interim non eſſe, quod hæ mutationes in regem rejiciantur ab Epiſcopis; qui ante quadriennium regno inauguratus, ſolenni & ſacro juramento ſe obſtrinxerit, ne quid in regno hoc Scotiæ mutaret; niſi legitimo, quorum intererat, præeunte conſilio & conſenſu. Quare ſenatum regium enixè & humiliter obteſtantur, ut malis hiſce obviam ire velit, ac ſeveri hujus decreti rigorem lenire.

Annuit ſenatus, ac declarat, ſibi per decretum illud nunquam in mentem veniſſe, ut in praxin publicam deducerentur libri illi: hoc ſe ſolum voluiſſe, ut ſinguli paſtores exemplaria compararent in uſum privatum, ut diligenter inquirerent, quid in iis ſit, cur admitti non debeant, ſi sereniſſimus Rex poſtea urgeat.

Quam gratiam paſtoribus illis à ſenatu conceſſam, animo non ſatis æquo tuliſſe Epiſcopos relatum eſt; nam cum antea omnem invidiam ex obtruſione librorum ortam in Senatum regium

ceſſuram ſperaſſent, nunc ſe, à ſenatu derelictos, tanquam piacularem hoſtiam omnium furori objectos vident; Ac pro ſolita prudentia, quâ hactenus uſi fuere, putabant rerum periti quieturos eos, donec melior offerretur opportunitas: ſed veriti ne Regi tandem innoteſceret, ſe ipſius majeſtati vanis promiſſis impoſuiſſe, (cui perſuaſerant, negotium hoc ſine publico motu facile promoveri poſſe, pluримoſque omnium ordinum ſubditos ſummis votis libros illos expetere;) ne inquam hæc fraus ſtatim pateret, ſecunda vice rem tentandam cenſent: ſed irrito conatu, nam licet nihil intentatum reliquerint, quo blandis pollicitationibus aut vi paſtores in ſuam ſententiam pertraherent; nihil tamen effecere, niſi quod piſcatores iſtos ſapere docuerint; qui videntes, ſe antiquato illo ſenatus regii mandato, quotidie ab Epiſcopis premi, ad ſenatum denuo confugiunt, ardentibuſque precibus rogant ut ſe & alios qui adhuc domi ſe modeſtè continent liberare velit, à juſto metu introducendarum novitatum, via tam iniqua; Epiſcopiſque mandaret ne Provincialibus paſtoribus negotium faceſſerent, ſub horum librorum prętextu quos erroribus apertis & ſubdolè tectis ſcatere ſe probaturos dicebant, cum ſenatui Regio viſum erit. Aderat tunc paſtorum numerus frequentior ex omnibus regni partibus, ſimul cum ſenioribus Eccleſiarum, ut ſenatoribus regiis conſtaret, non eſſe ſolos Paſtores, quibus libri illi diſplicerent. Multi tum exhibiti libelli ſupplices (nam ſigillatim adhuc agebant cauſam hanc communem) quidam moderatiori ſtylo compoſiti, tradebantur illuſtriſſimo *Duci Lennoxiæ*, (qui non ita pridem ab aula regia venerat, ad matris exequias faciendas Paſleti in Scotia, ac tum ſtatim in Angliam reverſurus erat) ut Regi in manus traderet. Reſponſum tum etiam iiſdem datum à Senatu, interdictum eſſe

Epiſco-

Epiſcopis, ne ulterius libros illos obtruderent: ſe etiam sereniſſimum Regem certiorem feciſſe de ipſorum poſtulatis; ac reſponſum, voluntatemq; regiam cum acceperint, communicaturos. Gratiis Senatui actis, ſupplices omnes tum paſtores, tum Eccleſiarum ſeniores Laici, ut vocant, (qui omnes ferè nobiles primariæ dignitatis aut primarii urbium magiſtratus fuere) læti domum ſe contulerunt, ac precibus privatis, publiciſque ſupplicationibus ac jejuniis cum Deo egerunt omnes, ut Regis piiſſimi conſilia, in bonum publicum Eccleſiæ & regni converterentur; hoſtiumque conatus, cuniculis ſat hactenus quaſſatam Eccleſiam ſuffodientium, irritos redderet.

Cum accipiunt regium ab aula tabellarium venturum, illico Edinburgum frequentes convolant; ubi loco benigni reſponſi, ſeverum contra eos vibratur edictum regium, Octobris 18, quo omnes ſub rebellionis pœna jubentur Edinburgo diſcedere intra paucarum horarum ſpatium; quaſi ipſorum præſentia plebem Edinburgenam ad tumultus excitaſſet. Et quia Edinburgeni bis auſi fuere Epiſcopis librum liturgicum introducentibus ſeſe opponere, ac in Epiſcopum Edinburgenum impetum facere, pœnæ loco removentur inde omnia tribunalia juridica; videlicet ſenatus regius, Camera rationum & Seſſio. (Seſſio porro, quam vocant, eſt ſupremum tribunal civilium cauſarum omnium ad quod appellationes omnes deferuntur, inſtitutum à Iacobo V. Scotorum Rege, ad ſimilitudinem Parlamenti Pariſienſis cujus propago eſt.) Et quia nullibi commodus locus inveniri potuit, nulla fuit in foro eo cauſarum civilium dijudicatio, quo juſtitio non ſolum urbs Edinburgena, ſed omnes regni ſubditi graves Regi pœnas dedere.

Promulgatio horum edictorum mirum quam

omnium ordinum ſupplices incenderet, qui cum cognitum ſe habere dicerent, per Epiſcopos ſolos ſtetiſſe quo minus Rex pro conſueta ſua benignitate poſtulatis ipſorum clementer reſponderet & loco levaminis, iniquiſſimorum gravaminum, ſub quibus patienter adhuc gemebant, novo onere preſſerit, ac urbe excedere juſſit quaſi eorum præſentia ſeditionibus viam ſterneret, gravem querimoniam contra Epiſcopos Senatui regio offerunt Octobris 19. Atque cum libri illi canonici & liturgia ſemina ſuperſtitionis & idololatriæ contineant; Rogant, ut cum Epiſcopis eorum auctoribus ſolis jure agere ſibi liceret, quos aliorum etiam criminum reos ſe peracturos profitentur, quæ niſi liquido probent, nullam recuſant pœnam, capitibus, honori, bonis infligendam.

Libello huic ſupplici ingens omnium ordinum numerus ſubſcripſit, ratumque habuere quibuſcunque animus fuit, Eccleſiaſticam libertatem & puritatem cultus divini vindicare à tyrannide Epiſcoporum & mixtura ſuperſtitionis, uti loquebantur. Singuli antea ſeparatim cauſam hanc agebant apud Senatum, quo omnem adverſariis calumniandi anſam præriperent; quaſi oſtentata multitudine & per ſeditionem, vi, à Rege, gravaminum levamen extorſuri eſſent, nunc vero, cum moderatiſſimæ ipſorum actiones in deteriorem partem traherentur, regiſque clementiſſimi aures falſis & fictis ad invidiam criminationibus occluſas æquiſſimis ſubditorum ferè univerſorum totius Regni poſtulatis cernerent, quaſi præ paucitate contemnendi eſſent, ſeditioſi iſti puritani (quibus titulis probroſis defamantur ab Hierarchis, omnes, quibus miniſtrorum paritas, rituumque Apoſtolicorum ſimplicitas arrident) conſultiſſimum itaque cenſebant, ut communis hæc Eccleſiæ cauſa, junctim ageretur, quo Regi

innoteſceret. non paucos eſſe, (ut mentiebantur adverſarii) ſed quamplurimos omnium ordinum, Deo Regique fideles ſubditos, quorum ſumma deſideria eò contenderent. Senatui etiam modeſtè oſtendunt, ſe non poſſe Edinburgo diſcedere, donec via aliqua monſtretur, qua à præſentibus & imminentibus graviſſimis periculis liberarentur.

Manſere itaque admodum frequentes, & numerus indies crevit, omnibus ex remotiſſimis Regni Provinciis Edinburgum convolantibus, ut in cauſa communi conſilia conferrent: & quia non ſine cauſa verebatur Senatus regius, ne tumultus aliquis & graviora mala ex tanta frequentia orirentur, rogat, ut ſupplices ſemet ſepararent, ſigillatimque gravamina quiſque proponeret, nam ſic diviſos facilius placari aut everti poſſe ſciebat. Nec ignotum Epiſcopis, qui Senatus magnam partem faciebant, inde natam Britannorum olim ruinam per Romanos; de quibus Tacitus: dum ſinguli pugnarent vincebantur univerſi: ſed fatalia ejuſmodi conſilia, cauſæ ruinam minitantia, aſpernabantur libertatis Eccleſiaſticæ vindices, nec ullis artibus aut minis adduci potuerunt, ut ſe ſepararent: multis colloquiis ultro citroque habitis,. tandem inter Senatum regium & eos convenit, ut frequens hic conventus dimitteretur, ſed ea conditione, ut ante dimiſſionem liceret ſupplicantibus ex ſuorum numero, quibus maximè fiderent, aliquot eligere, qui pro legitimis deputatis à Senatu regio haberentur, quibus liceret, omnium ſupplicum nomine, actionem hanc contra Epiſcopos proſequi, & pro ut res ferret, conſilia communicare, ac ea omnia agere, quæ ad cauſam hanc communem promovendam conducerent: quos etiam ſe certiores facturos, ſenatus ſpopondit de voluntate regia circa hanc cauſam. Vigore

hujus conventus eliguntur ex majoribus Nobilibus (hoc eſt Comitibus, Vice-comitibus. Baronibus majoribus regni, jure naſcendi Senatoribus, vulgo Dominis Parlamentariis) quatuor, totidem ex minore nobilitate, tanquam Provinciarum deputati, totidem civitatum legati, ac quatuor denique Paſtores Eccleſiarum, tanquam claſſium deputati, ordinem etiam ſtatuunt, quo alii per vices in horum locum ſubmitterentur, ac quo omnibus per univerſas regni Provincias innoteſceret, quis eſſet rerum ſtatus. Hiſce conſtitutis, pacatè ſinguli ad propria ſe conferunt; omnibus primum ſerio monitis, & ſacroſanctè pollicentibus, vitæ ac morum emendationem, ac ſerium precum ac jejunii uſum, quo Deum, precatis populi in ſenſum, propitium redderent, ut Regis piiſſimi & æquiſſimi cor ad ea conſilia flecteret, quæ divinam gloriam, coronæ ſtabilimentum, & honorem, civiumque ſalutem & pacem promoverent.

His ad Regem delatis, eoque per Senatum monito, omnes hoſce motus inde natos, quod vererentur omnium ordinum plurimi, introductione eorum librorum actum eſſe de antiqua libertate, & contaminatam reformatæ religionis puritatem (quæ omnibus ipſa vita charior eſſet) Senatui interdicit, ne harum controverſiarum judicio ſe interponeret; quarum examen ac deciſionem in ſe ſuſceperit. Præconis etiam voce publicè omnibus ſignificari mandat, non eſſe ſibi ſtatutum, ullam vel legum libertatis aut Religionis mutationem introducere &c. Publicatum fuit hoc edictum menſe Decembri anni 1637. idcirco cum ſupplicum deputati ſæpius Senatum interpellaſſent, ut tandem aliquando liceret actionem contra Epiſcopos inſtituere, reſpondiſſetque Senatus, ſibi à Rege mandatum, ne quos libellos ſupplices acciperent, in quibus aliquid eſſet,

quod

quod libros illos aut Epiſcopos tangeret, quo reſponſo, deluſos, ac vana ſpe lactatos, cum ſe cernerent deputati, nomine omnium Regni civium, quibus hæc res cordi fuit, proteſtationem contra Senatum regium parant, ſeque, pacificis omnibus mediis fruſtra tentatis, Eccleſiis deeſſe non poſſe declarant, ſi quis porro exoriretur in proſecutione cauſæ hujus tumultus, ſoli Senatui ob negatam juſtitiam imputandus eſſet.. Quod cum Senatui regio ſubolere, nec ignoraret, quam proxima fumo eſſet flamma, Epiſcopis (ut fertur) primum monitis, ut ſe à Senatu pro tempore ſubducerent; deputatis comparendi licentiam concedit, qui quia ſciebant difficilem eſſe in Senatum ingreſſum, ante januam Palatii Dalkethenſis (quo in oppido tum cogebantur) præſtolabantur, ut Senatoribus ſaltem egredientibus proteſtationem inſinuarent.

Vbi comparuere Deputati in Senatu, omnium nomine verba fecit nobilis *Dominus de Lowdon, Vicecomes Avrenſis,* ſingulari facundia & animi conſtantia explicabat, quid ab initio libellorum ſupplicum Senatui exhibitorum actum fuiſſet, quæ ipſorum cauſæ, quam modeſtè ac patienter Regis optimi clementiam expectaſſent, & quorum artibus quod ea non fruantur factum ſit, paratos ſe contra Epiſcopos actionem inſtituere, inſtitutamque proſequi, qua ſe probaturos ſuſcipiunt eoſdem graviſſimorum criminum reos eſſe, idque ſub capitum, honorum, fortunarum ſuarum periculo, & pœna, ſi in probatione deficient, aut coram æquis judicibus cauſa cadent, æquitatem itaque poſtulare, ut à Senatu regio excluderentur Epiſcopi, donec de ipſorum innocentia conſtiterit: eſſe abſurdum, eoſdem habere judices & adverſarios, denique Senatores regios obteſtatur, ut procraſtinationibus omnibus poſthabitis, tandem aliquando aliquid hac in cauſa

facerent, quo toti Regno & poſteris oſtenderent, quam chara ipſis eſſet Religionis puritas & juſtitia, duo pacis & fœlicitatis regnorum omnium firmiſſima Columina.

Hanc ejus orationem ſubſequutus eſt Paſtorum Eccleſiæ deputatus. Merozitarum maledictionem horum capitibus imminere demonſtrabat, qui Eccleſiæ laboranti auxilium illud tempeſtivum præſtituri non ſint quod omnium votis ab ipſis expectetur, Deum ſe honorantes honorare; Contemnentes vero ſe, viles & leves facere. Si tempore hoc tam periculoſo, Eccleſiæ Chriſti manum auxiliarem non porrigant reſpirationem & liberationem aliunde exorituram ei, quæ tria S. Sanctæ Scripturæ loca, præſenti occaſioni appoſitè convenientia graviter premebat, uſque adeo ut Senatoribus quibuſdam lachrimas elicuerit; reſpondit Senatus ſibi cauſam hanc, quam commendatiſſimam futuram, ſed, quia expreſſo Regis mandato vetetur circa hanc controverſiam ulterius aliquid agere, dolere ſe, quod Deputatorum votis, nondum ſatisfacere poſſet, rogare itaque ut parvi temporis moram, æquis animis ferrent, donec regiam majeſtatem denuo de omnibus certiorem faceret.

Quare ad Regem ſcribit Senatus, ac monet, omnia media à ſe hactenus tentata eſſe, quibus motus hoſce ſedari poſſe ſperabant, eos tamen indies augeri, nec eorum ſedandorum ullam reſtare ſpem, niſi ſubditis ſupplicantibus aliquid concederet, atque cum harum controverſiarum judicium ſibi ſoli reſervaverit Rex, obſecrantur, ut Senatorum regni Scotiæ aliquot quibus maximè fideret, ad ſe vocaret, cum res hæc majoris ſit momenti, & quæ per literas tranſigi non poſſit, uti ſuo maximo cum dolore hactenus ſint experti. Itaque in Angliam vocatur à Rege Comes Traquarius, magnus Regni theſaurarius,

cujus

cujus opera antea fideli in magnis ſæpè negotiis uſus fuerat, licet tum variis per Epiſcopos eorumque fautores ſuſpitionibus gravatus, &, ut fertur, coram ipſo rege ab iis accuſatus, quod in odium Epiſcoporum (cum quorum primariis graves inimicitias exercere diceretur) nobilibus ſupplicantibus nimium faveret. Quomodo cauſam ille ſuam in aula regia egerit, ac ſe accuſationibus illis liberaverit, nondum ſatis vulgo notum: hoc tamen omnibus quam notiſſimum, omnem moviſſe lapidem quoſdam Epiſcopos, quo regis gratia excideret, quod fortaſſe eum coëgit parcius ſupplicum cauſam Regi repræſentare, nec multorum de eo conceptæ opinioni reſpondere.

Dimiſſus ab aula in Scotiam redit, ac menſe Februario Anni 1638. regium mandatum, quod ſecum detulit Sterlini (qua in urbe tum cogebatur Senatus) publicandum curat, Cujus hæc ſumma fuerat, immerito accuſari Epiſcopos, tanquam librorum illorum authores, quum quicquid ab iis in hoc negotio præſtitum ſit, id ſe auctore & mandante factum, libros porro illos, à ſe diligenter evolutos, in quibus poſt accuratam lectionem, nihil invenerit, quod antiquis legibus, aut receptæ in Scotia religioni noceat, quin contra ſibi perſuaſum, aptiſſimos eſſe ad pietatem ſolidam promovendam, & incrementum Papiſmi impediendum: à quo quantum abhorreat, quotidianæ actiones teſtantur: damnare ſe omnes ſubditorum conventus hactenus habitos, ad exhibendum libellos ſupplices, contra hos innocentes libros, & Epiſcopos eorundem promotores, ſicut etiam omnes ſubditorum, cujuſcunque demum ordinis, ſubſcriptiones in eundem finem, tanquam manifeſtas conſpirationes, ad turbandam pacem publicam, legibus regni frequenter vetitas, concedere tamen

omnium præteritorum veniam iis, qui poſthac, ab iiſdem religioſe abſtinebunt, ac pœnam rebellionis, & læſæ majeſtatis regiæ in contumaces, qui ejuſmodi illicitos conventus in finem prædictum habituri ſint, ſe ſtatuere, Clementer tamen, ſe fidelium ſubditorum ſuorum querelas auditurum, modò nec in materia, nec in forma peccent, hoc eſt, in jus regale non impingant.

Verum medicina hæc ad morbum ſanandum parata eundem auxit, nam cum libertatis Eccleſiaſticæ vindicibus edictum hoc promulgatum iri ſuboleret, proteſtationem parant, & quia rumoribus ſeu veris, ſeu falſis delatum eſſet, ſuggeſtum regi conſilium, de ſummis papaverum capitibus demetiendis (allatis tum ex hiſtoria exotica, tum domeſtica exemplis, & praxi Mariæ Reginæ contra Magnates, qui cum Rege Henrico, Regis avo, conſpirarunt, in cædem fædiſſimi nebulonis & Sycophantæ, Davidis Rixii Pedemontani) & quia locus ad inſidias aptus fuit, ideo frequentiſſimè conveniunt, ac modeſtâ proteſtatione utuntur, ut poſteris ſaltem conſtaret, bonam cauſam ſilentio à ſe non fuiſſe proditam, cujus proteſtationis hæc ſumma fuit, I. Semina ſuperſtitionis & Idololatriæ, in illis libris contineri, præſertim ſi ad regulam opinionum, hodie in Eccleſia Anglicana, publicè defenſarum, exponendi ſint. II. Licet priora illa ſemina Idololatriæ & ſuperſtitionis non ineſſent, manifeſtas tamen eſſe novitates, quæ à Scotis admitti non poſſunt, niſi cum violatione libertatis, legum, ac Religionis receptæ; præſertim cum Scotis invitis obtrudantur, nullo præeunte Synodi Nationalis judicio, penes quam, ſuprema ſemper, in ejuſmodi negotiis Eccleſiaſticis, poteſtas eſſe conſuevit. III. Iniquum eſſe negare libertatem accuſandi Epiſcopos, quos multorum criminum reos eſſe probabunt,

babunt, reipublicæ etiam & Eccleſiæ, quam maximè intereſſe, ne in eminentiori loco conſtitutorum, ſcelera dimittantur impunita. IV. Proteſtantur contra uſum celſæ Commiſſionis, cum ſit Tribunal nullo juris fundamento nixum, nulla lege municipali ſtatutum, ab Anglorum conſuetudine contra leges Regni fundamentales, Scotis obtruſum, nec alium ſe videre illius uſum, quam, ut Epiſcoporum tirannidem ſtabiliret, merum porro eſſe germen Hiſpanicæ inquiſitionis. V. Epiſcopos ſe rejicere tanquam iniquos judices eorumque ſe non poſſe admittere judicia, donec de ipſorum innocentia conſtiterit in foro competenti. VI. Omnes ipſorum conventus, ſubſcriptiones libellorum ſupplicum, ad Senatum regium, in id ſolum inſtitutos, ut cultus divini hactenus recepti, puritatem, contra obtruſas novitates, Eccleſiarum libertatem, contra Epiſcoporum tyrannidem tuerentur, eſſe licitos: ſibique ſtatutum, ad eoſdem fines ſanctos proſequendos ejuſmodi modeſtos conventus frequentare; nec ſe poſſe bona conſcientia ab iiſdem deſiſtere, niſi gloriæ divinæ, honoris Regii, libertatis regni, & Eccleſiæ proditores haberi ſe velint. Proteſtatio hæc lecta fuit, in foro publico Sterlinenſi ejuſque exemplar publicè affixum.

Porro quia jam ſatis perſpexere ſupplices, quorſum extrema illa conſilia tenderent, & cum omnibus imperatum fuiſſet à Senatu regio, ut Sterlino ſtatim diſcederent, quibus nihil privati negotii ibi fuerat, ideo frequentiſſimo numero Edinburgum ſe conferunt monitis ὁμοψήφοις, ut eò quam citiſſimè confluerent, deliberaturi, quæ ad omnium ſalutem facerent, cumque calamitatum quibus olim & hodie premerentur primariam cauſam fuiſſe violationem fœderis nationalis cum Deo initi & ſanciti, in mentem revocarent communi ac unanimi ſenten-

tia

tia concluſum fuit, fædus illud ſolenniter renovandum eſſe, quod vulgo Confeſſio minor Eccleſiæ Scoticanæ, ſeu Confeſſio familiæ regiæ vocatur. Quum vero hujus frequentiſſima futura ſit mentio, aliis propugnantibus, aliis vero teterrimis convitiis oppugnantibus; De verbo in verbum à veritatis ſtudioſo fideliter tranſlatum, ſubjiciendum duxi.

Confeſſio fidei Eccleſiæ Scoticanæ, *Regis chirographo ejuſque Familiæ primum approbatæ, Anno Domini,* 1580. *Poſtmodum ab omnium ordinum regni civibus, Anno* 1581. *ex ſenatuſconſulto, & Synodi nationalis decretis. Cui denuo ſubſcripſerunt omnium conditionum Cives, Anno* 1590. *ex novo ſenatuſconſulto, poſtulante id Synodo nationali: addito inſuper communi fœdere, de vera religione & Majeſtate Regia tuenda. Quam denique, Anno hoc* 1638. *Nos* Proceres, Barones, reliquique Nobiles, urbium Municipes, verbi Dei Præcones, aliique regni Cives, *chirographis conſignavimus, una cum firmo animi noſtri propoſito, pacto promiſſoque (propter rationum quę ſuo loco memorabuntur momenta) purioris religionis & Majeſtatis Regię propugnandæ; ad ejuſdem* Confeſſionis, *& ſanctionum regni præſcriptum, quarum formulę ſequuntur.*

Nos univerſi, & ſinguli ſubſcribentes profitemur, poſtquam de Religionis controverſiis diu multumque apud nos deliberatum eſſet, cunctis ad lydium veritatis Divinæ lapidem accuratius examinatis, in veritatis certa perſuaſione per Dei verbum, & Spiritum ſanctum animos noſtros acquieſcere: Ideoque corde credimus, ore confitemur, conſignatis chirographis teſtamur, & conſtanter aſſerimus, Deo teſte invocato, & univerſo genere humano in conſcientiam appellato, hanc unicam eſſe fidem, & religionem Chriſtianam Deo acceptam, hominique ſalutarem, quæ nunc ex immenſa Dei miſericordia, per Euangelii prædicationem mundo patefacta, à multis Eccleſiis, gentibuſque clariſſimis, præſertim

ab

ab Eccleſia *Scoticana*, Rege noſtro ſereniſſimo, tribuſque regni hujus ordinibus, ut æterna Dei veritas, & unicum Salutis noſtræ fundamentum, recepta, credita, & propugnata eſt, explicata etiam uberius in *Fidei Confeſſione majori*, plurimis Comitiorum publicorum actis confirmata, Regiſque ſereniſſimi, & univerſorum hujus regni civium publica multorum jam annorum profeſſione approbata: Cui Nos confeſſioni, cultuſque Divini formulæ, ut veritati Divinæ, certiſſima ſacrarum literarum autoritate ſubnixæ, libentiſſimis animis in ſingulis aſſentimur: omniaque adeo contraria de religione dogmata averſamur: præſertim vero Papiſmum univerſum, & ſingula ejus capita, quemadmodum hodie Dei verbo confutata, & ab Eccleſia *Scoticana* damnata ſunt. Nominatim deteſtamur Antichriſti illius Romani in ſacras Scripturas, in Eccleſias, in Magiſtratum politicum, in hominum conſcientias, ſacrilege vendicatam autoritatem, nefarias omnes de rebus adiaphoris leges, libertati Chriſtianæ derogantes; impium de ſacrarum literarum, de legis, de officii Chriſti, de beati Euangelii imperfectione dogma; perverſam de peccato originis, de naturæ noſtræ impotentia, & in legem Divinam contumacia, de juſtificatione per ſolam fidem, de imperfecta noſtra ſanctitate, & obedientia legi præſtanda, de natura, numero, & uſu ſacramentorum doctrinam; quinque adulterina ſacramenta, omneſque ritus, ceremonias, falſaſque traditiones genuinorum ſacramentorum adminiſtrationi citra autoritatem verbi Divini accumulatas, crudelem de infantibus ſententiam ante baptiſmum morte præreptis; diſtrictam & abſolutam baptiſmi neceſſitatem; blaſphemam de tranſubſtantiatione & corporali preſentia Chriſti in cœnæ Dominicæ elementis, cujus etiam impii fiant participes; atque orali ejuſdem manducatione

doctri-

doctrinam; juramentorum, perjuriorumque gratiam faciendi arrogatam poteſtatem; matrimonii in gradibus verbo Dei interdictis permiſſionem; crudelitatem erga innocentes matrimonii nexu ſolutos, diabolicam miſſam; ſacrilegum ſacerdotium; abominandum pro vivorum mortuorumque peccatis ſacrificium, hominum indigetationem ſeu canonizationem; angelorum mortuorumque invocationem, crucis, imaginum, reliquiarumque venerationem, in creaturarum honorem dicata fana, dies ſacratos, vota nuncupata, purgatorium, pro defunctis deprecationem; ignotæ linguæ in precibus ſacriſque uſum; ſacrilegas ſupplicationum pompas; blaſphemam litaniam, mediatorum turbam, ordinum eccleſiaſticorum multiplicem varietatem; auricularem confeſſionem; incertam & deſperationis plenam pœnitentiam; generalem & ancipitem fidem; peccatorum per ſatisfactiones humanas expiationem; juſtificationem ex operibus; Opus operatum; operum ſupererogationem; merita, indulgentias, peregrinationes & ſtationes; aquam luſtralem; campanarum baptizationem, exorciſmos, bonas Dei creaturas cruce obſignandi, luſtrandi, ungendi, conjurandi, & conſecrandi ſuperſtitionem; politicam ipſius monarchiam, impiamque hierarchiam, tria vota ſolennia, variaſque raſuræ ſectas; impia & ſanguinaria concilii *Tridentini* decreta, omneſque atrociſſimæ illius in Chriſti Eccleſiam conjurationis populares & fautores: Denique inanes omnes averſamur allegorias, omneſque ritus & ſigna, traditiones omnes, præter aut contra autoritatem verbi Dei Eccleſiæ obtruſas, & doctrinæ hujus Eccleſiæ verè reformatæ repugnantes: Cui nos Eccleſiæ reformatæ, in doctrinæ capitibus, fide, religione, diſciplina, & uſu ſacramentorum, ut viva illius ſub Chriſto capite membra, libentes nos aggrega-

gregamus: Sanctè promittentes, magnumque & tremendum Domini Dei noſtri nomen jurantes, Nos in Eccleſiæ hujus doctrina & diſciplina conſtanter perſeveraturos, & pro cujuſque vocatione ac viribus, ad extremum ſpiritum defenſuros, ſub pœna omnium in lege maledictionum, æternique cum animæ tum corporis exitii periculo, in tremendo illo Dei judicio.

Quumque ſciamus non paucos à Sathana, & Antichriſto *Romano* ſubornatos, promiſſionibus, ſubſcriptionibus, & juramentis ſe obſtringere, & in uſu Sacramentorum cum Eccleſia orthodoxa ad tempus ſubdole contra conſcientiam communicare, verſutè conſtituentes; obtento interim religionis velo, in Eccleſia verum Dei cultum adulterare clanculum, & per cuniculos labefactare, tandem per occaſionem apertis inimicitiis oppugnare; vana ſpe propoſitâ veniæ dandæ à Pontifice Romano; cujus rei poteſtatem contra veritatem Divinam ſibi arrogat, ipſi perniciofam, cjuſque aſſeclis multo magis exitioſam: Nos igitur, ut ſimulationis erga Deum, ejuſque Eccleſiam & inſinceri animi ſuſpicionem omnem amoliamur, cordium omnium inſpectorem teſtamur, huic noſtræ confeſſioni, promiſſioni, juramento & ſubſcriptioni animos noſtros uſquequaque reſpondere; nulloque rerum terreſtrium momento, ſed indubiâ & certâ notitiâ ex amore veritatis Divinæ per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris inſcriptæ ad eam nos inductos eſſe: Ita Deum propitium habeamus, eo die quo cordium omnium arcana palam fient.

Cum vero nobis conſtet per eximiam Dei gratiam huic regno præfectum eſſe Regem noſtrum ſereniſſimum, ad Eccleſiam in eo conſervandam, & juſtitiam nobis adminiſtrandam, cujus incolumitate & bono exemplo ſecundum Deum religioni & eccleſiæ

eccleſiæ tranquillitas ac ſecuritas nitatur, ſanctè ex animo, eodem adacti ſacramento, eademque pœna propoſita pollicemur, & conſignatis chirographis promittimus, ſacratiſſimi Regis noſtri incolumitatem & autoritatem in beato Chriſti Euangelio defendendo, in libertate patriæ aſſerenda, in juſtitia adminiſtranda, in improbis puniendis, adverſus hoſtes quoſcunque internos ſive externos, quovis etiam bonorum & vitæ diſcrimine Nos conſtanter oppugnaturos. Ita Deum noſtrum optimum, maximum, potentem & propitium conſervatorem habeamus in mortis articulo, & adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti, Cui cum Patre, & Spiritu ſancto, ſit omnis honos & gloria in æternum, Amen.

Quinetiam complura publicorum regni noſtri Comitiorum, ſeu Parliamenti (ut vocant) ſtatuta antiquant, abrogant, & irrita eſſe jubent, in univerſum omnes leges, ſenatuſconſulta, conſtitutiones canonicas, civiles, ac municipales, cuncta denique placita, inſtituta, & pœnarum irrogationes, quibus veræ religioni, ejuſque profeſſoribus, aut veræ eccleſiæ, ejuſdem diſciplinæ, juriſdictioni & libertati præjudicium fiat, aut quæ idololatriæ & ſuperſtitioni, aut eccleſiæ Romanæ patrocinentur, (ut *Lex* 3. & *lex* 31. *Parliamenti* 1.*l.* 23.*p.* 11.*l.* 114.*p.*12. *Iacobi* 6.) omnemque papiſmum, & ſuperſtitionem funditus extirpari jubent, ex ſententia ſtatutorum conventus ordinum memoratâ *lege* 5.*p.*20. *Iacobi* 6. Atque adeo in papanos omnes & ſacrificulos, tanquam veræ religionis, in eccleſiis hujus regni legibus conſtitutæ, hoſtes, multis pœnis, qua civilibus, qua eccleſiaſticis animadverti jubent, *l.* 24. *p.* 11. *Iacobi* 6. Imo tanquam omnes regiminis Chriſtiani hoſtes publicos, *l.*18.*p.*16. *Iacobi* 6. & ut perduelles, & ſereniſſimi Regis noſtri autoritatis impugnatores, *l.*47.*p.*3.ut idololatras, *l.*10.*p.*7.*Iacobi* 6.

Præ-

Præterea & ipſa fidei Confeſſio, & complures præterea leges, nominatim pontificis Romani autoritatem & juriſdictionem damnant, & ex hoc regno prorſus eliminant: ejuſque propugnatores pœnis coerceri jubent, *l.* 2. *p.* 1. *l.* 51. *p.* 3. *l.* 106. *p.* 7. *l.* 114. *p.* 12. *Iacobi* 6. Hæreticam Papæ doctrinam, omneſque in doctrina errores, verè Chriſtianæ fidei publicè apud nos receptæ, & legibus conſtitutæ, vel minimo in apice repugnantes damnant, ſimulque in ejus generis librorum, ſchediaſmatum, elucubrationum, epiſtolarum ſcriptorumque quorumlibet autores & diſſeminatores animadverti jubent, *l.* 46. *p.* 3. *l.* 106. *p.* 7. *l.* 24. *p.* 11. *Iacobi* 6. Baptizationem omnem ſecundum eccleſiæ Papanæ ritus, & Miſſæ idololatriam damnant, omneſque miſſificos, Miſſæque ultroneos auditores, & quicunque ſacrificulos, Ieſuitas, negotiatores Romanenſes, clam fovent; auxilio juvant, tectove excipiunt; nullâ exceptione factâ, pœnis multari jubent, *L.* 5. *p.* 1. *l.* 120. *p.* 12. *l.* 164. *p.* 13. *l.* 193. *p.* 14. *l.* 1. *p.* 19. *l.* 5. *p.* 20. *Iacobi* 6. Omnes item libros, omniaque ſcripta damnant errores in doctrina contra veritatem religionis publicè receptæ, aut ſuperſtitiones, ritus, ceremoniaſve pontificias complectentia, quibus mirificè populus effaſcinatur, graveſque pœnas in eorundem importatores irrogant, *l.* 25. *p.* 11. *Iacobi* 6, Superiorum quoque temporum idololatriæ monumenta & veſtigia damnant., ut cruces inviſendi, ſanctorumque ferias celebrandi pravam conſuetudinem, hujuſque generis ritus papanos ſuperſtitionem redolentes, quibus honori Divino derogatur, vera religio contemptui habetur, & graves in plebe foventur errores. In harum ſuperſtitionum crimen ſi quis iterato relabatur, eadem illi pœna ſtatuitur quæ idololatris, *Lege* 104. *Parl.* 7. *Iacobi* 6.

Permultis etiam conventús publici ſtatutis reli-

gionis verè Chriſtianæ conſervationi, ejuſque in doctrina & ſacramentis puritati conſulitur, eccleſiæ quoque proſpicitur libertati in Synodis nationalibus & provincialibus, presbyteriis, conſiſtoriis parochianis, totaque politia, diſciplina & juriſdictione, uti hæc religionis puritas, ac eccleſiæ libertas uſu recepta fuit, exercitio confirmata, verbo prædicata, & profeſſione declarata, ad præſcriptum reformatæ religionis in regno Scotiæ, id conſtat *lege* 99.*p*.7.*l*.23.*p*.11.*l*.114.*p*.12.*l*.166.*p*.13.*Iacobi* 6. quæ etiam confirmantur *lege* 4. ſereniſſimi Regis noſtri *Caroli*. Ita ut *Lex* 6.*p*.1. & *l*.68.*p*.6. *Iacobi* 6. in anno 1579. veram & ſanctam Ieſu Chriſti in hoc regno Eccleſiam definiant eſſe beati Euangelii Miniſtros, à Deo tum excitatos, aut poſtea etiam excitandos, cum iis qui tum vivebant, in doctrina & Sacramentorum adminiſtratione conſentientes, una cum populo Chriſtum, uti tum per Euangelium offerebatur, profitente, & in uſu Sacramentorum ſecundum ritus in eccleſia reformata hujus regni tum receptos, & doctrinam *in Confeſſione Fidei* comprehenſam, communicante: Omneſque adeo à ſocietate hujus eccleſiæ, & veræ religionis publicè receptæ excludant, quicunque vel contradicunt Euangelii doctrinæ publicè approbatæ, explicatæque *Fidei Confeſſione* in conventu publico Anni 1560. omnium ordinum profeſſione confirmatâ, & in acta primi *parliamenti Iacobi* 6. relata, quamque ſexti hujus parliamenti autoritas ratam eſſe jubet; vel uſum Sacramentorum, quibus tum ritibus celebrantur, reſpuunt, quamdiu in ea ſeceſſione perſiſtunt. Quin & ea, quæ ſequitur *lex* 69.*p*.6.*Iacobi* 6. nullam aliam eccleſiæ aut religionis faciem agnoſcendam eſſe pronunciat, quam quæ illo tempore per Dei bonitatem, in hoc regno conſtituta fuerat, quæ propterea *veræ*, *divinæ*, *Chriſtianæ*, & *abſolutæ* religionis elogiis

elogiis conſtanter inſignitur; ad cujus profeſſionem omnes hujus regni cives, permultis comitiorum publicorum legibus obſtringuntur, omneſque ejus articulos; ipſamque adeo fidei confeſſionem chirographis approbare, erroreſque omnes & doctrinas iiſdem articulis repugnantes ejerare tenentur *lege* 49.*p*.1.*ll*.45.46; & 47.*p*.3.*l*.71.*p*.6.*l*.106.*p*.7.*l*.24.*p*.11.*l*.123.*p*.12.*ll*.194.& 197.*p*.14. *Iacobi* 6. Omnibuſque provinciarum Præfectis, aliiſque Magiſtratibus imperatur, ut cunctos ſecus facientes inveſtigent, compræhendant, & afficiant, *lege* 5.*p*.1.*l*.104.*p*.7.*l*.25.*p*. 11. *Iacobi* 6. Nulla habita ratione privilegii à Rege in contrarium impetrati: cujuſmodi privilegiis, qua exercendis in papanos & ſincerioris religionis adverſarios legum ſanctionibus ulla ex parte præjudicant, fides omnis & robur abrogatur, *lege* 106.*p*.7. *Iacobi* 6. è contra *lex*. 47.*p*.3. *Iacobi* 6. purioris religionis Divinæ, & ſacræ autoritatis regiæ cauſam arctiſſimis vinculis ita complicatam eſſe pronunciat, ut utriuſque ſemper damna ſint communia; adeoque neminem fidem & religionem inſtauratam non confitentem, & publice profitentem fidelem civem, & autoritati Regiæ obſequentem eſſe, ſed perduellionis ſupplicio teneri: Omnes etiam in apoſtaſiam prolapſos ad *Fidei Confeſſionem* revertentes, perſeverantiam deinceps in eadem fide, autoritatis Regiæ propugnationem, veroſque Euangelii Miniſtros & profeſſores adverſus inimicos quoſcunque & oppugnatores tuendi, & pro cujuſque viribus adjuvandi ſtudium promittere jubet: Nominatim adverſus omnes cujuſcunque demum nationis, conditionis, & ordinis, *Tridentinæ* conjurationis ſocios, omneſque qui ſanguinaria illius concilii decreta adverſus Euangelii profeſſores exequi conabuntur, aut ad ea exequenda auxilium conferent. Quæ ſanè lex totidem omnino verbis repo-

nitur in capitibus *Pacificationis Perthenſis*, 23. Februarii 1572: (quam quidem *Pacificationem* Comitia ultimi Aprilis 1573. approbarunt, Comitia Anni 1587. ratam eſſe juſſerunt, quamque etiam *lex* 123. *p.* 12. *Iacobi* 6. commemorat) addita clauſula quæ cives cunctos teneri aſſerit, omni perduellioni, & hoſtili, adverſus puriorem religionem ejuſque profeſſores, aut regiam autoritatem, molitioni reſiſtere,

Pariter etiam Cives omnes ſereniſſimi Regis incolumitatem & autoritatem defendere tenentur, uti & autoritatem ſupremi ordinum conventus, ſine qua neque ulla lex poteſt conſtitui, neque legitimi judicii forum, *lege* 130, 131. *p.* 8. *Iacobi* 6. Tenentur & civium tueri libertatem, qui non alio jure vitam inſtituere, non alio gubernari debent, quam ſanctionibus Regiis, ſeu publicis regni legibus, *l.* 48. *p.* 3. *Iacobi* 1. *l.* 79. *p.* 6. *Iacobi* 4. quæ ſanctio repetitur *lege* 131. *p.* 8. *Iacobi* 6, Quod ſi publicæ regni leges & libertates innoventur, ſi quid iis derogetur, Delegatio data de uniendis *Scotiæ Angliæque* regnis (quæ unica fuit ſanctio parliamenti 17. *Iacobi* 6.) tantam rerum perturbationem orituram pronunciat, ut omnis liberæ monarchiæ ratio in hoc regno penitus tollatur. Quippe quod fundamentalibus hujus regni legibus, antiquis privilegiis, muneribus publicis & immunitatibus, non majeſtas tantum & autoritas ſtirpis Regiæ per tot ſecula conſervata fuerit, ſed & populo quoque prædiorum, poſſeſſionum, munerum, libertatis, dignitatis, omniumque fortunarum jura ſarta tecta permanſerint. Ut ergo ſinceræ religioni, legibus & libertati hujus regni ſua conſtet integritas, *lege* 8. *p.* 1. repetita *lege* 99. *p.* 7. approbata *lege* 23. *p.* 11. & *l.* 114. *p.* 12. *Iacobi* 6. & *l.* 4. Regis *Caroli*, ſtatutum eſt, ut Reges omnes impe-

imperium ineuntes in diadematis & imperii ſuſce-
ptione, ſancto interpoſito juramento religioſe pro-
mittanr, Deo æterno teſte invocato, ſe per omnem
vitam Deo ex verbi ſui præſcripto pro viribus in-
ſervituros, nec non ad ejuſdem verbi normam ſin-
ceram religionem Chriſtianam, verbi Divini prædi-
cationem, genuinam Sacramentorum adminiſtra-
tionem, uti tum in uſu, Confeſſioni Fidei ab Eccleſia
Scoticana receptæ conſentaneam, conſervaturos:
omneſque doctrinæ errores huic fidei repugnantes
abolituros; populumque ſuæ fidei commiſſum ex
Dei voluntate per verbum patefacta, & receptis in
hac republ. legibus, & inſtitutis verbo Dei non re-
pugnantibus gubernaturos; omnique ſtudio cura-
turos, ut Eccleſia Dei & populus Chriſtianus ſincera
& firma pace deinceps fruatur, omneſque hæretici
& purioris religionis hoſtes pravitatis iſtius nomine
ab Eccleſia verâ damnati è ditionibus ſuis elimi-
nentur. Quod à sereniſſimo noſtro Rege *Carolo*,
regni hujus diadema ſuſcipiente præſtitum fuit *E-
dinburgi*, *Anno* 1633. uti ex coronationis formu-
la conſtat.

Quod ergo Deus Opt. Max. præcepit, quod ſu-
perioribus ſæculis pii factitarunt, quod exemplo
laudatiſſimo nobis præmonſtrarunt Majores noſtri
ſinceræ religionis ſtudioſi, multique etiamnum ſu-
perſtites ſenatuſconſulti inſuper autoritate nixi,
omnibus regni hujus Ciuibus mandantis, ut com-
munibus ſyngraphi tabulis conſignatis, univerſi cu-
juſcunque demum ordinis, aut conditionis, mutuum
fœdus paciſcantur: Quod duabus de cauſis initum
fuit: altera erat aſſerendæ veræ religionis ergo, uti à
corruptelis omnibus tum vindicata, atque explica-
ta in *Fidei Confeſſione*, de qua ſupra, aliaque inſu-
per prolixiori *Confeſſione*, quam compluribus ſan-
ctionibus, tum Eccleſiæ conventus nationales,

tum ordinum regni comitia confirmarunt, quam catechiſmi publici enarrant, quam à multis annis Deo cœlitus benedicente Paſtores promulgarunt, regnique Cives univerſi, ut indubiam Dei veritatem una verbi Divini autoritate ſuffultam ſuo teſtimonio confirmarunt. Cauſa altera fuit, ut ſereniſſimi Regis incolumitas, & autoritas illæſa conſervaretur: Cum ea ſit purioris cultus Divini & majeſtatis Regiæ arctiſſima conjunctio, ut una conſiſtant & corruant; communeſque ſint utriuſque hoſtes & amici: Denique quod nobis conſcientia dictitat, & ore confitemur, nos, & poſteros omnes ad nationale hoc jusjurandum & fœdus inviolabile conſervandum obſtringi: Nos ſubſcribentes *regni Scotię Proceres, Barones, reliquique Nobiles, urbium Municipes, verbi Dei Præcones, aliique regni Cives*, agnoſcentes quantopere cum alias ſæpenumero, tum præſertim hac tempeſtate periclitetur religionis puritas, Regiæ Majeſtatis dignitas, & publica hujus regni tranquillitas, ex multis variiſque innovationibus & malis, de quibus cum in genere, tum nominatim, per libellos ſupplices & proteſtationes nuper queſti ſumus, Profitemur, Deo teſte invocato, & beatis angelis, ac univerſo genere humano conſcio palam declaramus, nos concordi omnium ſententia ex animo ſtatuere veræ huic religioni ad extremum uſque ſpiritum conſtanter adhærere, eamque pro virili propugnare, quæque in rebus ad cultum divinum pertinentibus jam novata ſunt, una cum corruptelis eccleſiaſtici regiminis, & eccleſiaſticorum in civilibus poteſtate & magiſtratu, nulla ratione approbare, donec liberis Synodorum & Comitiorum regni judiciis examinata & probata fuerint, omnique licito conatu & molimine, ut priſtina religionis noſtræ puritas & libertas quæ ante ſupradictas innovationes lege conſtituta, & pu-

blica profeſſione recepta fuerât, recuperetur, operam dare. Cumque diu multumque rationum momentis examinatis & perpenſis, exploratum nobis ſit, novationes ante memoratas, de quibus ſupplices queſti & proteſtati ſumus, nulla verbi Divini autoritate niti, ſupradictis confeſſionibus earumque doctrinæ repugnare, religionis apud Nos inſtauratorum ſententiæ, & ſupra poſitis Comitiorum legibus adverſari; ad papiſmum, & *Antichriſti* tyrannidem poſtlimino reſtituendam, ad puriorem religionem ſubvertendam, ad omnium libertatem & fortunas, ad regni leges evertendas manifeſto gradum facere, Declaramus univerſi ſupradictis confeſſionibus non minus damnari innovationes omnes ante memoratas, & mala in Eccleſiam introducta, quam ſi ſingula diſertè in iiſdem expreſſa fuiſſent, noſque pariter ab iis abhorrere obſtringi, atque à cæteris papiſmi capitibus ibidem ejeratis; Quamobrem conſcientia officii Noſtri erga Deum, Regem, & patriam permoti, nullo ad hoc inducti rerum terreſtrium illicio, quantum humana fert infirmitas, Deo propterea ad uberiorem gratiam aſſequendam precibus interpellato, ſanctè pollicemur, & verendum Domini Dei noſtri nomen juramus, nos ad extremum vitæ halitum in purioris hujuſce religionis profeſſione & obedientia conſtanter perſeveraturos, pro ejus defenſione ſtaturos, omnemque corruptelam, omneſque errores illi adverſantes, unumquemque pro muneris ſui conditione totis viribus fortiter oppugnaturos. Eadem quoque animi ſinceritate Deum homineſque teſtamur, tantum abeſſe nos ab omni conſilio aut voluntate quippiam adverſus Dei gloriam, Regiæve Majeſtatis amplitudinem & autoritatem moliendi, ut è contra polliceamur, & ſanctè juremus, omnibus viribus, quovis etiam bonorum & vitæ

diſcrimine, auguſtiſſimi Regis noſtri incolumitatem & autoritatem, in religionis puritate, & patriæ noſtræ libertate, ac legibus aſſerendis & conſervandis nos propugnaturos: Atque in hac cauſa religionis, & ſupradictæ autoritatis Regię defendendæ, mutuum auxilium adverſus quoſcunque adverſarios communicatis viribus, conſiliis, ac opibus invicem allaturos: Ita ut quicquid in hac cauſa adverſus ullum noſtrum deſignabitur, id perinde habeamus, ac ſi in univerſos & ſingulos deſignatum foret. Denique in beati hujus foederis ſocietate, Nos eà fide & conſtantia perſtituros, ut nèmo omnium ullis artibus, ullis illecebris, aut terroribus rectà vel obliquè ab eâ ſe divelli patiatur, aut communia conſilia in tam honeſta cauſa proſequenda ullis objectis impedimentis remoretur, ſed è contra, ad eam quiſque promovendam omni honeſte ſtudio incumbat: quod ſi quo conſilio, ſive coram, ſive per l teras, ad ſocietatis hujus deſertionem quiſpiam noſtrum ſolicitabitur, illud ſi fieri poteſt in ipſo ortu extincturos, ne ad alios pertingat; aut ſi res poſtulet, ad publicam deliberationem ſtatim relaturos, ut mature obviam eatur. Neque eſt quod nos perduellionis, conjurationis, aut alia id genus probra & convicia deterreant, quibus nos infamare adverſariorum improbitas & verſutia conabitur, cum ad hæc conſilia juſtiſſimis cauſis deſcenderimus, & firmiſſimis nixi rationibus; ſerio præſertim ſtudio purioris cultus Divini, Majeſtatis Regiæ, & tranquillitatis publicæ conſervandæ impulſi, ut felicitate publica, & ipſi & poſteri fruamur.

Cumque ſperare non liceat conſilia noſtra & conatus ſecundaturum Deum, ſi ad profeſſionem & fœderis conſignationem ea non accedat vitæ probitas & integritas, quæ Chriſtianos deceat, foederis cum Deo inſtaurati reos, ſanctè, cum noſtro

ſtro ipſorum, tum familiarum & clientium nomine, pollicemur, qua publicè in propria quemque familia, qua privatim in ſua perſona ſingulos, omni ſtudio advigilaturos, ut intra Chriſtianæ libertatis limites quiſque ſe contineat, aliiſque pietatis, temperantiæ, & juſtitiæ, omniumque officiorum erga Deum hominemque exemplo præluceat. Denique, ut conjunctionis hujus vinculum religioſe conſervetur, Deum immortalem, cordium inſpectorem ſinceritatis & bonæ fidei teſtem nobis appellamus. Ita Domino noſtro IESU CHRISTO acceptæ ſint rationes noſtræ in tremendo judicio; Quod ſi huic fœderi non ſteterimus, iram Dei ſempiternam in futura vita, atque in hoc ſæculo honoris omnis & dignitatis jacturam nobis imprecamur: Suppliciſſimis interim votis Deum obteſtamur, ut ad hæc præſtanda Spiritu ſuo ſancto nos confirmet, ſtudia & incepta noſtra felici exitu, atq; omni benedictionum genere accumulare dignetur: Vt in patria hac noſtra religio vigeat & juſtitia, idque in Dei gloriam, Regis noſtri honorem, publicamque omnium pacem & ſolatium. In quorum omnium fidem appoſitis chirographis iſta conſignavimus, *&c.*

Fœdus hoc cui à ſupplicibus ſubſcriptum & in cujus verba juratum, tribus conſtat partibus principalibus prima habet de verbo in verbum vetus illud fœdus compoſitum an. 1580 munitumque authoritate regia, Regii Senatus, duarumque Synodorum nationalium, pro religionis reformatæ puritate; in doctrina & diſciplina, contra omnes & ſingulos Pontificiorum errores, qui ſpeciatim rejiciuntur & abjurantur, articuli pro diſciplinâ ſunt admodum ſuccincti, nam in genere, & cumulo quaſi, rejicitur & abjuratur tota Hierarchia Papalis, & omnes ejus ritus ſuperadditi ſacramentorum primævæ inſtitutioni. Adjungitur etiam mutuum

fœdus pro defendenda religione reformata,& tuenda perſona & dignitate regia, Renovatum fuit illud fœdus denuo, anno 1590. omnibuſque regni ſubditis utroque tempore mandatum eidem ut ſubſcriberent. Fœderis hujus ſanciendi, hæc olim dicitur fuiſſe prima cauſa, quia major, Eccleſiæ Scoticæ Confeſſio, ab ordinibus regni in comitiis anni 1560. 17 Auguſti approbata, & ſtatutis Parlamentariis inſerta,veram doctrinam nudè proponit, paucis erroribus aut anti-theſibus notatis aut nominatis, multi Pontificii (magnates præſertim) ſub generalibus illis phraſibus, latere ſe poſſe confidebant, ac ſimulantes ſe reformatos eſſe, quo aditus ad dignitates & munia, facilior concederetur, interim Pontificiorum errores, quos ipſi in ſinu fovebant diligenter ſpargebant, quare ut hiſce larva detraheretur, inventa fuit illa minor confeſſio, & quia hypocriſis hæc, quoſdam Regis Iacobi (tunc adoleſcentis) piæ memoriæ, familiares infeciſſe dicebatur, à tota ipſius familia, Rex confeſſioni huic ſubſcribi mandavit, ipſo (pio & vere regio exemplo) cæteris præeunte, quam deinde ad Synodum nationalem rex tranſmiſit, in qua denuo poſt Synodum Taodunenſem, plenis ſuffragiis, nemine contradicente, decretum fuit, epiſcoporum auctoritatem, ex ſcripturis nullam eſſe, Epiſcopiſque vetitum, ſub pœna excommunicationis ne juriſdictioni Eccleſiaſticæ ſeſe immiſcerent. Ac ſimul cum hâc fidei confeſſione obſignanda, per legatum miſit diagramma ſeu formulam 50 Presbyteriorum, ſeu Claſſium, locis regni maximè opportunis conſtituendorum renovare juſſit Rex foedus illud anno 1590. quo etiam anno, in Synodo nationali decretum fuit, ut denuo miniſtri in ſingulis parochiis curarent, confeſſionem hanc obſignandam chirographis civium cujuſvis ordinis. Statutum etiam,ut per pres-

presbyteria ſingula, omnes qui rem ſacram tractabant, in omnia capita diſciplinæ, (quæ in duobus libris de politia Eccleſiaſtica continetur) ſubſcriberent ante ſequentem Synodum. In Synodo 1587. decretum (& Synodis aliis inter annum 1580 & 1590) Ne Academiarum rectores, diſcipulos maturioris ætatis, in diſciplina reciperent eorumque nomina albo ſeu matrici infererent, aut quemquam ad gradus Academicos promoverent, niſi in hanc confeſſionem prius juratum. Denique mutui illius fœderis pro defendenda Religione & perſona regia, hanc fuiſſe cauſam dicunt, quia utrique à Pontificiis juſtus metus fuit, qui horrendum aliquid, ubique contra reformatæ Religionis profeſſores omnes, præſertim vero ſereniſſimos Principes Britannicos, machinabantur, quorum conatus omnes in Scotia, per hoc fœdus Deus illuſit, ac in hiſtoria Anglica meminit Cambdenus, nobiles Anglos tale fœdus inter ſe pepigiſſe pro tutela Religionis & perſona Elizabethæ Reginæ, atque hæc pro prima fœderis hujus parte.

Secunda pars continet enumerationem omnium ſtatutorum ſeu legum ſancitarum, in ſupremo trium ordinum regni Scotiæ conventu (quem Parlamentum vocant) in favorem Religionis reformatæ tum in doctrina, tum in diſciplina, & contra papiſmum.

Tertia pars fœderis habet applicationem antiqui fœderis & legum ad præſentem rerum ſtatum; in ea exponunt, per ritus Pontificios in veteri foedere abjuratos, intelligi, omnes illas novitates in libris canonum Liturgiæ & ordinationis obtruſas; fertur, laboraſſe tum ſupplicum multos, quam diligentiſſimè, ut eadem nota inſignirentur 5. cæremoniæ Perthenſes, & regimen Epiſcopale, ſed quia magna Paſtorum pars, illa inter ἀδιάφορα referebat eorumque praxi aſſueta fuit, nec videbant, quomodo

modo hoc conſiſtere poſſit cum ſubſcriptione & juramento, Epiſcopis præſtito, dum primum miniſterii functione inaugurarentur, ideo in iſtis duobus temperamentum quoddam inventum fuit, videlicet, ut omnes, qui fœderi, & ſcripto huic ſubſcriberent, abſtinerent à praxi quinque iſtarum Perthenſium cęremoniarum, donec de earum natura plenius in libera Synodo Nationali agitaretur ac, ut operam ſedulam ſponderent, in Synodo revocandi ad examen corruptionis Eccleſiaſtici regiminis, inter quas an epiſcopatus numerandus eſſet liberæ Synodi maturo juditio remitterent, denique pro tutela perſonę ac auctoritatis regiæ, ſibi invicem mutuum contra omnes auxilium ſpondent, ac ſacroſanctè pollicentur, ita ut quod minimo creabitur hoc nomine à quolibet periculum, id omnes omnino tangere profitentur, hæc ſumma hujus fœderis.

Cui ab omnibus ferè libertatis vindicibus, ſubſcriptum fuit, qui Edinburgi tunc præſentes fuerunt, menſe Februario anni 1638. exemplaria ejuſdem ad abſentes mittuntur, omnibus regni incolis communicanda; ut quibus Religionis puritas cordi eſſet, in fœdus hoc jurarent, quod à quamplurimis libentiſſimè factum, ita ut ante finitum Aprilem, vix pro reformatæ profeſſionis homine haberetur, qui fœderi huic non ſubſcriberet, omnes tamen nondum ſubſcripſiſſe conſtat. Itaque res hæc Eccleſiam & Regnum in foederatos & non foederatos diviſit. Non foederati ſunt inprimis omnes Pontificii, quorum numerus in Scotia admodum exiguus eſt, vix excedens 600. in quorum capita, ut hi motus eant, faba hæc cudetur, deinde ſunt & politici quidam, novi homines, ſubito ad dignitates evecti, aut qui ad eas anhelant, denique ſunt quibus Reformata religio cordi eſt, ſed vel ritibus Anglicanis addictiores, libris canonum, liturgiæ & cæteris favent, paucis qui-

quibuſdam minutulis mutatis, ex quorum numero, Abredonenſes, tum Theologi, tum politici, perhibentur eſſe, nam reliquis Eccleſiis, à motuum horum principio, nunquam ſe adjunxerunt, nec aliquid adhuc fecere, quo oſtenderent ſibi non probari novitates illas obtruſas, Alii vero ſunt, quibus, nec ritus Anglicani placent, nec modus ipſos introducendi, interim foederis ſubſcriptionem detrectant, hiſce præſertim rationibus moti.

Quarum prima eſt, quia non putant ſibi licere detrectare obedientiam legibus debitam, ad quam juramento & ſubſcriptione, dum ſacro miniſterii munere initiarentur, obligati fuerunt. Porro foederi huic ſubſcribentibus promittendum eſt, ſe abſtenturos à praxi quinque cæremoniarum Perthenſium, quæ ſancitę fuerunt in Synodo Nationali Perthenſi, & rata ſtatuto Parlamentario. Reſpondent foederati, Epiſcopis non licuiſſe per leges, ejuſmodi juramentum exigere, ideoque ab initio invalidum fuiſſe, non licuiſſe dicunt, quia nullum aliud Paſtoribus initiandis juramentum offerri debuit, quam quod legibus regni ſancitum eſt, nulla porro lege unquam Epiſcopis conceſſa fuit poteſtas, juramento adigendi Paſtores in praxin iſtarum cæremoniarum, Etenim nihil ea de re exſtare, conſtat ex actis Synodi Perthenſis, cujus mentem non fuiſſe obligare ad praxin cæremoniarum illarum, teſtatur ipſa Epiſcoporum praxis, qui confirmationem Anglicanam nondum in praxin redegerint, ex quo liquido conſtare poſſet, unicam Synodi illius intentionem fuiſſe, declarare rituum illorum, in ſe ἀδιαφορίαν. Addebant multi, graves ſe habere cauſas propter quas, illius Synodi judicium merito rejiciendum ſit tanquam multis nominibus illegitimæ: quia tempore debito non indicebatur: nec omnes vocati, quorum Synodo adeſſe intererat; quod non fuerit ibi, ritè electus

Præ-

Præſes, Archi-Epiſcopo Andreapolitano ſeſe intrudente & pro Præſide, nullis præeuntibus Synodalium ſuffragiis, ſeſe gerente, quod complures, ab Eccleſiis non Deputati, jure ſuffragii gaviſi ſunt; quod ſuffragia multorum non fuerint libera, ſed minis extorta, & hiſce ſimilia producebant, ut Synodi illius auctoritatem irritam redderent, quare licet illa Synodus, auctoritate Parlamentaria anno 1621. approbata fuerit, Nunquam tamen perſuaderi potuit Eccleſiarum potiori parti, ut cæremonias illas admitterent. Nam tum in Synodo, tum in Parlamento, ſignificatum fuiſſe deputatis affirmant, de praxi non laborare Regem; tantum ut rituum illorum indifferentia agnoſceretur. Additum tum a Regis deputato ſolenne promiſſum dicebant, idque Regis nomine, liberatum iri hac conceſſione Eccleſiam Scoticam à metu reliquarum cæremoniarum Anglicanarum, quod promiſſum niſi acceſſiſſet, Synodum illam ordines regni nunquam ratam habuiſſent. Nunc vero, cum omnibus conſtet, ſolennis illius promiſſi nullam haberi rationem, ac cum cæremoniarum iſtarum praxi, patentiſſima porta aperta ſit ad reliquum Anglicanorum rituum, quin & Pontificiorum etiam, quibus adhuc carent Angli, apparatum, abſque ulla legis cujuſlibet vel ſpecie introducendum, denique, cum praxi iſtarum cæremoniarum majus bonum, videlicet Eccleſiæ pax, ac Euangelii dilatatio impediantur, ac obſtinatis Pontificiis animus addatur, infirmiores ſcandalizentur, æquitatem poſtulare, ne ſacramentum pietatis, ſit impedimentum pietatis, quare juramento illo non obſtante, poſſe eos à praxi abſtinere.

Secunda ratio non fœderatorum hæc erat, omnia fœdera mutua inter ſubditos, jure municipali regni Scotiæ illicita ſunt, niſi regis mandatum, foedus

dus approbantis, acceſſerit, atque fœdus hoc eſt ſubditorum inter ſe, Rege nec conſcio, nec mandante. Reſponderunt foederati, Regni quidem legibus municipalibus vetari foedera inter ſubditos inita, in Reipublicæ totius, aut cujuſlibet damnum, non vero, quæ ad Dei gloriam, Regii honoris, regni, libertatis publicæ conſervationem facta ſunt, cum ſalus populi ſuprema lex eſſe debeat, ad quam leges aliæ omnes interpretandæ ſunt. Dein, ſe non eſſe deſtitutos auctoritate regia, ad foedus hoc ineundum, quandoquidem, beatæ memoriæ R. Iacobus hujus foederis author fuerit, annis 1580 & 1590, ac Senatus regii Synodorumque decretis, tum omnibus regni incolis, ſubſcriptio mandata fuit, unde impoſitum nomen foederis, ſeu confeſſionis Nationalis; ac licet multorum ſupina negligentia, in purioris religionis damnum, ac Papiſmi incrementum, executio intermiſſa ſit, vigere tamen affirmant continuam ejus praxin in omnibus regni Academiis, in quibus confeſſioni huic ſeu foederi ſubſcribitur, ab omnibus, qui gradum aliquem ſcholaſticum conſequuntur.

Tertia ratio eorum, qui detrectant foederi ſubſcribere, hæc eſt, Qui foederi huic ſubſcribunt, mutuum ſibi invicem in hac cauſa contra omnes auxilium ſpondent. Itaque ſi Rex vi armata acturus ſit, tenentur confoederatos etiam armis defendere contra Regem. Porro nondum ſibi conſtare dicunt, licere ſubditis cujuſcunque demum ordinis, aut dignitatis ſint vel omnibus in unum conjunctis Principe & Monarchæ abſoluto (qualem eſſe dicunt Regem in Regno Scotiæ) in cauſa Religionis, aut libertatis legum, vi armata ſeſe opponere, in cujus rei confirmationem, omnes ii ſacræ ſcripturæ loci allegantur, qui principibus obedientiam ſuadent, citatis etiam multorum patrum, ſcholaſtico-

rum,

rum, doctorum reformatæ Eccleſiæ, & eorum etiam juriſpetitorum, qui pro jure Regum ſcripſerunt contra Ieſuitas, teſtimoniis: mirum quam in hoc ſpatioſo campo triumpharint multi: Sed reſponderunt foederati, quæſtionem hanc maxima ſemper exercuiſſe ingenia, neque ſe libenter eam diſcutiendam ſuſcipere, cum Rege optimo & ęquiſſimo rem nunc eſſe, qui majorum veſtigiis inſiſtens, infinita illa poteſtate (quam Regibus multi, commodis ſuis velificantes, licet cum ruina legum tribuunt) non ſtatuerit uti: ſed poteſtate legitima, quæ legum receptarum ambitum non excedat: paratos ſe ſemper eſſe, omnimodam legibus Regni imperatam obedientiam præſtare, ſibique perſuaſum quam alieniſſimum eſſe à Regis animo, eam obedientiam poſtulare, quæ cum pietate in Deum, aut Regni privilegiis pugnet, quibus tuendis ſeſe ſacroſancto juramento, inaugurationis tempore (anno 1633.) obſtrinxerit. Sed cum modeſtum hoc reſponſum, multis non ſatisfeciſſet, cogebantur foederati fuſius reſpondere, præſertim propter novatores quoſdam, qui, ut audicam gratiam adipiſcantur Regiæ dignitatis promotores ſtrenuos ſe ſimulant, ut facilius Orthodoxis os obſtruant, itaque dicebant, aliam eſſe rationem ſubditorum merè privatorum, aliam eorum, qui ita ſubditi ſunt, ut tamen magiſtratus officio gaudeant, quorum officii eſt populi ſibi ſubditi jus & privilegia tueri. Notum illud *Trajani*, cum pugionem præfecto prætorii traderet, *hoc pro me utere, ſi rectè impero, ſi malè, contra me.* Apoſtolorum monita, obedientiam ſuadentia, etiam improbis magiſttatibus, licet generaliter prolata, tacitam tamen habere exceptionem ſummæ neceſſitatis, Aſſertores Regii imperii fortiſſimos, non negare populo univerſo aut inſigni ejus parti, jus ſe armis tuendi contra principem ſupremum,

mum, in quibuſdam caſibus. Etenim, ſi collectivo quaſi regni alicujus corpori, defenſionem armatam, contra publicæ libertatis invaſores, demas, eodem pacto omnibus Tyrannorum injuriis expones. Oculos Convertendos in antiquum jus Regni Scotici, populum Scoticum, à primo in Britanniam adventu (quem hiſtorici referunt ad Alexandri Magni tempora, 330 fere anno ante natum Chriſtum (Hibernorum ληρολογήματα hic flocci facio) ſe in ſocietatem civilem, ſub *Ferguſii primi* authoritate non conſociaſſe ea conditione, ut mori præoptaverit quam ullo caſu vim ſuperiorum armis arceret, quod omnium ætatum hiſtoriæ gentis Scoticæ teſtantur, nec negligendum eſſe οὐ βίᾳ ἀλλὰ νόμῳ in Scotos obtinuiſſe imperium *Ferguſium primum*; quod & in Gallia & Germania olim factitatum fuiſſe obſervat Tacitus, cum ſerviret Syria, Aſiaque. Porro non deeſſe luculenta hujus exempla, in omnibus forte regnis Europæis, poſt Romani imperii everſionem, non in Germania ſolum, ubi precario regnare debet imperator, ſed & in Gallia & ditionibus familiæ Burgundicæ, & Dania ac Suecia notum eſſe, quid ubique à ſubditis in cauſa libertatis patriæ reformatæ religionis ſæpius, premente neceſſitate, factitatum, quos rebellionis Ieſuiticæ ita temerè damnare eſſet crudele & contra πολιτικωτάτων uniforme judicium. *Regem Iacobum*, cui magiſtratus jura optimè cognita fuerunt, pro reformatis in Gallia & Belgio cauſam dixiſſe, ac fuſe oſtendiſſe, quam immanè differant Ieſuitarum doctrina & praxis, ab innocua & neceſſaria defenſione reformatorum ibidem. Denique longè diverſam eſſe rationem belli defenſivi, per majorem populi partem, & belli offenſivi. Neque hæc à ſe prolata dicebant fœderati, quaſi Regi optimo *Carolo* notam aliquam inurerent, cui illud ſolum juſtum, quod legibus conforme, in cujus pectoris ſacrario,

 crario,

crario, niſi faterentur æquitatem, pietatem in Deum, totumque virtutum verè regiarum chorum ſedes fixiſſe, ingratiſſimi merito habendi eſſent. Diſputationum harum ſummam, unico tenore ponendam cenſui, ne ſeries narrationis interrumperetur. Proſtant porro hæ diſputationes, & plura alia ſcripta eriſtica ſuper hiſce materiis, quæ magna quidem animorum concertatione agitatæ fuerunt, ita tamen, ut fœderatorum numerus indies creſceret & animi confirmarentur.

Senatus regius, cum omnia in deterius vergere conſpiceret; ſedulo de omnibus Regem certiorem facit, miſſo in hunc finem ineunte Martio menſe Senatore, qui imminentis periculi, ac niſi à Regia clementia remedium tempeſtivè adhiberetur, jamjam erupturi, Regem coram moneret; quod à Senatore fideliter peractum fuit, quare Rex, tres ex primariis Regni Senatoribus ex Scotia ad ſe vocat, eo etiam multi Epiſcoporum, licet non vocati, convolant, rati, dum tantum capitibus immineret periculum, non eſſe ſibi ſecurè dormiendum, cumque Regis animum ad clementiam flecti cernerent, omni ſua & fautorum opera ad extrema & violenta conſilia deducere ſatagunt: declarant res non adeo eſſe deſperatas, quin ſi Rex cauſam vi acturus ſit, certiſſimi ſint de fœlici & optato exitu: paucorum quorundam Puritanorum ſeditioſorum inſolentiam ſeveritate compeſcendam eſſe, niſi imperii majeſtatem contemptui exponeret: poſſe ſe etiam in ipſa Scotia, præſertim in partibus Regni Borealibus, ac familiis montanis, fortiſſimorum virorum, non contemnendam manum colligere, quibus ſi mediocres Anglorum copiæ jungerentur, facillimum eſſet in ordinem cogere omnes qui ejuſmodi ſupplicationibus, proteſtationibus, conjurationibus auctoritatem regiam laceſſere auſi fuerunt: & quia tres illos nobi-

nobiles à Rege vocatos violentis hiſce ſuis conſiliis non conſenſuros ſciebant; Alios, quibus à ſimili tempeſtate in Anglia metus eſſe poſſet, ſubmittunt, qui eadem conſilia ſuggererent: Graviſſimam etiam accuſationem coram Rege inſtituunt contra Comitem Traquarium Regni Scotiæ ſummum Theſaurarium, cujus clandeſtinis conſiliis & conniventia, omnes hoſce motus ortos dixerunt: Et ille, ſolam tumultuum cauſam fuiſſe Epiſcoporum quorundam non ferendam ſuperbiam & temeritatem, quibus multa etiam alia objiciebat, veranè an falſa, dies docebit.

Dum hiſce diverſis conſiliis diſtineretur ac diſtraheretur aula, nobiles fœderati in Scotia, ad familiares quoſdam nobiles Scotos in Anglia hærentes literas mittunt cum articulis Eccleſiarum gravamina continentibus, obſecrantes ut Regi eos inſinuarent, cujus aures fidelium ſubditorum æquiſſimis poſtulatis nondum occluſas ſperabant: & Rex multorum conſiliis variè agitatus, aliis moderata & pacifica, aliis violenta & extrema ſuadentibus, tandem pro innata & hæreditaria clementia moderatioribus conſiliis utendum ſtatuit, ut æquiſſimis: *Marchionemque Hamiltonium* nobiliſſimæ familiæ Principem & magnæ in Scotiâ clientelæ, cum tribus illis nobilibus Senatoribus quos ad ſe in Aulam vocaverat, in Scotiam dimittit, cum mandatis, ut paci ſtuderent.

Statim ad iter ſe accingit Marchio regius Deputatus, cumque *Dalketham* oppidulum Edinburgo vicinum, veniſſet, ibi aliquamdiu hæſit, cauſatus ſe non niſi cum detrimento auctoritatis regiæ Edinburgum accedere poſſe, quod arx regia à fœderatorum vigilibus ſollicitè cuſtodiretur. Contra verò, fœderatorum deputati nullis rationibus adduci potuerunt, ut *Dalkethæ* cum Marchione agerent,

quarum ſuſpicionum hanc perhibent fuiſſe cauſam: Edinburgo Regni Scotiæ Metropoli imminet Arx regia munitiſſima, ſita in rupe declivi; ſed ut in alta pace fieri ſolet, quibus cura providendi commiſſa fuit, in armamentario & re frumentaria procuranda negligentiores fuere, itaque deerat fere pulvis tormentarius & alia arci defendendæ neceſſaria. Huic malo ut obviam iretur, navis quædam Londino mittitur, cum omnis generis apparatu bellico ad arcem inſtruendam, qui nocte intempeſta exponitur, & in *Dalkethenſe* pallatium defertur, ut inde ſine ſuſpicione Arci opportunius inferri poſſet; quod cum cognitum haberent fœderati, ac ſuſpicionibus in deterius omnia detorquentibus ubique ferverent, extra arcem Edinburgenam vigilias diſponunt, quibus mandatum, ne quid apparatus bellici inferri ſinerent; etenim, ſi pace motus hoſce componendos ſtatuerit Rex, cui bono tanta apparatus bellici copia munienda erat arx? neque ſibi tutum, deputatos ad *Dalkethenſe* Pallatium mittere: Tandem poſt paucorum dierum moram Marchio Edinburgum ſe confert (fœderatis publicas arcis vigilias remittentibus) menſe Iunio, cui obviam proceſſit omnium ordinum frequentiſſimus numerus; aderant in ea turba 700 Paſtores Eccleſiarum.

Cum fœderatis ſerio egit tum Marchio, ut fœderi renunciarent, alioqui nullam eſſe ſpem obtinendi Synodum Nationalem; (quam illi unicum malis hiſce curandis, & flammæ reſtinguendæ remedium ſummis votis expetebant) Reſponſum à fœderatis, hoc concedi non poſſe, niſi cum manifeſto perjurio, & divini nominis profanatione: Et quia partem illam fœderis, qua mutuum ſibi invicem auxilium in cauſa hac ſpondent, à quibuſdam diſtortam eſſe intelligebant; quaſi conſpirationem contra regiam majeſtatem denotaret; ideo exhibito

ſcripto,

ſcripto, omnes ejuſmodi ſcrupulos Marchionis animo eximere ſtuduerunt. Etenim cum omnibus ſubditis perſuaſiſſimum Rex eſſe voluit, ſibi ſtatutum eſſe, reformatam Religionem & leges à majoribus ſancitas, tueri, quomodo poſſunt eorum verba, quibus ad religionis, & legum, ac dignitatis regiæ tutelam contra omnes ſe obligant, torqueri, quaſi aliquid contra authoritatem regiam molirentur? Addebant, eos potius læſæ majeſtatis regiæ reos eſſe, qui ejuſmodi conſequentias nectendo, contra fœderatorum expreſſam mentem & clara verba, in ſubditorum animis ſatis hactenus commotis, iniquas ſuſpiciones excitant; quaſi, quod Rex ſacroſanctè pollicitus ſit, reipſa fortaſſe præſtare non conſtituerit: Neque alio ſpectare Epiſcoporum conſilia, quàm ut diffidii ſemina inter optimum regem & fideles ſubditos ſata, foveant, quo pœnam facinoribus ſuis debitam effugiant. Denique Marchioni poſtulata omnia obtulerunt, obſecrantes, ut ea Regi clementiſſimo ſerio commendaret.

Ante diſceſſum Marchionis in Angliam publicatur edictum regium, menſe Iulio; Cujus hæc ſunt capita, I. profitetur Rex, ſe quam maximè à ſuperſtitionibus Papiſticis abhorrere; ac ſibi ſtatutum, reformatam religionem, prout in Scotia exercetur, tueri. II. Se nolle urgere libros Canonum, liturgiæ, aut aliquid ejus notæ, niſi iis legitimis mediis, quibus omnibus conſtet, mutationem religionis aut legum à ſe non intendi. III. Se rectificaturum celſam commiſſionem. IV. Sibi cordi fore omnia, quæ pertinent ad Eccleſiam, & regnum ſedandum. V. Sibi ſtatutum eſſe captata commoda opportunitate Parlamentum & Synodum indicere.

Finita per præconem edicti lectione, ſtatim publicè proteſtationem ſuam per advocatum in ſuprema curia legunt fœderati, cujus capita (poſt bre-

brevem præteritorum narrationem, qua motuum horum cauſam in Epiſcopos rejiciunt) hæc fuerunt. I. Se nunquam in quæſtionem vocaſſe piam & ſinceram optimi regis intentionem erga religionem reformatam, & contra idololatriam horrendam papiſmi. II. Mandatum hoc, malis hiſce, quibus involvuntur, curandis, non ſufficere; quia nullam mentionem facit abolitionis librorum illorum obtruſorum contra legum municipalium auctoritatem, omniumque eccleſiarum reformatarum praxin, quos tamen libros ſuperſtitionibus papiſticis ſcatere, ex parallelo & collatione papiſmi & librorum horum, præſertim prout à navatoribus hodiernis explicantur, facilè ſe demonſtraturos profitentur; quia fruſtra fit mentio rectificationis (ut ita loquar) celſæ commiſſionis, quam abolere penitus ratio poſtulat, cum nulla publicæ legis in conventu ordinum regni ſancitæ, vel ſpecie muniatur. III. Cum mandatum hoc ipſorum conventus damnet, proteſtantur omnes eos conventus eſſe neceſſarios & legitimos, & quicquid adhuc à fœderatis in publicio geſtum ſit, eſſe legibus conforme; immerito itaque odioſis verbis eſſe exagitatos. IV. Sibi ſtatutum prioribus gravaminibus exhibitis adhærere, nec poſſe cauſam hanc tam piam, tam juſtam deſerere, donec per legitimam & liberam Synodum Nationalem Eccleſiæ puritati & paci provideatur.

In Angliam excurrit Marchio, ut regem de rerum ſtatu, coram faceret certiorem, obitæque legationis rationem redderet, rediturus in Scotiam ad ſtatum diem, videlicet 12 Auguſti. Interea ſolennia jejunia celebrantur à Scotis, iis præſertim diebus, quos cauſæ huic agitandæ de eaque deliberandi per Senatum ſuum aulicum deſtinaverat Rex, & quia Synodi Nationalis indictionem, tam celerem quam præſentia

præſentia mala requirebant, à Rege vix ſperabant, ſcriptum edunt fœderati, quo probare conantur, Eccleſiis in tali ſtatu licere ſibi proſpicere, *poteſtatem indicendi Synodum, ſi magiſtratus fidei hoſtis ſit, aut negligentior in Eccleſiæ bono procurando penes ipſam Eccleſiam eſſe*, quæ hanc poteſtatem à Chriſto ſuo domino accepit, quaque abſque ſcrupulo ullo uſa fuit, omnibus illis ſæculis inter Chriſti mortem & Nicænam Synodum. Quod ſi quis putet, acceſſione Principum ad Eccleſiam, omnem illam poteſtatem Eccleſiæ ereptam, & in Principes collatam, næ ille longè fallitur, nam ſic Regum & Principum acceſſio ad Eccleſiam non eſſet promiſſum & benedictio, Iſaiæ 49. 23. ſed in damnum Eccleſiæ cederet, contra expreſſa Dei verba quibus non vult minui ſed augeri & corroborari eccleſiæ authoritatem ſub Chriſtiano magiſtratu, cujus auctoritatem in Eccleſia, eſſe *cumulativam* non *privativam* indicat, ad Eccleſiæ ædificationem non deſtructionem, cujus ruinam ſubſequi neceſſe erit, ſi urgentibus malis Eccleſiæ ſubverſionem minitantibus impediatur Synodorum indictio, & à magiſtratu qualitercunque affecto ſimpliciter pendeat. Porro quæcunque Synodi indictionem unquam requirebant, ea omnia nunc in Eccleſia Scotica concurrere, ut ſunt. I. *Corruptio doctrinæ per Papiſmum, ejuſque ſurculum geminum Arminianiſmum.* II. *Multiplicatio abuſuum regiminis Eccleſiaſtici per Epiſcopos.* III. *Subverſio diſciplinæ Eccleſiaſticæ legibus frequentibus ſancitæ.* IV. *Loco pacis & unitatis regnat ſchiſma.* V. *Sedibus moti ſunt fideles quamplurimi Paſtores, Epiſcoporum tyrannide, quibus beneficium appellationis eſt ademptum, cum nullæ multis hiſce annis præteritis habitæ ſint Synodi Nationales.* VI. *Tantum abeſt, ut cenſura aliqua notati ſint Paſtores, Doctores, Epiſcopi manifeſto rei prædictarum corruptionum, ut contra, primariæ*

dignitates in eos cumulentur, tanquam rei bene geſtæ præmia, eorundemque exemplo alii ad ſimilia perpetranda animentur, ita ut de eccleſiæ ſalute fere conclamatum ſit, niſi per liberam ſynodum remedium protinus afferatur. Hæc illi fuſe in tractatu de Synodorum neceſſitate, in quo ad contraria, quæ objici ſolent argumenta, pro jure magiſtratus etiam Eccleſiam negligentis reſpondent.

Ante ſtatutum & præfinitum diem redit in Scotiam *Marchio Hamiltonius* Regis Deputatus; fœderatis articulos quoſdam offert, quibus conſentiendum erat, ſi Synodi Nationalis aut Parlamenti indictionem vellent, ſed ab iis rejecti fuerunt, utpote, quod ab Epiſcopis inventos ſcirent, ut, aut Synodi convocationem impedirent, aut convocatam inutilem redderent, cujus libertati ubique per prælimitationes officiebant: & quia metus fuit, ne fœderati tam frequentium procraſtinationum pertæſi, non exſpectato regis conſenſu (quem fruſtra hactenus ſæpius expetiverant) Synodum Nationalem indicturi eſſent; itaque cum eis ſerio egit Deputatus ut convocatione Synodi ſuperſederent, donec ipſe ab aula rediret, ad quam denuo iter ſuſcipiebat, ut Regi perſuaderet Synodi liberæ indictionem, quod tandem conceſſum fuit à fœderatis, licet multi ad id ægrè adduci potuerint, propter mala quæ præſentem medicinam poſcebant. Præſtitutus tamen fuit dies 22. Sept. ad quem niſi reverteretur Marchio, liberum eſſet fœderatis, rebus ſuis conſulere.

Sed ille ſingulari diligentia diem prævertit, & die præfinito mandatum regium per præconem publicè legendum curat, cujus hæc fuerunt capita. I. Regem abrogare omnia Senatus regii decreta, pro libris canonum & liturgiæ (nam libri ordinationis & homiliarum nondum prodierant) II. Abrogare

brogare tribunal celſæ commiſſionis. III. Liberam relinquere praxin quinque articulorum ſeu ceremoniarum Perthenſium. IV. Epiſcopos Synodali cenſuræ ſubditos eſſe. V. Nullum aliud Paſtoribus initiandis juramentum præſtandum eſſe, quam quod legibus Parlamentariis inſeritur. VI. Ac ut omnis ſcrupulus ſubditorum animis eximeretur, quaſi Rex à reformatæ religionis profeſſione alienus eſſet; mandare ſe, ut renovetur minor illa confeſſio, cui olim Anno 1580. à Rege Iacobo ejuſque familia & regni civibus ſubſcriptum fuit: cum ſpeciali mandato ad Senatum regium, ut huic Senatores ipſi primum ſubſcriberent, ac deputatos in ſingulis Provinciis conſtituerent, qui omnium regni incolarum ſubſcriptiones promoturi ſint. VII. Regem indicere Synodum Nationalem *Glaſguæ* ad 21. Novembris, Anni hujus 1638. & Parlamentum, ſeu ordinum regni conventum habendum *Edinburgi*, ad diem 15 Maii anni 1639. Denique, ut firma Eccleſiarum & regni pax ſolidè ſtatuatur, oblivioni ſe tradere declarat omnia, quæ à ſubditis ſuis, in hac cauſa, ſecus quam oportuit, acta fuere.

Quam prægeſtierit fœderatis animus gratiſſimo hoc pacis nuncio, vix dicas; ſed in ipſa verba penitius introſpicientes videbant, *omnes ſuas præcedentes actiones tacitè damnatas, juſtam libertatem Synodo Nationali præreptam*, itaque ne arte & vafritie Epiſcoporum (à quibus omnia hæc mandata regia diligenter reviſa ſciebant, qui panem oſtentantes ſubdolè lapidem tegerent, cujus impetu ex improviſo colliderenter) ne inquam horum artibus egregii ipſorum conatus fruſtrarentur, proteſtationem parant, non quod aliquid ſiniſtri de candore piiſſimi Regis foverent, ſed quia non ſatis iis fide erant, qui in florenti gratia apud Regem fuerunt, quorum violentis conſiliis factum eſſe queruntur,

quod hanc eandem clementiam a principio experti non eſſent: Proteſtationis vero, quæ publicè poſt auditum mandatum regium lecta fuit, hæc ſunt capita. I. Poſt gratias Deo & Regi humiliter actas, mandatum hoc non eſſe ſufficiens remedium malis præſentibus dicunt, quia omnes hoſce motus proceſſiſſe dicit a Panico metu, ne mutaretur religio aut leges, cum tamen metus fuerit juſtiſſimus, ejuſque cauſa non imaginaria, ſed realis mutatio tam religionis quam legum, per libros canonum, liturgiæ, &c. in quibus Papiſmi nucleus continetur. II. Quia mandatum hoc vetat tantum praxin illorum librorum, cum tamen præcedentibus mandatis regiis menſibus Februario & Iunio anni 1638. & aliis 1637. ſingulari commendatione iidem ornentur, tanquam aptiſſima media ad veram religionem promovendam, & Papatum demoliendum, quæ mandata reſcindi neceſſe eſt, non ſolum quatenus praxin imperant, verum etiam quatenus tam honorifico elogio libros illos ornant, alioquin non defuturos prurientes novatores, qui continuas Eccleſiæ turbas creaturi ſunt. III. Quædam eſſe in mandato hoc, quibus juſta libertas futuræ Synodi adimitur, dum videlicet Perthenſium ceremoniarum indifferentia extra quæſtionem ſupponitur ac hierarchiæ Epiſcopalis corruptiones approbantur; quaſi liceret Epiſcopis ab Eccleſiis non deputatis ſuffragium in Synodo ferre, iiſdemque quatenus Epiſcopis, ſuffragium in ſupremo ordinum conventu, Eccleſiis inconſultis, competeret; quæ cum inter præcipua gravamina ſint, de quibus queruntur fœderati, abundè patere dicunt, mandato hoc, tanquam plenè ſatisfactorio, ſe non poſſe acquieſcere; præſertim, cum ad Synodum Nationalem propriè pertineat de his ſententiam ferre, quæ Eccleſiis conducibilia ſunt, quæ noxia. IV. Quia mandatum hoc

regium imperat omnibus ſubditis, ut confeſſioni a Jacobo Rege obſignatæ annis 1580 & 1590. ſubſcribant, atque ut omnes jure jurando ſe obligent ad doctrinam & diſciplinam præſentem tuendam. Cui fœderi & confeſſioni a Rege nunc imperatæ, ſe non poſſe bona conſcientia ſubſcribere declarant; I. Quia hoc ſubtili ſtratagemate, aliis fruſtra tentatis, obliterabitur omnis memoria confeſſionis, ſubſcriptione & juramento hactenus obſignatæ, menſe Februario, anni hujus 1638, fœduſque illud quod æternum ſtatuebant, vix erit paucorum menſium. II. Quia ſi fœdus illud, in cujus verba jurandum eſſe omnibus rex imperat, idem ſit cum fœdere, in quod hactenus juratum eſt, tunc juramenta non neceſſaria erunt multiplicanda, & nomen Dei in vanum & fruſtra aſſumetur. III. Quia qui fœderi regio nunc ſubſcribunt, tacitè fatentur, priorem ſubſcriptionem fuiſſe illegitimam, quia a Rege non imperata; & juramentum, quo tum obſignabatur, fuiſſe temerarium; cujus fœderatos jam pœniteret. IV. Quia manifeſta eſt differentia, inter fœdus hoc a Rege imperatum, & fœdus illud, cui ſpontè collectivum quaſi regni & Eccleſiæ corpus hactenus ſubſcripſit; nam in fœdere regio nulla mentio applicationis ad præſentes errores, quibus Eccleſiarum pax turbata eſt; nec reformationis vitæ & morum; cum tamen in fœdere obſignato menſe Februario utriuſque aperta mentio facta ſit; prioris præſertim, propter illos errores, quibus libri canonum & liturgiæ ſcatebant; quos tamen cum confeſſione à Rege imperata, conſiſtere poſſe putant librorum illorum authores, *qui frequenter declararunt, articulos Perthenſes, Epiſcoporum hierarchiam, & alias omnes novitates obtruſas aut obtrudendas, non repugnare confeſſioni, quam anno* 1580 *obſignaverat Rex*. At fœderati contradicunt,

& omnes

& omnes illas novitates virtualiter tum abjuratas clamant; cujus probationem ad Synodum Nationalem referunt. Adde quod in fœdere, in cujus verba rex adigit, deſint quædam quæ in fœdere anni 1580 & 1590. clarè extant, videlicet, *Pontificios illos eſſe, à quibus religioni & perſonæ regiæ immineret periculum*, (& merito, nam juxta formalia verba ſtatuti 47. Sanciti in parlamento anni 1572. Quo vero religionis hoſtes, declarantur eſſe regis & regiæ authoritatis hoſtes.) Quorum loco generales quaſdam phraſes, data opera, inſertas dicunt, quas non dubium eſt, quin captatis occaſionibus, detorturi ſint adverſarii in fœderatos, quos hactenus (licet immeritiſſimè) pro iis habeant, à quibus plus periculi religioni & authoritati regiæ immineat, quam ab ipſis Pontificiis, quia ſcilicet ad paucorum placitum, qui Regis gratia abutuntur, à recepta religionis reformatæ puritate ſe divelli non patiuntur. V. Qui fœderi huic à Rege imperato cum novis illis additamentis ſubſcribunt, tenentur ſubſcribere, fœduſque illud tueri ſecundum mentem & expoſitionem Regis in fœdus adigentis; nam qui jurat, tenetur jurare ſecundum ſenſum & opinionem ejus, qui juramentum exigit; præſertim cum conſtet, quis ſit in juramentum adigentis ſenſus: Atque conſtat, Regis opinionem eſſe, quicquid in libris canonum, liturgiæ, ordinationis obtruditur, non repugnare confeſſioni fidei: Quod ſi fœderati facturi ſint, horrendi perjurii reatu manifeſto ſe involvent; utpote quod novitates illas abjurarint, & declararint, eſſe impios ritus in Eccleſiam introductos ab Antichriſto ejuſque præcurſoribus, ſine ullo divini verbi mandato, & cœtera. Plura hujus notæ in ſcripto ſatis prolixo, & typis excuſo, congeſſerunt; quæ omnia publicè perlecta fuerunt 22 Septembr. anni 1638 in frequentiſſima omnium ordinum corona,

ac protestationis exemplar feciali obtulerunt.

Eodem die Senatus regius confeſſioni & fœderi, per Regem imperato ſubſcribit, hiſce verbis; (quæ quia graviſſimis concertationibus anſam præbuiſſe feruntur, diligenter notanda ſunt.) *Senatus regius approbat, ſubſcribit, ac jurat in confeſſionem fidei ſupra ſcriptam, ſecundum tenorem ejuſdem, cum primitus prodierat 5 Martii* 1580, *ac prout tunc publicè profeſſio ejus fiebat in regno hoc, &c. ac ſtatuit, ut omnes ſubditi Confeſſioni huic ſubſcribant*, addita ubique hac clauſula, *ſecundum tenorem & receptam publicam profeſſionem, quæ in regno Scotiæ vigebat* Anno 1580. unde orta fuit quæſtio difficilis: quænam anno illo fuiſſet publica profeſſio, præſertim de Epiſcopatu; nam extra controvèrſiam apud omnes erat, nullam tum mentionem fuiſſe in Eccleſia Scotica articulorum Perthenſium, aut aliarum iſtarum novitatum obtruſarum in libris Canonum, Liturgiæ &c. quas ſubſcriptione hac ejectas eſſe de Eccleſia plurimi putant; licet in abjuratione ſpecialiter non deſignentur. At Hierarchiæ Epiſcopalis fautores aliter de Epiſcopatu ſtatuendum cenſebant; ejus tamen ruinam veriti omni ſtudio allaborarunt, ut ſcriptum quoddam obſignarent Senatores regii; quo ſemet obligarent, ad tuendum Epiſcoporum in Eccleſia Scoticana regimen: neque Epiſcopatum Confeſſionis & fœderis ſubſcriptione eliminari de Eccleſia: quin contra magis eadem ſtabiliri. Sed conatus ille irritus fuit; quare, propter diverſitatem ſententiarum nihil ea de re tum in Senatu regio ſtatutum.

Præsbyteria ſeu Claſſes ad ſynodum Glaſguæ habendam juſto numero deputant, videlicet ex ſingulis tres paſtores cum unico ſeniore; mandata, quibus inſtruendi erant, concipiunt, ac de Eccleſiarum gravaminibus ad ſynodum deferendis ſedulo deliberant; In jus ubique vocant paſtores, Papatus &

Arminianiſmi heterodoxias publicè ſpargentes, aut qui flagitioſis moribus actionibuſque improbis Eccleſiæ offendiculo fuerunt, ut ſi qui fortè presbyteriorum judiciis ſe gravatos exiſtimarent, ad ſynodum nationalem provocarent: In quibuſdam presbyteriis acres obortæ fuerant concertationes, quod ſeniores poſt quadraginta plus minus annorum continuam intermiſſionem ſuffragium in presbyteriis ſeu Claſſibus ſibi vendicarent, duriſſimum hoc quibuſdam viſum ut pari fere cum paſtoribus numero intereſſent, quo non ſolum obrutum iri paſtores, verumetiam omnia ſeniorum illorum ſuffragiis circumagenda fore queſti ſunt, præſertim cum ſeniores ut plurimum ſint viri nobiles magnæ authoritatis: Qui ſeniorum jus propugnabant, reſpondebant; Secundum primitivam eccleſiæ Scoticæ diſciplinam, ſenioribus hiſce jus hoc tributum eſſe, in eum finem loca quædam ex libro ſecundo de diſciplina expromunt ſatis diſerta; Presbyteria etiam juxta illius libri præſcriptum conſtituta, ſanciri expreſſa lege parlamentaria *Iacobi* 6. parlam. 12. anno 1592. Aſſerebant, Ante luxatam epiſcopaturientium artibus eccleſiæ hanc diſciplinam, Claſſibus ſemper interfuiſſe ſeniores, neque hoc purioribus illis temporibus à quolibet in controverſiam unquam vocatum fuiſſe; paucorum itaque annorum intermiſſionem non debere nec poſſe præſcribere politiæ communibus omnium ſuffragiis receptæ ac legibus ſancitæ, præſertim cum nullo canone eccleſiaſtico, nulla lege politica hactenus reſciſſa ſit: neque magis verendum ne ſic obruantur paſtorum ſuffragia in presbyteriis, quam in ſingularum eccleſiarum ſeſſionibus ſeu conſiſtoriis, quibus quatuor aut ſex ut plurimum ſeniores pro unico paſtore interſint: Abſurdum eſſe quod de ſeniorum qualitate objicitur, quaſi vero excluſis nobilibus prudentia & morum

num elegantia ſupra alios conſpicuis, eccleſiarum gubernationi tenuioris ſortis homines admovendi eſſent: neque metuendum eſſe paſtoribus ne nobiles illi authoritate ſua, omnia pro arbitrio circumagant, cum conventibus ſemper præſint paſtores, ac in dicendis ſententiis præeant.

Proxima cura fuit de citandis Epiſcopis, ut in ſynodo rationem redderent eorum quæ ipſis objicienda eſſent. Regis quidem edicto mandabatur Archiepiſcopis & Epiſcopis ut ſynodo intereſſent, quaſi iis ex officio jus ſuffragii competeret; eodemque edicto ipſorum perſonæ ſynodo ſubjiciebantur; Verum fœderatis quam certiſſimum fuit, jus illud ſuffragii Epiſcopis nulla ratione deberi; Generalem illam in edicto regio declarationem, qua omnes ſubditi parlamenti & ſynodi judicio ſubjiciebantur, ad plenam citationem non ſufficere, & facile etiam eludi poſſe: Quare cum regis deputato ſerio & ſubmiſſe agunt fœderati, ut literis citatoriis Epiſcopos tanquam reos ſigillatim adeſſe juberet; Quod cum ille conſtanter renuiſſet, ne defectu legitimæ citationis ſynodi judicium & cenſuram ſubterfugerent epiſcopi, ad inſolitum citandi modum recurrere coguntur fœderati: Claſſibus videl: ſe ſiſtunt, graves contra Diœceſeos illius Epiſcopum, & alios omnes quotquot ſint in regno Scotiæ, deponunt querelas, quod intra limites a ſynodo præſcriptos in poteſtatis eccleſiaſticæ exercitio ſe non continuerint; ſed in omnibus ſe geſſerint tanquam eccleſiæ dominos & principes, ac intoleranda tyrannide eccleſiarum jura invaſerint; (atque hic ſpeciatim longum catalogum eorundem ſubjiciunt) quod Arminianorum heterodoxias, & plurima Pontificiorum damnata dogmata aut publicè defenderint, aut alios noxias ejuſmodi heterodoxias ſpargentes legitimis cenſuris non ſolum non coer-

coercuerint, verumetiam unice foverint; accuſantur etiam ebrietatis, perjurii, ordinariæ profanationis nominis divini & diei Dominicæ, ſcortationis, ſimoniæ, ſacrilegii, & cæt: & quia in unam factionem ſimul conſpiraſſe omnes Epiſcopos quam certiſſimum fœderatis fuit, ideo conſultiſſimum iis videbatur, omnes συλλήβδην iiſdem literis citatoriis includere, addita tamen clauſula; *Reſpectivè*, ne queri poſſent Epiſcopi, ſingulos omnium criminum infamia gravari. Claſſis ſeu presbyterium perlectis & perpenſis libellis illis ſupplicibus contra Epiſcopos; quia judicavit rem eſſe majoris momenti quam quæ peragi poſſet ab alio quovis eccleſiaſtico conventu, quam ſynodo nationali, cauſæ hujus cognitionem ad ſynodum nationalem refert;& cum ignoraret, quonam profugiſſent Epiſcopi, decrevit eoſdem libellos ſupplices ſibi oblatos, die dominico de pulpito prælegendos, & hac prælectione publica citari Epiſcopos declarat, ut ſynodo nationali ſe ſiſtant ad diluendum objecta crimina, aut ſubeundam ſynodi cenſuram: Qui inveniri potuerant in Scotia Epiſcopi (nam multi in Angliam ſe ſubduxerant) literarum harum exemplar traditur, qui facilè præſagire potuerunt, quam infauſtum hoc eſſet inſignis alicujus calamitatis omen, & quam male ſibi conſuluiſſent; ſi deputato regio authores fuerunt illius conſilii, ne Epiſcopis ordinaria citatione diem diceret, quæ conſtans fuit multorum opinio.

Veruntamen ut gravem hunc ictum declinarent, cui ferendo impares ſe noverant, in omnes formas ſe vertunt, ac toties icti in prædeceſſoribus ſuis, aciem liberæ nationalis ſynodi evitare laborabant. veluti infames ſcopulos, ubi exuvias de majorum ſuorum naufragio natantes cernebant; ideoque nihil reliqui ad ſummam diligentiam faciunt, ne præfinito tempore coiret ſynodus;cum fautoribus & aſ-

ſeclis

ſeclis ſuis, qui ſibi à ſynodo metuebant, agunt, ut contra ſynodum futuram, licet regia authoritate ſolenniter indictam, proteſtarentur, tanquam illegitimam, utpote quod in Claſſibus ad deputatorum electionem admiſſa fuerint ſeniorum (quos tertiò quoque verbo per contumeliam *Laicos* vocabant) ſuffragia, iiſque par poteſtas cum verbi paſtoribus concederetur: Multa alia hujus generis ſubterfugia indies producebant: Et cum ſubdolæ iſtæ molitiones ex animi ſui ſententia non ſuccederent, ad alia aſtuta conſilia ſeſe conferunt.

Etenim vulgo cognitum fuit, vias in tractu Glaſguenſi à latronibus obſeſſas eſſe; ita ut, qui *Glaſguam* ad ſynodum adventuri eſſent, cogerentur arma ſecum ferre defenſiva, quibus à prædonum ibidem graſſantium impetu ſe tuerentur; cum verò temporibus pacatis per leges illud non liceret, cum deputato regio agunt, eique tandem perſuadent Epiſcopi, ut ad ſynodum delegatos ſine armis, atque numeroſiore comitatu clientelæ & familiarium *Glaſguam* adeſſe juberet, aliiſque omnibus ad ſynodum non deputatis ſevere interdiceret, ne *Glaſguam* accederent: hàc arte perſuaſum fuit Epiſcopis, aut nullos habituros ſe accuſatores, aut oblatam occaſionem declinandi Synodum, utpote ad quam non eſſet ſibi tutus acceſſus, in urbe ſcilicet adverſariorum etiam armatorum plena: Sed prudentia fœderatorum omnes illæ verſutiæ fruſtra fuerunt, frequentiorique comitatu licet ſtipati, ac armis defenſivis muniti *Glaſguam* advenientes, nihil aliud ſibi propoſitum fuiſſe oſtenderunt, quam ut ſe contra ſubitariam vim tuerentur, ſi quæ immineret aut à latronibus in via, aut à vicinia, quæ eorum clientelis referta fuit, quibus, temporibus hiſce dubiis ſeſe ſecure committere vix tutum judicabant.

Cum vero accepiſſent Illuſtriſſimum *Marchionem*

Hammiltonium, ſummum regis Sereniſſ. deputatum, 16 Novembris *Glaſguam* adventurum, nobiles omnes obviam ei procedunt, ac frequenti D. Senatorum regiorum ac clientum comitatu ſtipatum ad hoſpitium deducunt.

Varii interim habebantur congreſſus præparatorii, ac ex edicti præſcripto 21. Novembris aperitur ſynodus, præſente Deputato regio; Poſt ſeptem dierum in ſynodo moram, tandem de ſynodo diſceſſerat, ac, nomine regis, ſynodi diſſolutionem ſevere imperaverat; & ſcriptum declinatorium ab Epiſcopis compoſitum offerri jubet per procuratorem, quo ſynodum totam conquiſitis undique rationibus aut rationum prætextibus recuſaverant, & alios judices magis competentes appellaverant: Sed tam interdictio quam appellatio fruſtra fuerunt. Nam ſolenni proteſtatione ad mandatum diſſolutionis reſpondet ſynodus; & ſcriptum illud Epiſcoporum declinatorium excutitur, ac ad ſingula objecta fuſe reſpondetur: Cum vero Deputati regii reditum fruſtra exſpectandum eſſe cernerent ſynodi membra, ad actiones ventum eſt; quarum quædam capita tantum & indicem ſubjiciam: Inquiritur de αὐθεντίᾳ regiſtrorum ſynodalium, & authentica eſſe declarantur: Damnantur conventus quidam Eccleſiaſtici, qui ſynodorum nationalium nomine veniebant, eorumque ad oculum oſtenditur nullitas: Omnium Epiſcoporum cauſæ ſigillatim examinantur; ac decernitur omnes eſſe ab Epiſcopali functione remouendos & ex quatuordecim quos numerabat Scotia epiſcopis, octo excommunicantur, quatuor ab omni eccleſiaſtica functione excluduntur, duobus indultum ut paſtoris munere defungi poſſent; & Cenſura in complures paſtores fertur: Damnatur Diœceſanus Epiſcopatus; quinque articuli Perthenſes; libri liturgiæ, canonum, ordinationis; rejicitur Celſa Commiſſio, &

quicquid

quicquid in Eccleſiam irrepſit poſt annum 1580; quando primum fœdus illud nationale ſancitum fuerat; ejus genuinum ſenſum de articulis controverſis expromunt; ac poſtliminio in uſum revocant conſtitutiones eccleſiaſticas in prima & puriori reformatione latas, quibus diu floruit diſciplinæ vigor, doctrinæ puritas, cultus divini ſimplicitas, & paſtorum unitas: Cui volupe erit, omnia ſpecialius deſignata cognoſcere, conſulat fuſiorem & pleniorem Synodi deſcriptionem ſubjunctam, ubi non ſolum fundamenta quibus concluſiones & decreta Synodica innituntur, verumetiam ſcriptorum illorum publicorum, de quibus facta mentio, medullam inveniet: hoc eſt; Epiſcoporum proteſtationem contra Synodum; Deputati regii edictum de diſſolvenda ſynodo, & Synodi ad utrumque ſcriptum, ſingulaque eorundem capita reſponſiones, uti etiam literas à Synodo ad ſereniſſ. regem exaratas, & de verbo in verbum tranſlatas: quæ imprimis conſulendæ ſunt.

Plena narratio Synodi Glaſguenſis.

Poſt ultro citroque varios habitos congreſſus: Inchoata tandem fuit nationalis Synodus *Glaſguæ*, 21. Novemb. anni 1638. Regii deputati mandato (cum ſui muneris eſſe diceret, abſente prioris ſynodi præſide, eum nominare qui precibus ac ſolenni concione actionem hanc ſacram auſpicaretur) Reverendo ſeni, *Iohanni Belo*, ſeniori urbis paſtori, provincia aperiendi ſynodum demandabatur, & ille, precibus ad Deum fuſis, ut ſervis ſuis in Chriſti nomine congregatis ſpiritu veritatis & pacis adeſſe ac præeſſe dignaretur; ac inſigni & appoſita concione, qua omnes officii ſui ſerio admonebat, Synodi hujus tot piorum votis deſideratæ Aperturam fecit: Cujus ſermonem excepit Deputatus regius, literaſque fidei & mandati à rege ſereniſſimo datas, *Thomæ Sandilandio*, (quem pater

Iacobus Sandilandius anterioris Synodi Scriba vicarium jam delegit) publice legendas tradit; quibus plenam Marchioni *Hammiltonio* poteſtatem tradit *Indicendi Synodos Nationales in regno Scotiæ, ubi & quando ipſi viſum fuerit, ibidemq; ſe ipſum tanquam noſtrum Commiſſarium gerendi, omniaque eiſdem tenendis inſervientia ſecundum leges & praxin Eccleſiæ & regni Scotiæ, præſtandi.*

Eadem ſeſſione delegati Claſſium ſeu presbyteriorum, urbium, & Academiarum, literas fiduciarias exhibent, quarum examinatio in ſubſequentes ſeſſiones dilata fuit.

(22. *Novemb. ſeſſione* 2.)

Præſes pro tempore qui hanc actionem auſpicatus fuit; ſignificabat conſultum eſſe, ut Præſes, quem Scoti *Moderatorem* vocant, eligeretur, qui dirigendis Synodi actionibus præeſſet: Sed sereniſſimi Regis epiſtolam ad Synodum prælegi juſſit deputatus regius, qua omnibus in Synodo mandat, *eam reverentiam & obedientiam ut præſtent Delegato Marchioni, quæ ſibi præſenti à ſubditis debetur*, *quicquid porro regio nomine pollicebitur Marchio, id ſe ratum habiturum ſpondet, in cujus rei perpetuam memoriam præſentes has literas, publico ſynodi regiſtro inſerendas jubet*. Quo conceſſo, rurſus urgebatur Moderatoris electio, ſine quo nihil operæpretii peragi potuit. Magna hic orta fuit diſputatio, Deputato regio urgente, ut prius ſcriptum quoddam Epiſcoporum nomine ſibi oblatum prælegeretur, dein ut deputatorum literę fiduciariæ examinarentur, quibus peractis paratum ſe profitebatur ad novi Moderatoris electionem promovendam. Reſpondebant Synodici, neutrum adhuc concedi poſſe, non ultimum, nam quis futurus erit Iudex ſi difficultas aliqua in examinatione literarum fidei oboriatur? Non poſſe Synodum, quæ Synodi nomine non veniat ante legitimam Præſidis & Scribæ electionem, qui fori hujus membra

membra ſint neceſſaria: Multo minus primum ob eandem rationem concedi poteſt, præſertim cum ſcriptum illud Epiſcoporum, ad Synodum ſit deſtinatum, ibique prælegendum, quod vel cæcis conſpicuum eſt, fieri non poſſe, quin prius ſynodi ipſius membra conſtituantur: quibus conſtitutis, utrumque ſe facturos ſpondent ſynodici. At contra utrumque tanquam injuſtum proteſtatur Deputatus regius: Conſenſit tamen tandem in Præſidis electionem, proteſtatione prius præmiſſa, Electione hac nihil derogatum iri prærogativæ regiæ, legibus & conſuetudinibus receptis, nec dignitati & authoritati Epiſcoporum, quibus Moderationis honor competit. Reſpondent Synodici; Sibi nunquam ſtatutum jus regium aut legum vim diminuere; Quod vero ad Epiſcopos illos attinet, habendos pro reis quoad de ipſorum innocentia conſtiterit; Addebant alii vel eo nomine reos eſſe, quod prærogativã præſidentiæ per fas & nefas ſibi arripuerint. Tandem ad Præſidis electionem ventum eſt, potioreque ſuffragiorum numero eligitur *Alexander Henderſonus*, paſtor Eccleſiæ *Leucherenſis* in Claſſe *Andreapolitana*: Deputatus interim in ſuffragio ferendo ita ſe gerebat, quaſi electionem permitteret, ad eamque conniveret potius quam directè ratam haberet. Prouinciam eleganti oratione ac ardentibus precibus capeſſit novus Præſes.

Poſthęc Deputatus regius monet, Regem per literas nominaſſe ſex ſenatores regni, omnes fere nobiles, quibus tanquam ſuis aſſeſſoribus, Ius ſuffragii definitivi competeret. Reſponſum à Præſide; Regem in publicis fidei literis à Marchione prolatis, nullam feciſſe aſſeſſorum quorumlibet mentionem, provinciam deputationis ſoli Marchioni commendaſſe; rem eſſe peſſimi exempli quæ plurima incommoda ſecum traheret, ſi aſſeſſoribus jus illud definitivi ſuffragii

concedatur; qui hodie ſex, eodem jure poſſe cras vel centum aſſeſſoribus idem jus aſſerere, qui pluralitate ſuffragiorum vel ſynodo renitente obtinerent quod regi conſultum eſſet: Regem Iacobum, licet pluribus ſynodis interfuiſſet, unico tamen ſuffragio contentum fuiſſe; Neque hæc à ſe dici volunt, quaſi ſiniſtri aliquid de nobilibus illis ſuſpicarentur; verum ſtudio vitandi pręcipitia illa, ad quę antea naufragium ac libertatis jacturam paſſa eſt eccleſia: Contra hæc omnia proteſtatur deputatus, proteſtationem ſynodi regiſtris inſeri petit; quod factum ſimul cum ſynodi reſponſo.

(23. *Novemb. ſeſſione* 3.)

Actum fuit de electione Scribæ ſeu actuarii, quem Scoti *Clericum* vocant: poſt prolixam & tædioſam altercationem omnium fere ſuffragiis electus eſt *Archibaldus Ihonſtonus*, Advocatus in ſuprema curia: eique à *Sandilandio* tradita fuerunt duo volumina manuſcripta quæ continent acta nationalium ſynodorum poſt annum 1590. Rogabat Præſes an ullus adeſſet cui aliquid cognitum eſſet de voluminibus præcedentium ſynodorum acta continentibus, ex quibus ſolis verus Eccleſiæ Scoticæ ſtatus cognoſci poſſet; Sandilandius patris nomine ſancte affirmabat; patri volumina illa nunquam viſa fuiſſe, dolebant omnes tanti cimelii jacturam, ignari quomodo damnum illud reſarciri poſſet: Tandem *Ihonſtonus* novus ſynodi Scriba cum magno omnium gaudio, quinque volumina ſcripta aut ſignata manu eorum qui Scribæ ſynodorum tum erant, protulit, quæ continebant omnia acta Synodalia Eccleſiæ Scoticæ ab initio reformatæ ibidem religionis, anno 1560. uſque ad 1590. ſi acta quædam exceperis, quæ impia & audaci manu Pſeudo-Epiſcopus *Adamſonus* expunxit, uti in palinodia ſua ingenue eſt confeſſus. Proxima ergo cura fuit, ut de librorum

horum

horum ἀυθεντεία inquirerent, hæc autem provincia conſentiente deputato regio, demandata eſt quinque provectioris ætatis paſtoribus, quibus manus eorum qui tunc ſcribæ fuerunt, erat familiariter cognita, hiſque adjuncti tres juriſperiti, ſeniores; Ac ut omnis fraudis vel leviſſima abeſſet ſuſpicio, enixe rogabat ſynodus deputatum regium, ut tres regni Senatores laboris hujus eſſent inſpectores; ſed fruſtra.

Poſt hæc agi cœptum eſt de examinandis literis fidei cum quibus deputati ab Eccleſiis ad ſynodum ablegati fuerant, quas Scoti vocabulo forenſi *Commiſſiones* vocant; Deputatus regius inſtabat ut ſcriptum illud Epiſcoporum prius prælegeretur, cum quædam fortè contineret quæ lucem aliquam diſcutiendis illis literis afferrent, quorum nullus eſſet uſus poſt examinatas literas. Eccleſiarum vero deputati contra cenſebant, præmittendam eſſe literarum fiducialium examinationem; idque quia ſcriptum illud Epiſcoporum formalem proteſtationem contra omnia ſynodi membra, tanquam illegitime deputata, continere noverant, neque nudam ſolum prælectionem, quin potius ejuſdem inter acta relationem, ac rationum contentarum examen ſtatim intendi conjecturis non contemnendis colligebant, quod ante ſynodum in omnibus ſuis membris rite conſtitutam niſi cum manifeſto eccleſiaſticæ libertatis damno concedi non potuit. Adde quod intempeſtiva hac ſcripti hujus prælectione, ſynodi progreſſum tantum non interturbare, ac judicandi & ſententiam ferendi de membris ſuis poteſtatem hac arte ſynodo ſubreptam, in unicum deputatum regium cum dictatoria poteſtate conferre ſatagebant hierarchici: cui ſeniorum (ut vocant) laicorum præſentiam cum poteſtate definiendi in cauſis & ſynodis Eccleſiaſticis non ferendam perſuaſerant, ut eventus poſtea docuit. Quare

unanimi ſententia ab examinatione literarum fidei incipiendum eſſe dicunt,deputatoq; regio proteſtanti,reſponderunt; Non negari ſimpliciter ſcripti illius prælectionem,verum in tempus opportunum ſolummodo differri; nihil damni epiſcoporum cauſæ dilatione hac neceſſaria illatum iri, quandoquidem in progreſſu examinis harum literarum, aut poſt examinatas literas exceptiones illas proponi liceret, quibus ad bonorum virorum arbitrium ſe ſatisfacturos ſpondent.

(24. *Novemb. ſeſſ.* 4.)

Examinantur itaque quorundam deputatorum literæ, quantum per temporis anguſtiam, & negotia alia intercurrentia fieri potuit, nam omnium literarum numerus excrevit ad 122.uno fere tenore & formula, quibus mandabatur, *ut deputati ad locum Synodo deſtinatum tempore ſe conferrent, in eaque ſuo* (i. e. deputantium) *nomine, proponerent, diſputarent, ſententiam ferrent de rebus omnibus Eccleſiaſticis quæ ſub ambitum liberæ Nationalis Synodi veniunt, ſecundum Dei verbum & confeſſionem fidei publice in hoc regno receptam ac authoritate multarum Synodorum Nationalium identidem munitam.* Poſtremum hoc conſultò additum, non quod cuilibet ſcripto humano in ſe conſiderato parem authoritatem tribuant cum verbo Dei, ſed quod pro orthodoxa conſenſus formula agnoſcant, ex qua ortæ hæ controverſiæ facilius dirimi poſſent; hæc ad præcavendam eorum calumniam, qui ſimplicioribus ignaris ſæpe,quid rerum agatur perſuadere ſatagunt, orthodoxos Scotos reſorbere Antichriſtianas ſordes, ac in Pontificiorum quos deſeruerunt caſtra reditum meditari: Sed hoc ſolenne hominibus hiſce ſycophantarum intemperiis & maledicentiæ æſtro agitatis, criminum quibus laborant, ac quiorum manifeſtò tenentur,infamiam in innocentes per calumniam transferre

transferre, ut ſcilicet integritatem mentiantur, hoc eſt quod vulgo dici ſolet οἱ φῶρες περσεγχελοῦσι.

Neceſſaria hac digreſſiuncula defunctus, ut ad ſemitam unde digreſſus revertar. Inter exminandum literas fidei, acres ſæpius concertationes obortæ, quæ tamen ſynodi prudentia ſæpe amicè ſopitæ fuerunt. Harum nobiliſſima fuit inter duos Nobiles, Claſſis *Brechinenſis* deputatos, quorum uterque literas deputatorias proferebat; dumque ſuas proferret *Dunenſis* Comarcha; forte in tergo literarum quædam erant ad cauſæ hujus ſummam non pertinentia & imprudenter à Scriba ſynodi prælecta; quorum authenticum exemplar ſibi tradi poſtulat deputatus regius; Aſt ſynodus haud æquum judicabat privati cujuſlibet ſcripti copiam dare, ſcripti præſertim domino reluctante, ac contranitente; ideo proteſtatur deputatus regius; qua proteſtatione ſoluta eſt ſeſſio hæc.

(26. *Novemb. ſeſſ.* 5.)

Sedulo pergitur in reliquarum literarum examine: cui in hac ſeſſione finis imponitur. Obſervatum fuit Claſſem *Abredonenſem* in partes ſciſſam fuiſſe duas, ſed inæquales: Minor D. *Robertum Baronium* & D. *Iacobum Sybaldum*, SS. Theologiæ Doctores & Paſtores *Abredonenſes*, illum etiam ibidem profeſſorem; delegabat: ſed gravibus de cauſis irritam hanc deputationem declarat Synodus: utriuſque tamen præſentiam mirum in modum deſiderabat, præſertim cum ſcriptis editis labantem hierarchicorum cauſam fere ſoli ſuſtinere conati fuerint: Abſentiæ improviſæ cauſas ſcrutantibus varia occurrebant; & qui in horum myſteriorum abdita & receſſus altius penetrabant, judicabant omnia hæc eorum conſilio fieri, quorum ſuaſu ulteriorem ſynodi progreſſum deputatus regius impediturus erat, conjecturamque hanc (ut multorum fuit opinio)

 magis

magis probabilem fecit paſtoris cujuſdam audacia qui ex *Roſſia* ad ſynodum ſe ablegatum dicebat, quumque electionem ſuam à ſynodo irritam declarari cerneret æquiſſimis de cauſis, ſtatim quam paratam habebat proteſtationem contra ſynodum totam, ſingulaque ejus fere membra prælegendam obtruſit, qua ſynodum illegitimam pronunciabat, ideo quod ſeniores Laicos ad ſuffragia admitteret, licet legitima vocatione inſtructos; & quod ad paſtorum delegatorum electionem in Claſſibus admiſſi fuerint; hujus proteſtationis exemplar ſibi tradi poſtulat regius deputatus, ægreque tulit *Andreæ Ramiſæi*, veterani paſtoris, itidemque doctiſſimi, zelum, (quem quidam, Marchioni familiaris, tanquam vanam jactantiam ac bullatas nugas ipſe Thraſoni haud multum diſſimilis traducebat) quod obtulerit, paratum ſe in arenam deſcendere, ac probaturum ex ſcriptura ſacra, prima & incorrupta antiquitate, conciliis, conſenſu & quotidiana praxi omnium aliarum Eccleſiarum reformatarum, (Anglicanis non exceptis apud quas laici agnoſcuntur judices ordinarii in foro celſæ commiſſionis, quod tribunal eſt eccleſiaſticum) præter conſtantem Scoticarum eccleſiarum praxin ab ipſis reformationis incunabulis, Laicos quos vocant *ſeniores non ſolum ad ſuffragia in ſynodis eſſe admittendos, verumetiam neceſſaria eſſe ſynodorum eccleſiaſticarum præſertim nationalium membra*, ac licet deputato regio adeſſet Theologus magni nominis, qui privatim multa in contrarium polliceretur, ac Epiſcoporum doctiſſimis in urbe aut vicino *Hammiltonio* hærentibus, ignota non potuit eſſe hæc provocatio; nemo tamen conditionem certaminis ſeu publice ſeu privatim ſuſcipere auſus fuit

(*27. Novemb. ſeſſ. 6.*)

Quibus provincia inquirendi de *ἀυθεντίᾳ* voluminum

minum illorum commiſſa fuit (quæ non ſine ſingulari Dei providentia conſervata, ac nunc tempore tam opportuno luci reddita fuerunt) judicium ſuum ſcripto exhibent, libros illos omnes & ſingulos genuinos eſſe, hujuſque τεκμήρια novemdecim, ex libris illis inter ſe collatis, proferunt, uſque adeo evidentia, ut deputato regio publicam hanc vocem extorſerint: multos animo ſuo rationum illarum evidentia ſcrupulos exemptos eſſe, licet rem certo vix ſibi perſuaſam diceret. A reliquis vero eccleſiarum, Academiarum, ac urbium delegatis, omnes dubitationis nebulæ penitus abſterſæ fuerunt, ita ut ſtatim in rem judicatam tranſiiſſent, niſi preſes in ſequentem ſeſſionem differendum cenſuiſſet, tum ut longioris moræ gratiam regio deputato faceret, tum ut nullis calumniandi poſthac locus eſſet, rem tanti momenti præcipitatam fuiſſe.

Dein Præſidi proponenti, an Synodo placeret aſſeſſores ſibi adjungere? Reſpondit ſynodus, Aſſeſſorum conſuetudinem nunquam hic uſitatam fuiſſe, licere tamen Præſidi quos vellet nominare, quorum privatim indies uteretur opera in rebus præparandis & dirigendis: Ecquid, inquit præſes, placet de privato colloquio? Non placere reſpondent omnes, memores quam improbe eo abuſi fuerint hierarchici ad ſynodorum authoritatem enervandam. Nominati tum fuere quidam qui Præſidi eſſent à conſiliis; aliis vero mandatum, ut eccleſiarum ad ſynodum gravamina colligerent, & diſponerent, ac ordine proponerent. Atque tunc demum declaratur, integram eſſe ſynodum, in omnibus membris ritè conſtitutam.

Profertur ſcriptum illud ab Epiſcopis formatum; ac per *Robertum Hammiltonium* paſtorem: (quem huic negotio ſpecialem procuratorem ſtatuerant Epiſcopi) ſynodi ſcribæ legendum traditur; ſubſcribebatur

bebatur manu ſex quà Archiepiſcoporum quà Epiſcoporum. Eo prælecto nobiles quidam (qui ſynodo aderant non ut deputati, ſed ut actionem contra Epiſcopos proſequerentur): inſtrumenta (ut vocant) authentica ſibi concedi poſtulant, Epiſcopos ſcripto hoc agnoſcere ſe citatos, cum per procuratorem compareant, quem apud acta citant ut de die in diem ſynodo ſe ſiſtat acturus delegantium Epiſcoporum cauſam, quorum voluntariam abſentiam cauſæ ſuæ fraudi non futuram quo minus contra eos tanquam præſentes agatur, rogant. Quibus à deputato regio reſponſum eſt: Scriptum illud ſibi non ſynodo deſtinatum; quæſtionem eſſe de judicis competentia, quæ exceptio haberi debet peremptoria: mandat etiam procuratori ne ſynodo ſe ſiſtat. Prælecta fuerant eadem ſeſſione tria alia ſcripta, ſignata paucorum quorundam concionatorum manu; ſed quia quicquid in omnibus eſt notatu dignum, fuſius in Epiſcoporum proteſtatione continetur, illius præcipua capita ſubjungam.

Epiſcoporum proteſtatio contra Synodum.

Licet (inquiunt) ſynodos Nationales legitime convocatas & conſtitutas, malis quibus vexatur eccleſia removendis, pacique ſtabiliendæ neceſſaria & efficacia eſſe media ingenue fateamur, ac jus convocandi eaſdem ad regem ſolum pertinere profiteamur, abſque cujus conſenſu & approbatione ſi qui in ſynodum coire auſi fuerint non ſolum eos ſeditionis, verum etiam imminuti juris regii reos putamus; Conventum tamen hunc *Glaſguenſem* pro legitima ſynodo habendum non eſſe hiſce rationibus demonſtramus: 1. Quia delegatorum ſi non omnes, ſaltem plurimi, electi fuerant ante indictam regia authoritate ſynodum: 2. Quia paſtores deputati pro veris paſtoribus habendi non ſunt,

cum

cum non ſubſcripſerint confeſſioni fidei in præſentia Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Superintendentium, aut Commiſſariorum, neque coram iiſdem Fidelitatis ac Primatus, ſive ſupremitatis juramentum regi præſtiterint, uti legibus municipalibus hujus regni cautum fuit Iacob. 6. parlament 3. cap. 46. anno 1572. 3. Quia confeſſioni fidei à rege menſe Septembri labentis hujus anni imperatæ ſubſcribere pertinaciter detrectarunt: 4. Quia dignitatem & privilegium Epiſcoporum, (qui primum ordinum regni ſeu parlamenti membrum conſtituunt) petulanter impugnarunt, quod frequentibus regni legibus graviſſimis læſæ majeſtatis criminibus accenſetur: 5. Quia licet præcedentium criminum infamia non tenerentur, à presbyteriis tamen ſeu Claſſibus deputati ſunt, qui ſe omni authoritate deputatos ad ſynodum delegandi privarunt: utpote quod abjectis ac remotis præſidibus ſuis ab Epiſcopis conſtitutis (quod ſynodo *Glaſguenſi* anno 1610. Epiſcopis conceſſum fuit) alios inconſultis Epiſcopis ſubſtituerint: 6. Quia horum deputatorum electioni in presbyteriis adfuerunt æquali numero & authoritate ſeniores laici, ut plurimum Nobiles magnæ authoritatis, quibus facile fuit paſtores (in quibuſdam etiam locis numero paucio-res) in ſuam ſententiam vel invitos metu pertrahere: ita ut eccleſiarum ad hanc ſynodum deputati, potius dicendi ſunt, Delegati laicorum quam Cleri; quod non ſolum ordini, decoro, & receptæ per totum Chriſtianum orbem laudabili conſuetudini, verumetiam praxi & conſuetudini hujus Eccleſiæ Scoticæ adverſatur, nam nullus eſt qui affirmet quadraginta annis præteritis apud nos locum conceſſum fuiſſe in Claſſibus ſeu presbyteriis, ſenioribus illis laicis, præſertim dum de electione delegandorum ad ſynodum Nationalem ageretur: 7. Quia de-

legati

legati paſtores ſeditioſis & tribunitiis concionibus, honori regio detraxerunt, ſubditoſque ad rebellionem excitarunt: 8. Quia alii ſchiſmatici ſunt, ordini & decoro nulla pacis habita ratione, pervicaciter ſe opponentes: perjuri, canonicam ordinariis Epiſcopis obedientiam detrectantes, ad quam præſtandam juramento ſolenni aſtricti ſunt; cenſura Eccleſiæ Hibernicæ & Scoticæ notati; Omnes fere meritò à ſacri miniſterii functione deponendi: 9. Quia ſenioribus laicis jus ſuffragii definitivi conceditur, quod an in Eccleſia bene ordinata & conſtituta ferendum ſit, oſtendit veterum Conciliorum praxis. Hinc illud patrum quarti œcumenici Concilii *Chalcedonenſis: Mitte foras ſuperfluos*; Theodoſii junioris vox eſt Chriſtiano Principe digna, dicentis, *Illegitimum eſſe eum qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum eccleſiaſticis immiſceri tractatibus*: Mandavit etiam *Pulcheria* imperatrix Stratego, ut *Clerici, laici, monachi, ui repellerentur, exceptis paucis illis quos Epiſcopi ſecum duxerunt*: unde quoque vox illa *Martini* in Concilio *Chalcedonenſi*; *Non eſſe ſuum, ſed Epiſcoporum tantum ſubſcribere*: Et quid vetat quominus nos iiſdem verbis deputatum regium compellemus? 10. Quia omnes fere deputati ante ſynodum hanc coactam aperte profeſſi ſunt ſe ea damnare, quæ in Synodo diſcutienda & dijudicanda ſunt, videl. Epiſcopatum; quinque articulos Perthenſes; Clericorum politicas functiones, munia civilia; & hujus generis ſimilia: quis autem æquos eos judices futuros exſpectet, qui non ſolum arroganter præjudicarint ea de quibus in ſynodo agendum erit, verumetiam ſolennibus juramentis ad cauſas ſic præjudicatas tuendas ſeſe obſtrinxerint? Notum eſt inter multas recuſati concilii Tridentini rationes à primis Reformationis promotoribus, hanc facile primariam fuiſſe, quod Pontifices Romani, qui ſe ſupremos judices

dices venditarunt, diplomatis ſuis, *Lutheri* doctrinam hæreticam declaraverint ante indictum illud Concilium: & quod Epiſcopi, judicum partes in concilio acturi, jurejurando & ſolennibus pactionibus ad Pontificis Romani dignitatem & dogmata tuenda, aſtricti fuerint: 11. Quia contra ipſos Archiepiſcopos & Epiſcopos hoſtili & pluſquam Vatiniano odio feruntur, cujus documenta peti poſſunt ex probroſo illo citatoriarum literarum libello, impudentiſſimis & ad ſolam invidiam confictis criminationibus referto, horum ſuaſu in omnibus regni eccleſiis publicè prælecto, ut nobis omnibus infamiam & odium populi crearent; contra charitatem fraternam & Apoſtoli monitum, *Seniorem ne increpato, ſed hortare ut fratrem*; contra ſtatuta regni municipalia, vetantia ne contra quodlibet parlamenti membrum proferatur, quod ad dignitatis debitæ diminutionem facere poſſit; contra canones ſynodorum nationalium prohibentes ne pro concione paſtores quemquam nominatim perſtringant, atque ne quilibet *ſuper inquirendis* criminibus citetur; cum tamen libellus iſte citatorius ad nullum ſpeciale crimen deſcendat, aut reos deſignet: contra juris praxin receptam, quæ vetat ne judicium aut ſententia contra paſtores proferatur, niſi prius trinæ reorum citationes legitimæ præcedant: Adde quod neceſſe ſit citationes ab eo foro emanare, in quo cauſa diſceptanda erit, quod de diffamatoriis hiſce citationibus dici nequit; cum ſynodus tunc aperta nondum fuerit: denique libello eo omnes nos pari criminum omnium infamia notant, eorundemque atrocium, à quibus quam longe abſimus vel ipſorum conſcientiam atteſtamur: 12. Quia publice declaraverunt, Archiepiſcopis, Epiſcopis qua talibus non deberi jus ſuffragii in ſynodis, niſi legitima vocatione à presbyteriis inſtruantur; Paradoxon certè
abſurdiſſi-

abſurdiſſimum, puriori & primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ incognitum. 13. Quia Primati jus præſidendi negant, contra veterum Conciliorum ſtatuta. *Concilii primi Niceni can.* 6. & *Antiocheni. can.* 9. & Imperatorum reſcripta, *in Novella Iuſtiniani, conſtitutione* 123. cap. 10: ac jus regni hujus municipale ac Synodorum nationalium conſtitutiones annorum 1606. 1608. & 1610. Si cui vero ſcrupulus hæreat ex conſtitutionibus Synodi 1600. ad *Montis Roſarum*, quaſi præſidentia hæc Epiſcopis prohiberetur, quia ſtatuit ne paſtores ad jus ſuffragii de Republica in publicis Comitiis regni admittendi, in conventibus eccleſiaſticis quid ſupra reliquos paſtores ſibi arrogent, Sciat (inquiunt Epiſcopi) omnes illas cautiones antiquatas eſſe, ac nobis Epiſcopis competere jus illud plenum dignitatis Epiſcopalis, quo unquam aut hic aut alibi gaudebant aut fruuntur Epiſcopi; ſynodorum conſtitutionibus, ac ordinum regni ſtatutis declaratum eſſe; Quare cum poſteriora derogent prioribes, æquum eſt ut his obliteratis illa religioſe obſerventur: Si cui hoc non placet, ſciat tamen dignitatem noſtram Epiſcopalem inſtabili ſynodorum aut parliamentorum fundamento non niti; ſed *Chriſto cui ſoli ſupereminentiæ & exortis in Clerum nobis ſubditum poteſtatis gratiam debemus*; ſicuti regi (quem in omnibus ſubditorum quorumlibet cauſis ſolo Deo minorem agnoſcimus,) dignitates & beneficia temporalia accepta referimus: At nunc pulchro hoc ordine inverſo, liceat *Cypriani* verbis uti lib. 3. epiſt. 14. *Quod non* (inquit) *periculum metuere debemus de offenſa domini, quando aliqui de presbyteris, nec euangelii nec loci ſui memores, ſed neque futurum Dei judicium neque præpoſitum ſibi Epiſcopum cogitantes, (quod nunquam omnino ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt) cum contumelia & contemptu præpoſiti totum ſibi vendicent. Atque*

utinam

utinam non proſtrata fratrum ſalute ſibi omnia vendicarent. Contumelias epiſcopatus noſtri diſſimulare & ferre poſſum, ſicut diſſimulavi ſemper & pertuli, ſed diſſimulandi nunc locus non eſt, quando decipiatur fraternitas noſtra à quibuſdam veſtrum, qui, dum ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſint. 14. Denique cum paſtores omnes Epiſcopis minores ſint, eorum judices in ſynodis ſedere non poſſunt, quanto minus miſcellaneus hic cœtus ex paſtoribus & laicis conflatus: Quare niſi Epiſcoporum omnium, noſtram, ac ſucceſſorum, quin & Eccleſiæ hujus cauſam ſilentio prodere velimus, Synodus hæc nobis recuſanda eſt: Interim ne quis hoc a nobis fieri ſuſpicetur, quaſi reatu nocentis conſcientiæ publicorum judiciorum lucem & examen ſubterfugeremus, Deum teſtem invocamus nihil nobis gratius futurum, quam ut in libera & legitima ſynodo, in qua illis ſolis judicibus locus ſit, quos veterum Conciliorum canones (videlicet *Chalcedonenſis* can. 9. *Milevitani* can. 22. & ſecundi *Chartaginenſ.* cap. 10.) Epiſcoporum judices decrevere: Aut coram te (Illuſtriſſime Deputate) aut quolibet à rege ad id muneris delegato, cauſam noſtram dicamus; quod ſi impetremus, confidimus nos facile morum noſtrorum innocentiam ac dogmatum orthodoxiam, contra hoſtium noſtrorum calumnias defenſuros: Interim cum proteſtamur, cœtum hunc omnibus modis illegitimum eſſe, declaramus noſtro, & Eccleſiæ Scoticæ nomine, nihil quod ab eo cœtu emanaturum ſit, Canonis eccleſiaſtici authoritatem habere poſſe aut debere; nec quod ab eo fiet in noſtrum, aut alicujus reformatæ eccleſiæ præjudicium, Eccleſiæ Scoticæ imputandum eſſe; Profitemur nos adhærere religioni reformatæ, confeſſionique Eccleſiæ Scoticæ ſtatutis parlamentariis inſertæ, omneſque contrarios er-

rores & hæreſes damnare: deniq; ut eccleſia per Epiſcopos regatur, non ſolum legitimam gubernationis formam, ſed neceſſariã judicamus: &c. Hæc ſumma fuit prolixi iſtius ſcripti, Londini poſtea typis excuſi, additis quibuſdã quæ in reſponſione & judicio Synodi de hac proteſtatione notabuntur ad ſeſſionis ſeptimę finem. Poſthæc excerpta quędam prælegi juſſit præſes, quibus locũ & jus ſuffragii in ſynodis præſertim nationalibus ſenioribus deberi àſſerebatur: ulterioremq; tractationem ſera nox interrupit.

(28. *Novemb. ſeſſ. 7.*)

Agitur de libris illis continentibus nationalium ſynodorum acta ab initio reformatæ religionis ad annum 1590: An κελτήεια illa & 19. rationes pro αὐθεντεία prolatæ omnibus ſatisfacerent ? inſtabat Deputatus regius, ac publice proteſtabatur, ne quid præjudicii majeſtati regiæ, aut Epiſcopis afferret judicium Synodi, quam ad librorum approbationem propendere videbat; cum quædam ſe habere diceret libris illis objicienda: Reſponſum fuit à Nobiliſſ. Comite *Rothuſio*, (ab Eccleſiis in *Fiſana* provincia, cui hæreditarius vicecomes præeſt, deputato) exceptiones illas jam proponendas; quibus ſynodum ſtatim reſponſuram ſpondet. Tandem cum nihil à quolibet prolatum eſſet, omnium deputatorum calculis approbantur libri illi, ac declarantur eſſe vera, genuina Eccleſiæ Scoticæ regiſtra, ac pro talibus ubique citra contradictionem habenda. Agnoſcebant omnes non ſine ſingulari Dei providentia libros illos tam auſpicatò luci jam redditos, majorique gaudio perfuſi fuere omnium animi, quod de illis jamdudum conclamatum eſſet, ſpeque omni excidiſſent, theſaurum illum quinquaginta hactenus annis ſublatum aut deliteſcentem recuperandi, præſertim cum ignotum non eſſet, quanta ſemper ſollicitudine laboraverint

boraverint hierarchici, primitivam eccleſiæ hujus politiam exterorum etiam celeberrimorum ſcriptis commendatam (quæ nunc ex hiſce libris ſolis depromi potuit) ſupprimendi. Inter varios de hiſce ſermones, locum inſignem, ex præfatione præfixa ſyntagmati confeſſionum reformatæ eccleſiæ, prælegendum cenſuit præſes; quo egregium diſciplinę apud Scotos tunc receptæ teſtimonium perhibetur, nihil veritus mercenariorum & mordacium ſannionum inſulſas ſannas, quibus ſtatutum eſt futili dicacitate proſcindere, quæcunque quæſtui cui ſe devoverunt, officere poſſunt.

Deinde cœptum eſt agi de proteſtatione Epiſcoporum, an rationes recuſatæ ſynodi validæ eſſent: duas vero illas, in quibus arcem cauſæ ſuæ ponebant Epiſcopi, (videlicet 1. Quod ſynodus eſſet pars adverſa: 2. Quod Senioribus jus ſuffragii concederet) primum agitandas proponit præſes. Porro cum prima exceptione uſos fuiſſe Remonſtrantes Belgicos in celeberrima Synodo Dordracena omnibus compertum eſſet; reſponſionem Theologorum magnæ Britanniæ prælegit & expoſuit, quorum ſententia fuit, *Non valere ad ſynodi authoritatem enervandam, quod cauſentur Remonſtrantes, maximam Synodi partem conſtare ex adverſariis ſuis; neque jus naturale permittere, ut qui adverſarius eſt, in cauſa ſua ſedeat; & putamus miniſtros, etiamſi contrariam ſententiam publice docuerint, ac defenderint, poſſe nihilominus, & (quandoquidem legitime vocati ſunt) debere ſedere judices in cauſa Remonſtrantium examinanda & dijudicanda: Nec poſſe Remonſtrantes ullo jure illorum in hac Synodo congregatorum authoritatem declinare*: Quod cum denſa argumentorum acie munierint celebres illi Theologi, ac in eandem ſententiam ab omnibus aliis Theologis exteris uno ore itum ſit, mirari ſe dicebat, cur cramben hanc reponerent Epiſcopi. Tum loquendi veniam

præfatus D. *Gualterus Balcanquellus*, Decanus *Roſſenſis* in Anglia, ac Subaudiani noſocomii, quod Londini eſt, Rector &c. à rege Iacobo ad ſynodum *Dordracenam* eccleſiarum Scoticarum nomine (iiſdem tamen non conſultis) olim miſſus, Multis oſtendere conabatur, quam diſpar eſſet comparatio inter *Remonſtrantes* Dordracenam ſynodum recuſantes, & Epiſcopos hujus ſynodi judicium declinantes; Duas notabat differentias: prima (inquit) eſt, quod controverſiæ in ſynodo Dordracena agitatæ, fuerint de doctrinæ dogmatibus, iiſque fundamentalibus, quo caſu Theologis neutralibus eſſe nunquam licet, cum iis ex officio incumbat, nova contra receptam eccleſiæ doctrinam dogmata ſpargentibus, omni conatu obſiſtere: Aſt alia ratio controverſiarum hic ventilandarum, cum non ſint de fidei doctrina ſed de diſciplina, quam Scoticarum Eccleſiarum confeſſio articul. 21. Mutabilem judicat: quare cum in his judicium ſuum in alteram partem propendere ante coactam ſynodum declaraverint paſtores, ipſo facto jus omne poſtmodum de illis controverſiis judicandi in ſynodo amiſerunt. Secunda vero diſparitas hinc oritur, quod Paſtores Belgici ad ſynodum illam delegati, licet privatis ſermonibus, publicis concionibus, & libris etiam editis declaraverint Remonſtrantium dogmata ſibi non placere, nunquam tamen eo proceſſerunt, ut ſententia aliqua judiciali eadem damnarint, multo minus ſacramentis, aliiſque ſanctis pactionibus ad alteram controverſiæ partem ſe obligarint, aut in capita fautorum contrarii dogmatis conjurarint, prout à delegatis ad hanc ſynodum factum eſſe queruntur Epiſcopi. Ad hæc à Præſide reſponſum. Controverſias omnes, præſertim ſi quinque controverſorum articulorum limites non excedant, inter Remonſtrantes & Contraremonſtrantes, non fuiſſe,

eſſe

eſſe de dogmatibus fundamentalibus: erraſſe quidem Remonſtrantes graviter, verum nondum ſibi perſuaſum omnes heterodoxias eſſe hæreſes: Dein non negare ſe, art. confeſſionis citato diſciplinam dici mutabilem: verum illud de Accidentariis circumſtantiis de quibus nihil ſtatuerit verbum Dei eſſe intelligendum. Nam diſciplinæ eſſentialia (h. e. quæ Apoſtoli authore Spiritu S. eccleſiis erudiendis præſcripta reliquerunt) in mutabilium cenſum non retuliſſe confeſſionis illius authores, demonſtrabat. Etenim ejuſdem articul. 19. Diſciplina ad amuſſim verbi Dei efformata, poſt verbum & ſacramenta, tertia eccleſiæ veræ viſibilis nota dicitur; unde ſequitur, licet non ſit ἁπλῶς neceſſaria ad eccleſiæ τὸ εἶναι, ita ut quæcunque eccleſia diſciplinam verbo Dei in omnibus conformem non habeat, ea pro vera Chriſti eccleſia habenda non ſit; Abſit à nobis tam procax cenſura; relinquenda hæc antiquis Donatiſtis & hodiernis Anabaptiſtis, eorumque genuinis ſurculis hodiernis: licet, inquam, ſimpliciter neceſſaria non ſit ad eſſe, neceſſaria tamen eſt ad eccleſiæ viſibilis integritatem & perfectionem neceſſaria etiam ad eccleſiam, à poſteriori ſaltem indicandam, medium denique & adjumentum ordinarium ſine quo non ita facile eccleſiæ ſalus obtineri poſſit: Quam neceſſitatem cum anno 1528. negaret *Robertus Montgomerius* Pſeudoarchiepiſcopus *Glaſguenſis*, diſciplinamque mutabilem ſtatueret, graves eo nomine eccleſiæ Scoticæ pœnas dedit: Quæ, ſi demonſtrandæ immutabilitatis eorum quæ diſciplinæ eſſentialia ſunt, non ſufficiant; ſaltem ſuccurrat quod in actis Synodi Nationalis ad annum 1596. relatum eſt: Quæſitum tum fuit an liceret principi aut paſtoribus dubia movere de diſciplinæ externis articulis, de quibus nihil expreſſe haberetur in S. Scriptura vel affirmativè vel negativè: Reſ-

ponſum fuit à ſynodo, licere principi per ſe aut per legatos ſuos proponere de quo dubitat, ſeu quod reformandum cenſuerit in ſpecie externi ordinis; id etiam cuivis licere, modo ſtudiis modeſtis, decenter, loco & tempore debitis, animo ædificandi non tentandi id fiat: Porro addit quædam eſſe extra dubitationis & controverſiæ aleam ponenda, dum ſubjungit hæc verba: *Quandoquidem ſubſtantia externæ adminiſtrationis eccleſiaſticæ pleniſſime in ſcripturis tradita ſit*: qua clauſula, accidentalia licet mutabilia judicarit ſynodus pro circumſtantiarum varietate, quo ſenſu articulus ille confeſſionis intelligendus eſt, eſſe tamen in diſciplina ἀκίνητα quædam, declarat: Ac de his non de illis litem inter Epiſcopos & Eccleſias eſſe, ipſi Epiſcopi non negant, ſtatuentes regimen eccleſiæ per Epiſcopos neceſſarium, à Chriſto inſtitutum; cujus mandata omnes ubique & ſemper ligant: Itaque nullam eſſe primam illam inter Epiſcopos & Remonſtrantes Belgicos diſparitatem facile quivis inferet. Addebat alius *David Dogeliſius Cupri Fifani* paſtor: Vocari in judicium Epiſcopos, quod plurimas Pontificiorum heterodoxias, & Remonſtrantium errores (ut molliſſime dicam) privatim foveant & publicè promoverint, quos cum ipſe D. agnoſcat eſſe fundamentales, eorum ſaltem ratione parem eſſe rationem Epiſcoporum & Remonſtrantium, cum facinus quos inquinat, æquet. Sed detur (inquiebat) quæſtionem eſſe de ſolis diſciplinæ capitibus, iniquum certe eſſet paſtores ad ſynodum hanc delegatos privare jure dicendi ſententiam in ſynodo, cum de illis judicabitur, de quibus ante conuocatam ſynodum rotunde & aperte ſententiam dixerunt: Exemplo ſit Eccleſiæ praxis contra *Novatum* & *Donatum* ſchiſmaticos, quorum heterodoxiæ & in diſciplina eccleſiaſtica errores ab iis in ſynodo damnati fuerunt, qui ante coa-

ctas

ctas ſynodos, quà privatim, quà publicè maſculè ſeſe iis oppoſuere: Adde quod ſi ſoli neutrales poſſunt eſſe hic judices, nullus autem ſit in Eccleſia Scotica paſtor, qui non oſtenderit ſe in alterutram controverſiæ partem inclinare, ubi quæſo harum controverſiarum judices quærendi ſunt? Si extraneas & tranſmarinas eccleſias conſulendas dixeris, eodem laborabit hæc ſententia incommodo, & ad eundem lapidem offendere neceſſe erit: Pręterquàm quod ſic nullæ fere eccleſiæ ad componendas lites in ſe enatas eſſent idoneæ. Ad ſecundam differentiam paucis reſpondit Præſes; nec magno certe conatu opus fuit longis ejuſmodi logis refellendis, cum, primo intuitu, comparationem hanc æquâ lance librantibus, Remonſtrantibus in hac cauſa tam ſimiles eſſe Epiſcopos, quam lac lacti ſimile eſſe, conſpicuum ſit. Quod autem de ſacramentis quibus ſe obſtrinxerunt ad ſynodum delegati contra Epiſcopos; fuſe ad id in reſponſo ſynodi ad Epiſcoporum proteſtationem reſpondebitur. De ſecunda vero Epiſcoporum exceptione, An ſenioribus jus ſuffragii definitivi in ſynodis competat? nulla fuit diſputatio, cum præſes, ut anſam argutiis omnibus ineptis præcideret, ſic propoſuerit controuerſiæ ſtatum, *An ſenioribus, ſtatutis eccleſiæ Scotiæ, jus ſuffragii competat?* Et ſic finis iſti controverſiæ impoſitus fuit, cum nullus prodiret ſeniorum jus impugnaturus.

Ad ipſam proteſtationem tandem ventum eſt; Quandoquidem (inquit præſes) Synodi judicium declinent Epiſcopi, conſultum eſſet, omnium ſententias perrogari; an ſynodus hæc, non obſtante proteſtatione, legitimus judex cenſenda ſit? nam ad nullum alium judicem res hæc deferri poteſt, cum ſuprema poteſtas determinandi controverſias eccleſiaſticas in qualibet eccleſia ſit penes ſynodum na-

tionalem: Tum deputatus regius occaſionem hanc oblatam nactus, exequendi poſtrema regis mandata, (ex aula per *Epiſcopum Roſſenſem*, multorum opinione, delata) gravi & ornatâ oratione Synodum affatur: *Diutius* (inquit) *fortaſſe apud vos hæſiſſem, niſi importuna quæſtionis hujus determinatione vel invitum diſcedere cogeretis; Etenim quantum video, ſtatutum vobis videtur ſynodum hanc legitimam declarare; nec jure Epiſcopos ejus judicium declinaſſe, quod probare neutiquam poſſum, ſi ullam officii in Deum aut in Regem rationem habuero. Quare quanto gaudio perfruebatur animus, cum coactam ſynodum hanc cernerem, in qua re ipſa præſtiturus eſſem quicquid regis nomine ſubditis hujus regni pollicitus ſum, contra multorum ſententiam, quibus ſuggeſtum fuit regem hæc nunquam ſerio intendiſſe; tanto majori anxietatis æſtu nunc crucior, cum ſpem omnem deploratam conſpiciam, implicitum hoc negotium per ſynodum hanc fœliciter expediendi. Synodum liberam toties à vobis efflagitatam, tandem adepti, ita tamen circumſcripſiſtis ut libertatis vix umbra aliqua appareat. Interim ut omnibus conſtet, quam religioſe rex promiſſa factis exprimere ſtatuerit, charta hæc ſignata meâ manu vel me tacente fatebitur; quam, in conſtantem pietatis & clementiæ regiæ memoriam publicis ſynodi regiſtris inſeri jubeo, verum cum hac proteſtatione, facto hoc minime à me approbari, quæ hactenus ſtatuta ſunt aut quæ poſtea ſtatuenda erunt in hac ſynodo.* Chartam illam publice à Scriba ſynodi prælectam, eadem continere compertum fuit quæ edicto regio ad menſem Septembris conceſſa fuerunt, quæ inde petenda ſunt. Præſes ſynodi nomine, ſereniſſimo regi ab omnibus merito gratias immenſas agendas profitebatur ob ſingularia hæc in Eccleſiam genitricem beneficia, fœlicia & proſpera regiæ familiæ vovebat: tandem ad authoritatem ſummi magiſtratus delapſus, quouſque ſe in rebus eccleſiaſticis extenderet,

deret, demonſtrabat; qua oratione Deputato regio & cæteris regni ſenatoribus ita ſatisfecit, ut omnibus tum conſtaret, meras eſſe calumnias quæ de paſtoribus eccleſiarum, & reliquis libertatis vindicibus ſpargebantur, quaſi cum Pontificiis magiſtratum ſupremum omni alio circa religionem officio exuerent, quam ut eccleſiaſticorum ſtatuta executioni mandaret: Extrema hic certe, ſi alibi unquam, ut præcipitia periculoſiſſima cavenda ſunt, in quæ non ſolum ii incurrunt, qui ſe libertatis Eccleſiaſticæ patronos venditant, verum etiam qui præjudiciis excæcati cauſam ſuam agunt, aut aliis adulantur ſcenæ ſervientes, quaſi illi ſoli politicæ poteſtatis eſſent ſtrenui vindices, juriſque regum acerrimi defenſores, qui magiſtratuum ſupremorum arbitrio non ſolum negotia civilia, (quod ab omnibus conceſſum eſt) verum & eccleſiaſtica omnia, etiam extra ſynodum per ſe aut pauculos à ſe ſolis delectos, ſimpliciter definienda eſſe ſtatuunt: ignari ſe Christo unico Eccleſiæ Monarchæ, principatus jus αὐτοκρατορικὸν, rerum ſpiritualium intuitu, eripere; quod non ſine immani ſacrilegio invaſerant Pontifices Romani, eoque ad Antichriſtianæ tyrannidis ἀκμὴν nihil ſibi deeſſe oſtenderunt, ſuſque deque etiam habentes quantam perdendis eccleſiis, ſi quando impios & pſeudochriſtianos principes nactæ fuerint, feneſtram aperiant patentiſſimam: Sic Cæſari danda quæ Cæſaris ſunt, ut Deo interim jus ſuum illibatum conſtet.

Serio etiam urgebat præſes, ut ad controverſiæ hujus definitionem, An Synodus hæc legitima & in membris ſuis rite conſtituta eſſet? in ſuffragia irent Synodici. Reſpondit Deputatus regius, ut ſupra; Et quandoquidem libertati ſynodi uſque adeo præjudicatum (inquit) ſit, declarat integrum ſibi non eſſe cœtui huic diutius adeſſe; ac dicta hæc, quam illi

 triſtia

triſtia eſſent, manantes de genis lachrymæ, & effuſi gemitus fidem faciebant; inter alias rationes quibus ſynodi libertati præjudicatum dicebat, hæ duæ erant præcipuæ. 1. Quia deputatorum ad ſynodum electio libera non fuit, ſed circumſcripta à fœderatis (quos Edenburgi tribunal novum & inauditum erexiſſe dicebat,) in cujus fidem duo protulit ſcripta a fœderatis illis, ſeu ſaltem fœderatorum anteſignanis, ad eos quos cauſæ ſuæ fautores & zelotas noverant, miſſa, alterum ad paſtores, alterum ad nobiles ſeniores; quibus (inquit) mandant ut illi ſoli ad Synodum delegentur, qui fœderi impenſe favent; nec ut conſanguinitatis aut affinitatis ulla hic habeatur ratio; utque illud commodè fiat, conſultum eſſet, priuſquam convocetur presbyterium ad deputatos eligendos, ut cum intimis & fidis conſilia communicent, eorumque quos in presbyterio deputatos delegari cupiunt, nomina deſignent, ut minori obſtaculo iidem illi poſtea deſignentur communibus & publicis ſuffragiis: ut deputati ſic electi Edenburgum conveniant ante aperturam ſynodi; quo eorum numerus quibus cauſa hæc cordi eſt, innoteſcat, ne noſtra ignavia hoſtibus & vicinis ludibrio ſimus: Moneantur etiam paſtores, ut quam diligentiſſime ſe præparent ad diſputandas quæſtiones: De poteſtate ſupremi magiſtratus in eccleſiaſticis, præſertim in convocandis Conciliis, de ſenioribus, de Epiſcopatu, de juramento, de liturgia & corruptelis ejuſdem: Summa denique nunc omnibus danda eſt opera, omnique animi contentione adnitendum, ne oblata opportunitas libertatem tam politicam quam Eccleſiaſticam recuperandi, noſtra negligentia elabatur: An non ſcripta hæc ſatis monſtrant à vobis (inquit deputatus regius) omnem libertatem ſynodo ademptam eſſe: Secunda ratio fuit; Quod temere & præcipitanter ad jus ſuffragii in

gii in ſynodis laicos ſeniores admiſerint: Ad hæc inter alios reſpondent Comes *Rothuſius*, & *Laudonius*: Duo ſcripta illa eſſe ſuppoſititia, quibus falſa plurima a ſe nunquam excogitata, continerentur; neque ſe negare quin Eccleſiarum deputati *Edenburgi* hærentes, (quos ad invidiam & odium conflandum, novum & inauditum tribunal erexiſſe hoſtes calumniantur) inſtructiones ad presbyteria undequaque tranſmiſerint, non ut authoritate & mandatis cogerent, ſed ut fraterne in cauſa hac communi, eaque graviſſima, monerent quid factu conſultiſſimum eſſet; quod pluſquam neceſſarium jam fuiſſe dixerunt, quandoquidem pauci ſint quibus ſynodorum nationalium forma legitima cognita ſit, propter earundem quadraginta hiſce annis elapſis infrequentiam: Accedebat etiam Epiſcoporum aſtuta vigilantia, qui per emiſſarios ſuos, omnia turbandi occaſiones ſedulo exquirebant; quibus ut obviam irent, prudenti cautione per ejuſmodi inſtructiones opus fuit: Inſtructionum a ſe miſſarum exemplaria proferunt, quarum æquitatem ſi quis in quæſtionem vocet, ſe ſtatim demonſtraturos profitentur; Ad ſecundam illam de Senioribus laicis exceptionem reſpondent; aliud jus iis in ſynodis non eſſe conceſſum, quam quod verbo Dei, rationibus firmis, nec Scoticæ ſolum hujus eccleſiæ, verum aliarum etiam omnium ritè reformatarum eccleſiarum laudabili praxi, iiſdem competere demonſtrabunt: Nec ſatis ſe mirari dicunt, cur quæſtionem hanc in dubium nunc trahat Deputatus regius, cum ante indictam ſynodum ipſi abunde compertum fuerit, inter alias liberæ ſynodi nationalis conditiones, hanc imprimis urſiſſe libertatis vindices; quorum deſideriis cum ſe pleniſſime ſatisfeciſſe dicat, facile intellectu eſt, conceſſione liberæ nationalis ſynodi, concedi etiam jus illud ſeniorum, niſi una

manu

manu datum altera eripiat; quod cum ægre ſibi perſuaderi patiantur, cum ipſius æquitate & honore conſiſtere poſſe, coguntur oculos in Epiſcopos deflectere, mutationis hujus authores; qui ſynodi, (cujus indictionem & aperturam impedire non potuerunt) diſſolutionem urgent, ac omnia tumultibus impleri ac miſceri cupiunt, ut criminum, quorum urgentur, cenſuram effugiant: quibus ſolis, quæcunque ex diſſolutione ſynodi mala oborirentur, merito imputanda declarant. Hæc tamen deputatum regium à diſſolutione ſynodi dimovere non poterant, quam denuo imperat, omnibus ſevere monitis, niſi graviſſimum læſæ majeſtatis crimen ſubire vellent, ut quam maturrimè à cœtu hoc quem jam illicitum declarat, ſe ſubducerent.

Hic Comes *Argathelius* ſenator regius, & à rege deſtinatus Marchionis aſſeſſor, ſynodum alloquitur. Mandatum ſibi à rege dicebat, ut ſynodo huic intereſſet, in qua quam honeſte ſe geſſerit, prout muneris impoſiti ratio poſtularet, conſcientiam ſuam & aliorum abundè teſtari: Nunquam ſe privatis rationibus inductum fuiſſe, ut regi in hoc negotio palpum obtruderet, aut extrema conſilia ſuggereret: Ex improviſo mandatum de diſſolvenda ſynodo ſibi accidiſſe; Exceptionem illam de laicis ſenioribus, ſuo judicio, non validam eſſe, in qua tamen arcem cauſæ ſuæ ponere videntur qui ſynodum nullam cupiunt. Addebat regis expreſſo mandato ſe cum aliis regni ſenatoribus ſubſcripſiſſe fœderi & confeſſioni, ſed hac expreſſa cautione, ut exponeretur ſecundum mentem majorum fœdus illud anno 1580. primitus ſancientium: Quare ſynodum obteſtabatur, ut ſedulo caveret, ne alienus ſenſus eidem affingeretur: Cujus orationi ſubſerviebat Comes *Rothuſius*; Operam hanc declarandi ſenſum fœderis pernceceſſariam eſſe; propter varia & ſibi invicem

vicem contradicentia multorum de eo judicia; aliis propugnantibus, fœdus illud bene conſiſtere non ſolum cum omnibus novationibus hactenus introductis, verum cum iis etiam quæ in libris Canonum, liturgiæ, ordinationis obtrudebantur; aliis vero judicantibus quaſdam excludi; aliis denique, omnes: ac redeundum eſſe ad diſciplinæ, rituum, & doctrinæ puritatem & ſimplicitatem, quæ anno illo 1580 viguerat. Deputatus regius dicebat, eo labore defungendum eſſe, cum rex ſententiam ſuam declaraverit, quo ſenſu velit fœderi huic a ſubditis ſubſcribi: Interim nunc diſſolvendam eſſe ſynodum, idque ſe regio nomine omnibus mandare: Quo cum ſenatoribus exeunte, proteſtationem prælegit ſcriba ſynodi contra mandatum illud; de qua fuſius ſuo loco.

Vbi nullis rationibus nec precibus Deputatum regium de ſententia dimoveri poſſe, ac fruſtra reditum expectari, cerneret Præſes;multa, quibus eccleſiarum deputatis, inopinato ac repentino hoc diſceſſu tantum non dejectis, animum adderet, eleganter dicebat, aliiſque quibuſdam omnium ordinum nominatim deſignatis ad idem officium præſtandum ſuo exemplo præivit; quorum concors ſententia fuit: Quandoquidem Illuſtriſſimus deputatus regius (ſummis laudibus proſequendus) regi uſque adeo fidelem ſe ſervum præſtet, regiiſque mandatis ita ſtricte adhæreat, ut nullis rationibus ab iiſdem vel tantulum ſe dimoveri paſſus ſit; maiori certe ſollicitudine nobis deputatis eccleſiarum incumbendum eſſe, ſervis Omnipotentis Dei, cujus imperio & reges ipſi ſubditi ſunt, ne in hominum gratiam ab ipſius mandatis vel tantillum deflectamus: Ipſius præſentiæ fidendum eſſe, quam ab hujus negotii, utpote Chriſti ſui, primordiis, opportune ſemper experti ſumus; hujus arbitrio omnia committentibus ex animi noſtri ſententia omnia ſe confecturum

fecturum certo ſperare jubet: nec diſpondendum eſſe animum quibuſlibet objectis impedimentis, iis præſertim quibus abunde cognitum ſit, quam damnoſum hoc Satanæ & Antichriſti regno opus ſit,& quam Chriſto agonothotæ gratum,dilectæ ſuæ Sionis ruinas reædificare.

Orationibus hiſce non ſolum deputatis erecti animi, verum & multis aſtantibus ſpectatoribus, inter quos fuit ex prima nobilitate adoleſcens magnæ ſpei, *Dominus Areskinus*, Nobiliſſ. Comitis *Marrii*, Senatoris regii, primogenitus: qui cum lachrymis ad fœderis & confeſſionis ſubſcriptionem admitti poſtulat; ingenue faſſus conſcientiam aurem ſibi ſæpius vellicaſſe, ac monuiſſe,ut quam primum cauſæ huic optimæ ſe adjungeret, quod quia huc uſque neglexerit, ſentire ſe Deum ſibi iratum, quem omnium precibus placari flagitat: Hunc ſubſequuti ſunt complures alii. Omnes hoc certum divini favoris argumentum exoſculabantur, quod, quando metuendum maxime fuerat ne puſillanimitate multorum animi fracti deſciſcerent; eodem temporis articulo quaſi Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς poſthabitis omnibus periculis, quorundam corda ita confirmarentur, ut in fœderis ſocietatem aſſcribi peterent.

Et quia metus fuit ne importunis ſollicitationibus quorundam conſtantia vacillaret, ac terrore minarum zelus algeret, opportune omnium deputatorum ſententias ſciſcitandas judicavit præſes ante dimiſſam hanc ſeſſionem. An, non obſtante deputati regii mandato, quo Synodi diſſolutionem imperabat, ſtatuerent Synodum non relinquere uſque dum de omnibus ad eccleſiæ pacem neceſſariis concluſum eſſet? Reſpondent omnes Affirmative, pauculis exceptis, qui clauſulam literis fidei inſertam cauſabantur, per quam deputato regio abſente, ſibi non liceret Synodo intereſſe: Quibus ſecedentibus,

ſecundo

ſecundo quæſitum, An Synodus hæc non obſtante Epiſcoporum proteſtatione legitimus Epiſcoporum judex cenſeri debeat? Reſpondent omnes uno ore & concordibus calculis Affirmativè.

Reſponſio Synodi ad Epiſcoporum proteſtationem.

Ac priuſquam ulterius progrediar, Synodi reſponſionem ad ſcriptum illud Epiſcoporum, quo ejus authoritatem declinabant, paucis quantum fieri poterit, ſubjungam: Impreſſa fuit *Edinburgi*, cum eccleſiarum deputati accepiſſent Epiſcoporum proteſtationem *Londini* typis excuſam fuiſſe: cujus ſummam invenies ad ſeſſionem 6.

Ad præfationem quæ duo continet, *Synodorum nationalium neceſſitatem, & penes quem ſit jus eaſdem convocandi*, reſpondent. Epiſcoporum proteſtationem de Synodorum neceſſitate, eſſe facto contrariam, cum per Epiſcopos ſolos ſteterit, quod Eccleſia Synodis nationalibus deſtituta fuerit annis plurimis elapſis, à quibus tam ſibi metuebant, quam ab œcumenicis liberis conciliis pontifices Romani. Dein, *penes quem ſit nationalem Synodum convocandi poteſtas*: hic (inquit Synodus) regi adulantur Epiſcopi, privatam ſuam cauſam agentes. Etenim licet ingenue fateamur licere ſupremo magiſtratui cum velit Synodum convocare: nequaquam tamen omne jus convocandi ſic ei tributum dicimus, ut ſeditionis & læſæ majeſtatis rei ſint omnes in Synodum coeuntes ſine ejus expreſſo mandato & conſenſu: alioqui horum criminum rei eſſent Chriſtiani primis tribus ſæculis: Quod ſi excipias diſparem eſſe eccleſiæ rationem ſub Chriſtiano magiſtratu; reſpondent, nec illud ſe negare, ideoq; ipſius conſenſũ omnibus modis enixe expetendum; ſed *quid ſi renuat eccleſiæ periclitanti dexteram hic porrigere, quid ſi officiũ hoc præſtare faſtidiat aut negligat, quid ſi ceſſet officiũ facere in manifeſto eccleſiæ periculo?* an ſeditionis

& viola-

& violatæ majeſtatis crimen incurret eccleſia, quæ medio hoc neceſſario, quo urgentibus malis occurri poſſit, utatur? *Paria ſunt non apparere & non eſſe; & error cui non reſiſtitur approbatur; & veritas cum minime defenſatur opprimitur; negligere imperium cum poſſis deturbare perverſos nihil aliud eſt, quam fovere*, diſt. 83. can. error: Si magiſtratus pietatis hoc officium eccleſiæ exhibere nolit; Eccleſia tamen tam libere jure ſuo uti nunc poteſt quam olim uſi fuere primi illi Chriſtiani: Adde quod ſaniores Pontificii, non tantum authoritatis Romano Pontifici, (quem tamen Eccleſiæ monarcham ſtatuunt) in convocandis conciliis tribuant, quam Regibus Epiſcopi. vide *Antonium de Roſellis* I. V. D. in Monarchia parte 2. cap. 30. & parte 3. cap. 3. qui temporibus Frederici tertii Imperatoris obiit anno 1467. *Antonium de Dominis*, Archiepiſcopum Spalatenſem lib. 2. de Republic. eccleſiaſtic. cap. 7. num. 18. *Iacobum Almannum* Theologum Sorboniſtam, qui vixit anno 1510: Quorum ſententia eſt; vel reluctante Pontifice Romano licere eccleſiæ in ſynodo convenire; poſſe per viam requiſitionis vel monitionis, denunciativè, non per viam authorizationis præceptivè, vel invito pontifice Synodum convocare; hujuſque ſententiæ hoc fundamentum ponitur, quia jus tale indictionis eſt jure divino penes eccleſiam, Si quid hæc contra aulæ Romanæ Gnathones valeant in cauſa univerſalis ſynodi; multo fortius ſtringent pro jure eccleſiæ in nationalibus ſynodis convocandis, utpote magis neceſſariis: Nec hoc negatum *Richardo Feildo*, hierarchicæ dignitatis ſtrenuo defenſori: lib. 5. de eccleſia cap. 52. Primates olim convocarunt nationales ſynodos; quos tamen non legimus ſpecialem ſingulis conventibus conſenſum à regibus poſtulaſſe: quia tacite conſenſum præbuiſſe putantur Imperatores & Principes, dum Chriſtianam religionem

gionem ipſi amplectuntur, eamque publice protendi libertatem ſubditis concedunt: Nam *principali conceſſo, acceſſoria omnia conceſſa videntur, ſine quibus principale ſartum tectum conſervari nequit*. Hinc illud eruditi authoris de libertate eccleſiaſtica pro Venetis contra Pontificem. *Imperatores cum libertatem religionis edictis ſuis Eccleſiæ conceſſerunt, ſimul jus liberè cogendi ſynodos illis attribuiſſe*, nam cultus Chriſtiani hæc pars eſt prorſus neceſſaria & ἐσιώδης. Quare cum lege municipali eccleſiæ hæc libertas ſancita ſit in publicis regni comitiis anno 1592; non neceſſe eſt ſubinde à rege novum ad eam rem mandatum peti. Sed urgent Epiſcopi, *utcunque hoc olim receptum fuerit in Eccleſia Scotica, jam tamen ſine manifeſta legum ſancitarum violatione fieri non poſſe, nam in comitiis anni* 1592. *Regis eſſe declaratur per ſe aut deputatos locum & tempus ſynodi deſignare*, quod in comitiis anni 1612. repetitur. Cui reſpondet Synodus: Titulum ſtatuti illius anni 1592. eſſe *Sanctionem libertatis & privilegiorum veræ eccleſiæ*: ideoque licet declaret regis eſſe tempus & locum futuræ ſynodo deſignare, addit tamen *ſi adſit*; qua clauſula inſinuatur Eccleſiæ per ſynodum repræſentatæ, rege aut deputato regio abſente, jus illud competere, nullatenus vero intelligi poſſunt illa de *jure aliquo privativo* regi competente; quaſi in ipſius poteſtate relictum eſſet ſynodum indicere aut non: nam ſic corpus ſtatuti lemmati & titulo contradiceret; etenim hoc eſſet Eccleſiam jure ſuo ſpoliare, non ipſius jus ſancire & ratum facere: Reliqua, inquiunt Synodici, petenda ſunt ex peculiari hac de re tractatu edito, de quo prius mentio facta eſt.

Defuncti præfationis examine, ad recuſatæ ſynodi rationes deveniunt.

Ad *primam*, literas miſſionum abunde teſtatas

fuiſſe, meram eſſe calumniam: nam omnes datæ fuerunt poſt diem quo indicebatur ſynodus, adde quod cum ſpes certa ſynodi habeatur, ſemper liceret presbyteriis ſeu claſſibus deputatos eligere ante indictionis diem, nec poſſe Epiſcopos ipſos denegare, ſi in memoriam revocent modum electionis deputatorum ad Synodum *Andreapolitanam* anno 1617.

Ad ſecundam, Municipalem illam legem ſancitam parlamento 3. Iacobi 6. ad annum 1572. in deſuetudinem jampridem abiiſſe: cujus ſanciendæ cauſa fuerat, quod tum quidam addicti *Mariæ* reginæ, *Iacobi* regis matri, regem *Iacobum* viva matre agnoſcere noluerint, cum cujus morte obliterata eſt lex illa: quare ſi hæc exceptio ſynodalium incompetentiam inferat; Epiſcopis ipſis & quotquot ſacro miniſterii munere poſt ipſam defunctam inaugurati ſunt, laborandum erit ut ab hac labe ſe purgent. Dein ſtatuti illius verba non omnes in genere verbi paſtores tangit, verum eos ſolum qui beneficio & titulo gaudent eccleſiaſtico. Denique ſi quid hic à paſtoribus omiſſum ſit, imputandum Epiſcoporum oſcitantiæ & ſupinæ negligentiæ, ſtatutum illud executioni non mandantium: Paſtoribus autem verbi hoc minime vitio vertendum eſſe, niſi pertinaciter obedientiam legibus illis recuſent; quod nemini merito objici poteſt, utpote quod in promotionibus Academicis, & nupera Confeſſionis ſubſcriptione, juramentum illud fidelitatis lubentiſſime præſtiterint.

Ad tertiam, Si confeſſioni à rege imperatæ alienus ſenſus non fuiſſet aſſcriptus, videl: *quod bene illi conveniat cum novationibus omnibus introductis; nec repagulum ponat aliis novitatibus introducendis*; ſubſcriptionem confeſſionis iſtius nunquam detrectaſſent: quare pro pertinacibus habendi non ſint quoad demonſtre-

monſtretur majores ſuos confeſſionis iſtius primogenios authores, ſic explicaſſe prout rex jam declarat: nam ad horum ſenſum ſubſcriptores teneri, ſatis declarat regii ſenatus ſtatutum menſe Septembri.

Ad quartam, Cum veteri majorum inſtituto, omnes majores Prælati, hoc eſt, tam Abbates, Priores quam Epiſcopi, tertium illud ordinum regni membrum compoſuerint, non magis reos eſſe violatarum legum eos qui Epiſcopos impugnent, quam qui Abbates & Priores: Quod ad leges illas attinet, *quibus Epiſcopis dignitates in integrum ſint reſtitutæ*, præſertim anni 1584. Reſpondent; antiquatas fuiſſe anno 1587. ſtatuto illo *annexationis* (ut loquuntur) ac in Epiſcoporum & Abbatum locum repoſitos fuiſſe provinciarum ad Comitia deputatos, Barones videl: minores, qui ordinum regni membra olim & hodie dicuntur, ex quibus etiam *Articulorum Domini* pari numero cum aliis duobus comitiorum membris eliguntur, ad ſupplendum defectum Eccleſiaſticorum, qui tunc excluſi; Neque poſteriora comitia Baronibus minoribus unquam jus hoc adimiſſe: Sed detur Epiſcopos ſolos tertium ordinum regni membrum conſtitutos eſſe, an illi læſæ majeſtatis rei qui ipſorum vitia taxant, & ſynodi cenſuræ ſubjici debere docent? quod etiam in Pſeudo-ſynodo Glaſguenſi anno 1610 ab ipſis concluſum fuit: & cujus cenſuræ obnoxios declaravit rex edicto Septembris: An vero uſque adeo indivulſa ſint Epiſcoporum vitia, & Epiſcopatus, ut illis in quæſtionem vocatis, hic æqui judicis cenſuram non effugiet: & parcendum ſit Epiſcopis multorum criminum reis, ut Epiſcopatui ſua dignitas conſtet, qui alias ad ravim uſque clamitant diſtinguenda eſſe hominum vitia ab officiis, cur eadem hic confundunt? Sed hoc certe anxios eos tenet, quod

quod μορμολυκείῳ illo Hierarchici Epiſcopatus non diutius deterreantur fideles Dei ſervi, quin ligonem ligonem liberè vocent.

Ad *quintam*, *quod presbyteria ſeu claſſes exciderint libertate eligendi aut mittendi deputatos ad ſynodum*, *quia Moderatores ab Epiſcopis conſtitutos*, *juxta canones ſynodi Glaſguenſis anno* 1610. *abdicarint*; Reſpondent: In ipſa pſeudo-ſynodo quæ moderatorum claſſicalium electionem Epiſcopis conceſſit; expreſſe pactum fuiſſe ab Eccleſiis, ut annuæ Synodi nationales haberentur, conditione itaque hac non præſtita, cecidiſſe jure illo conceſſo Epiſcopos: dein canones illos ſtatuere, ut in Synodis provincialibus, Epiſcopi præſentes presbyteriis moderatores deſignent, quibus cum deputatos ſuos præſidere jubeant, cui non perſpicuum, ad antiquos poſſeſſores jus illud legitime devolutum eſſe? niſi oſtendat eorum deputatis eandem tum poteſtatem conceſſam eſſe, quod demonſtratu impoſſibile erit: Adde quod moderatorum claſſicalium plurimi ſponte ſe hoc munere abdicarint, quo caſu ſynodus iſta Glaſguenſis, claſſi permittit jus alios ſubſtituendi; plures vero ab Epiſcopis conſtituti eo munere adhuc defungantur: Denique licet omnes loco moviſſent presbyteria, nullus præter eos quibus præjudiciis faſcinati ſint mentis oculi, colliget, omni libertate privandà eſſe presbyteria; ſed ad ſummum, digna quæ gravi aliqua cenſura pro reatu allegati criminis notentur.

Ad ſextam, *quod electioni clericorum ad ſynodum delegatorum interfuerint laici ſeniores* &c. Reſp. quandoquidem Nobiles,quique in Eccleſiis maximæ dignitatis ſunt, ab initio reformationis eligantur eccleſiarum particularium ſeniores: quid vetabit quominus cum paſtoribus ad claſſem delegentur? prout non ſolum in aliis reformatis eccleſiis, præſertim

Belgicis

Belgicis & Gallicis fieri conſuevit, verumetiam lege in eccleſia hac ſtatutum ſit: videatur liber ſecundus politiæ eccleſiaſticæ, in hanc ſententiam expreſsè; & ſæpius: Ita ut admiranda ſit Epiſcoporum impudentia illud negantium; nam canonibus ſynodi nationalis anni 1582. mandatur verbi miniſtris ut ſeniorum præſentiam in presbyteriis ſedulo urgeant, præſertim cum de rebus majoris momenti inſtituendæ ſint deliberationes; inter quas facile primas tenet, deputatorum ad ſynodum nationalem Electio: in ſynodo *Taodunenſi*, anno 1597. deſignatur numerus deputandorum à presbyteriis ad Synodum tam ſeniorum quam clericorum, ut loquuntur Epiſcopi; quæ presbyteria tum conſtabant tam ex ſenioribus quam paſtoribus; *Ita ut ſine ſeniorum eorum conſilio nihil ageretur in Eccleſia*; uti de primitivæ eccleſiæ ſtatu teſtatur Ambroſius in 1. ad Timotheum cap. 5. Quod ſi frequentibus canonibus ſancita conſuetudo hæc exoleverit, epiſcopaturientium artibus quia ambitioni ſuæ remoram eſſe videbant; intermiſſio tamen iſta paucorum annorum præſcribere non poteſt politiæ communibus omnium ſuffragiis & ſubſcriptionibus receptæ, præſertim cum nullo canone eccleſiaſtico demonſtrari poſſit, ſenioribus hiſce jus hoc unquam imminutum fuiſſe. *Cum autem periculoſum ſit in rebus divinis, ut quis jure ſuo ac poteſtate cedat*; ac jus hoc ſeniorum verbo Dei conſonum eſſe declaret liber ſecundus de politia eccleſiaſtica; cur illis vitio vertetur quod jure ſuo uſi fuerint, quo præſens damnum religioni intentatum depellerent?

Ad ſeptim. Cum nullum deſignent paſtorem qui tribunitiis concionibus ſubditos ad rebellionem excitaverit, neque claſſes delegantes, aut ſynodus ad quam delegentur, quempiam præſentium hujus

criminis reum ſciant, pro pura puta calumnia habendum eſſe; neque facile exiſtimandum Epiſcoporum pectora charitate in paſtores perfuſa, reorum, ſi quos ſcirent, nomina ſupprimere velle, ut eorum famæ ſcilicet parcerent, quos perjuros, perduelles, diabolicarum calumniarum authores & fautores, ſchiſmaticos, tertio quoque verbo criminantur: Sed doloſum in generalibus verſari, vetus eſt dictum.

Ad octavum, ejuſdem eſſe commatis dicunt: *Nec ſchiſmaticos dicendos eſſe paſtores*, quod tyrannidi Epiſcoporum eccleſiæ libertates impudenter peſſundantium, & rancidas Antichriſti ſordes per fas & nefas obtrudentium, modeſte ſeſe oppoſuerint: *Nec perjuros*; ſi impium illud & nulla lege munitum juramentum non præſtiterint: in quod ab Epiſcopis adacti fuerunt complures, ignari politiæ legibus ſancitæ; ac ſtudii Epiſcoporum, quo Eccleſiæ puritatem corrumpere ſatagebant. Etenim *ſine perjurio ſemper licuit in malis promiſſis fidem reſcindere*: Porro juramentum illud in quod Epiſcopi inaugurandos S. miniſterii munere adigebant, tum veritate in re, tum juſtitia in cauſa deſtituta fuit: Cauſæ juſtitia defuerat, quia eo ſolum fine urgebatur ut tyrannidem ſuam in Chriſti Eccleſiam firmius communirent: quod pœnitenda experientia vel cæcis hodie patet, quæ licet prima facie ſeſe tunc non proderet, nunc tamen emergens & inevitabile Eccleſiarum damnum ſecum trahens, ab infamia perjurii omnes liberat, præſertim cum juramentum illud de rebus fuerit ſua natura (ut Epiſcopi fatentur) adiaphoris, quæ cum majus bonum impediant removendæ ſunt, nulla jurisjurandi habita ratione, ne *ſacramentum pietatis, ejuſdem ſit impedimentum*: Quod ad rei juratæ veritatem attinet, videl, *Synodum Perthenſem legitimam fuiſſe, articuloſque*

ticuloſque quinque per eam Eccleſiæ obtruſos, ſimul cum Diœceſano Epiſcopatu ejuſque appendicibus, cum hujus Scoticæ Eccleſiæ conſtitutionibus primitivis bene conſiſtere, licet multi olim vera hæc putarent, ignorantia ſcilicet invincibili decepti; nunc tamen productis in lucem authenticis Synodorum regiſtris, falſiſſima eſſe compertum habent: Adde quod juramentum hoc in quod adacti fuerunt ab Epiſcopis paſtores, Eccleſiarum juri & libertati præjudicet, & repugnet juramento legitime prius præſtito à paſtoribus omnibus tum in patrum perſonis, tum repetito ab ipſorum ſingulis cum ad gradum magiſterii in Academiis promoverentur; Quare cum ejuſmodi temeraria juramenta non ligent, nullatenus habendi ſunt paſtores pro perjuris, ſi non præſtent; nam injuſta vincula rumpit juſtitia. Sed quid ſi propria vineta cædant hic Epiſcopi, Qui negare non ſunt auſi, conditiones (ad quarum religioſam obſervationem in Synodo ad montis Roſarum anno 1600. juramento ſolenni obſtricti ſunt eccleſiaſtici illi ad jus ſuffragii in Conciliis regni admiſſi) à ſe, ut Epiſcopatu potirentur, fœdè violatas, quem tamen ſeu Anglicanum, ſeu Romanenſem ſacramentis tum abjurabant, & quod hominum fidem fere ſuperaret, niſi ab ipſorum Coryphæo typis commiſſum eſſet, fatentur ſe *in conditionum illarum nonnullas* (verius omnes) *pro tempore magis quam animo in perpetuum obſervandi, aſſenſiſſe*: Rima certè per quam Ethnicos ipſos elabi puderet, apud quos exploſum illud, *Iuravi lingua, mentem injuratam gero.* Quod ad illud *de deputatis quibuſdam paſtoribus, cenſura eccleſiaſtica ab Hibernicis Epiſcopis notatis*, Reſpondent; Tres ſolum aut ad ſummum quatuor eſſe de quibus hoc affirmari poſſet, eoſque natione Scotos, profeſſione paſtores Eccleſiæ Scoticæ: cenſuræ cauſam unicam fuiſſe, quia ſim-

plicitati rituum Eccleſiæ Scoticæ adhærentes, non paſſi ſunt ſibi perſuaderi minis, & vi, hierarchiam Anglicanam ejuſque liturgiam eſſe verbo Dei in omnibus conſonam: Quare licet cenſura eccleſiaſtica ibi hoc nomine notati eſſent, non ligatur Eccleſia Scoticana, quæ paſtorum paritatem & ſimplicem cultus divini puritatem colit, quin ad publica munia rite vocatos pro legitimis paſtoribus habeat: præſertim cum cenſura ea non liget extra terminos juriſdictionis Hibernicæ. *Ad illos vero paſtores quod attinet quos cenſura notatos dicunt in hac eccleſia Scotica*; nullos tales ſynodo cognitos eſſe; nam cenſuras in foro celſæ commiſſionis latas ipſo facto nullas eſſe dicunt: cum forum illud ab initio illegitimum fuerit, ob id ſolum inſtitutum ut fidelibus Dei ſervis os obſtrueretur; & verum eſt illud Gelaſii cauſ. 11. quæſt. 3. *Apud Deum & ejus eccleſiam neminem poteſt gravare injuſta ſententia: ita ergo ea ſe non abſolui deſideret, quia ſe nullatenus perſpicit obligatum.* Denique *quod omnes paſtores depoſitionis à miniſterii functione dignos dicant* Epiſcopi, probationem ſolidam requirere ſe aiunt, quæ tam atrocis ſententiæ juſtitiam declaret: Calumniatorum artem probe edoctos Epiſcopos; *Calumniare audacter*, nam ſemper aliquid adhæſurum putant:

Ad Nonum, Quod ſenioribus laicis ut vocant jus ſuffragii definitivi in ſynodo nationali concedant, &c. Reſpondet ſynodus. 1. Seniores qui juriſdictioni intenti ſunt, male *Laicorum* ordini accenſeri; cum in libro de politia eccleſiaſtica, Eccleſiaſticorum nomine ſemper veniant: neque immerito, etiam *Clericos* dicendos, licet è populo electi ſunt, & provincia ſua defuncti in ejuſdem ordinem redeant, nam vocatio ad functionem eccleſiaſticam, ejuſque adminiſtratio clericos facit, ſi Gratiano canonum compilatori fides habenda, qui *diſtinct.* 21. *cap.*

Cleros,

Cleros, ex Iſidoro, & *cauſa* 12 *q.* 1. *cap. duo ſunt genera*, ex Hieronymo probat, *Clericos ſic dictos quia ſorte electi ſunt, ut in Chriſti eccleſia deſerviant*: ſi enim laici exiſtimandi ſunt quando miniſterii onere depoſito rurſus in eorundem numerum veniunt; certe perperam iis accenſentur dum adhuc Eccleſiæ onus ſuſtinent, & publicam perſonam gerunt. 2. Si hęc exceptio admittenda ſit, faceſſant omnes quotquot unquam habitæ fuerunt Synodi nationales ab ipſis reformatæ eccleſiæ in Scotia primordiis, ad hunc uſque diem, ne corruptis quidem illis exceptis, in quibus ſemper ſine controverſia admiſſi fuere ad jus ſuffragii ſeniores: Proferant Epiſcopi vel unicam, ex qua excluſi unquam fuerunt; aut igitur jus ſuffragii ſenioribus in ſynodis debetur, aut ſi horum ad ſuffragia admiſſio ſynodum nullam facit; Illegitimæ fuerunt omnes antehac in eccleſia Scoticana ſynodi, etiam temporibus puriſſimis; nec ulla exterarum & tranſmarinarum eccleſiarum Concilia nationalia legitima ab Epiſcopis cenſeri poſſunt: quæ impudens aſſertio ſevera animadverſione digna eſt, licet aliorum criminum rei non eſſent: neque ab hac abſurditate ſeſe extricant Epiſcopi, dicentes *ſe Laicos ſimpliciter non excludere, verum jus ſuffragii definitivi eiſdem lubenter deferre, dummodo a ſupremo magiſtratu ad id delegentur*: nam ſic eccleſiam libertate ſua ſpoliant, quæ liberam poteſtatem mittendi quos voluit, ſemper exercuit; notum id eſſe etiam in veteri eccleſia, cujus praxin imitata eſt eccleſia hæc Scotica, in qua laici illi (quos per contemptum ſic vocant) ſemper a presbyteriis deputati ſunt, idque expreſſe cautum eſſe in ſynodo nationali ann. 1597. ad *Taodunum*, in qua non ſolum deputatorum ex ſingulis presbyteriis numerus certis præſcribitur, verumetiam penes

presbyteria eſſe deputatorum electionem & miſſionem definitur: Olim piis principibus ſatis ſuiſſe eccleſias ſerio monere quibus dotibus ac virtutibus inſtructi eſſe deberent deputandi, delectum autem eorum qui mittendi eſſent, eccleſiis reliquiſſe, quibus jure competere ſciebant. *Ad verba illa ex ſynodo Chalcedonenſi citata, quæ Patrum illius Concilii eſſe dicunt, Mitte foras ſuperfluos,* Quibus non ſatisfacit *Whitthakeri* reſponſum: Superfluos illos fuiſſe Clericos, Monachos & Laicos, qui Euticheti favebant, quos ad turbas vitandas repelli decebat, cum à nullis legitime deputarentur; quibus ſi nobiles ad ſynodum legitime deputatos accenſeant, næ illi contumeliam nobiliſſimis proceribus inurunt, non ferendam: Quibus inquam hoc reſponſum non placet; at epiſcopis ſaltem arrideat *Matthæi Sutlivii* acerrimi hierarchici: De conciliis lib. 1. cap. 34. argumentum hoc Bellarmini quo Laicos extruderet, in Bellarminum nervoſe retorquentis: *Verba hæc non eſſe patrum Synodi Chalcedonenſis, ſed ſic clamaſſe Dioſcorum & Ægyptios, hæreticorum fautores, Atque ita inquit cum nunquam reperiſſet Bellarm. in orthodoxorum teſtimoniis tutum latibulum, ad hæreticos confugit, eorumque auxilium implorat:* Similiter factum hic ab Epiſcopis incertiſſimum deſperatæ cauſæ argumentum; quibus talium Epiſcoporum & patrum authoritatem non invidemus. Quod ad vocem illam Theodoſii junioris, ſi rigide & κατὰ τὸ ῥητὸν accipiendum ſit, videl: *illegitimum eſſe, eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum eccleſiaſticis immiſceri tractatibus;* quomodo ſartum tectum conſervabitur magiſtratui ſupremo jus definitivi aut deliberativi ſuffragii, contra Pontificios telum hoc vibrantes, quo magiſtratus ſupremi authoritatem in rebus eccleſiaſticis oppugnent? quomodo etiam presbyteris verbi ſeu paſtoribus, contra eoſdem Pontificios jus ſuffragii

conſervari

conſervari poterit? nam hos non eſſe in ſanctiſſimorum Epiſcoporum ordine jurabunt Epiſcopi, nec *Athanaſio* parcendum erit; qui in ſynodo Nicena licet tum non ex ordine Epiſcoporum; eccleſiaſticis tamen tractatibus contra Arrium ſe immiſcuit: ut infinita alia exempla prætercam. Sed quid ſi in concilio illo Epheſino Eccleſiaſticis tractatibus ſeſe immiſcuerit Theodoſius? An non pronunciat omnia illius concilii acta eſſe irrita? Atque licet non interfuerit, Candidianum tamen miſit, qui de omnibus Imperatorem certiorem fecit: Quare fictum hoc eſſe, & ſuppoſititium ſibi videri dicit *Whittakerus*: cum non habeatur in antiquis exemplaribus: & quia in ſe aperte falſum eſſe conſtat: denique male tranſlata ex Græco hæc eſſe dicunt: *τὸν ἔξω τοῦ καταλόγου τῶν ἐπισκόπων, eorum qui non ſunt in ordine Epiſcoporum*: cum reddenda ſint *eorum qui extra catalogum Epiſcoporum*, h. e. eos ſolum in concilio ſententiam ferre oportere, qui in Catalogo inſcripti erant eorum qui ab eccleſiis ad concilium erant delegati & ab Epiſcopis recenſiti ex literis authoritatis publicæ, quas ſolebant exhibere, uti à Iunio obſervatum. *Ad mandatum illud Pulcheriæ Imperatricis* reſpondent; æquum illud fuiſſe, cum quos expelli juberet Imperatrix, ſine legitima miſſione, importune ſe ingerebant: quod de ſenioribus ad hanc ſynodum dici nequit: Adde quod concilio illi Chalcedonenſi interfuerint laici, ab Imperatore minime delegati, quos ſcilicet ſecum epiſcopi duxerunt, quod aliis negatum, hiſce conceſſum fuit, videl. ut intereſſent, quorſum autem interfuiſſent ſi in decernendo jus nullum habuiſſent? *Denique ad illud Martini Archimandritæ, non eſſe ſuum ſed Epiſcoporum ſubſcribere:* Ideo Abbas hic ſubſcriptionem ſubterfugiebat: quia Euticheti hæretico tum condemnato favebat, eo etiam exemplo conſtare dicunt tempore Chal-

re Chalcedonenſis concilii receptum fuiſſe, ut alii quam Clerici definitivo in ſynodis ſuffragio gauderent: alioquin cur abbatis monachorum ſubſcriptionem poſtulaſſet ſynodus? *Etenim alia eſt monachorum cauſa alia Clericorum* inquit Hieronymus: *Clerici oves paſcunt, ego paſcor:* & idem alibi: *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium*: Et ab his ipſis Chalcedonenſis Synodi patribus decretum, ne monachi eccleſiaſticorum officium attingerent: quia ſcil. erant laici, & diaconis aliiſque eccleſiæ miniſtris minores: Sed licet omnia ita ſeſe haberent ut volunt Epiſcopi, non ſequetur tamen ſynodum hanc eſſe eo nomine illegitimam, quia *quæſtio non eſt, an ordinanda ſit hæc ſynodus ad normam & Idæam ſynodorum quæ corruptis illis eccleſiæ temporibus coactæ fuerunt; verum an conſtitutionibus & praxi eccleſiæ Scoticæ, ſeniores à presbyteriis legitime deputati admittendi ſint ad jus ſuffragii definitivi in ſynodis nationalibus*: quæ contra objiciunt Epiſcopi, omnia ſunt ex Pontificiorum armamentario deprompta: quibus abunde à Reformatæ Eccleſiæ doctoribus ſatisfactum eſt, ita ut epiſcopos puderet recoctam hanc cramben reponere, ac deſerta reformatorum cauſa, cujus alias ſe ſtrenuos defenſores ſimulant, pontificiis ſeſe adjungere; & clericis ſolis jus definitivi ſuffragii concedere; quaſi hiſce ſolis in ſynodo competeret, hæreſes & abuſus irrepentes tollere, & de negotiis quæ totam eccleſiam attingunt deliberare, ad quod officium præſtandum cum alii præter paſtores idonei ſint, donis & vocatione ab eccleſiis legitima inſtructi, cur quæſo excludendi ſunt? an quia laici? ſed ex horum numero etiam ſummus magiſtratus eſt, & quos ab eo deputari poſſe, antea confeſſi ſunt Epiſcopi.

Sed quia tam confidenter gloriantur Epiſcopi ſcripturam S. rationem ſanam, & antiquitatem puriorem

riorem totam, in hanc ſuam ſententiam, pronam accedere, age, ſingula hæc paucis percurramus; ut etiam pateat majores noſtros, quorum veſtigia religioſe premimus, S. ſcriptura, rationibus, & ex ſuprema antiquitate deductis teſtimoniis, non deſtitutos fuiſſe, *dum ſeniores donis & vocatione inſtructos ad jus ſuffragii definitivi admiſerint*. Præeat ſuo merito Scriptura, in qua mentio fit ſynodi Hieroſolymitanæ, Act. c. 15. quæ aliarum omnium norma eſſe debeat; qui locus ab omnibus reformatis doctoribus urgetur, ut probent contra Pontificios, non ſolis clericis competere jus ſuffragii, nam verſ. 4. *quæſtio ad totam eccleſiam* delata eſt, & coram ea expoſita; quorſum quæſo illud, niſi ad omnes pertinuiſſet cauſam illam definire? verſ. 7. *multa erat diſceptatio*, verſ. 12. *Tacuit tota multitudo*; ergo alii præter Apoſtolos & Presbyteros loquuti ſunt, verſ. 22. *Tunc viſum eſt Apoſtolis & presbyteris cum tota eccleſia delectos ex ſe viros mittere Antiochiam*: ἔδοξε tam Laicis quam Apoſtolicis & ſenioribus accommodatur, & vocem definitivam arguit: verſ. 23. miſſæ fuerunt literæ ſynodicæ Apoſtolorum, Presbyterorum & fratrum nomine: ſententiam itaque dixit populus, & ſubſcripſit: ſubſcriptiones autem certiſſima ſuffragii ferendi indicia ſunt, rurſus verſ. 25. & 28. illud viſum eſt nobis, repetitur: ex quibus teſtimoniis Ludovicus Cardinalis Arelatenſis in ſynodo Baſilienſi colligit: *Alios quam Epiſcopos habuiſſe vocem in Synodo definitivam.* Vindicationem hujus loci contra pontificios, ejus ſententiam ex corrupta conſuetudine ſuſpendentes, ſi quis poſtulet, adeat omnes noſtros Doctores, qui de conciliis contra Pontificios ſcripſerunt.

Idem ſuadet ſana ratio: nam cum ſynodus nationalis univerſam eccleſiam illius nationis repræſentet, conſiſtere debet ex omni genere & ordine

hominum,

hominum, quia *quod ad omnes pertinet, firmum eſſe non poteſt ſine conſenſu omnium: & quod omnes tangit ab omnibus tractari & approbari debet*: quod in hanc cauſam à Iuello citatum eſt, nomine Regulæ in Concilio Chalcedonenſi à Theodoſio ſancitæ: quam in natura & ratione fundatam dicit Fieldus: Res autem in ſynodis tractandæ ad omnes pertinent: & eccleſiæ cives ſunt tam Laici quam Clerici, quibus Deus ſæpe donum interpretationis æque, aliquando uberius largitur quam quibuſdam paſtoribus; quod cum in totius eccleſiæ commodum conceſſum ſit, iniquum eſſet talentum illud ſub modio condi. At quis locus aptior ad doni hujus exercitium quam ſynodus? cujus judicium non eſt imperatorium ſed inquiſitorium ligans propter probationem ex verbo Dei allatam; quod ſi Laicis convenire poteſt tam quam Clericis, & vero ex delegatione publica accedat authoritas; quis ipſorum præſentiam in ſynodis merito ægre ferat? Si quis autem putet dona hæc ſolis eccleſiaſticis conceſſa, meminerit gravis querelæ Nazianzeni contra ſui temporis Epiſcopos, *qui licet ruſtici, idiotæ, illiterati, nulla ſacrarum literarum ſcientia præditi, nec in rebus ſacris exercitati, in Synodis tamen auſi fuerint judicium ferre*, quare illas ſynodos merito Nazianzenum deteſtatum fuiſſe ſcribit Spalatenſis, lib. 7. cap. 3. & quæ Marſilius Patavinus in defenſore pacis, parte 2. cap. 9. de majoribus & minoribus ſæculi ſui clericis notat, *Et Deo* (inquit) *teſte & fidelium multitudine, ſacerdotes plurimos abbates & prælatos quoſdam me vidiſſe & audiiſſe memini adeo diminutos, ut nec grammaticè quidem congruum ſcirent proferre ſermonem, ideoque ſuadet generale Concilium per non ſacerdotes integrari*, prolato Apoſtolorum exemplo, & Iſidori authoritate. Quam male itaque eccleſiæ conſulunt, qui neglectis Laicis doctis, ſolos ex Clero, ſæpe ignaros & imperitos ad

ſynodum

ſynodum mittendos ſtatuunt: Plura vide ſis apud Spalatenſem lib. 7. de repub. eccleſiaſt. cap. 3. per totum. Praxin ſi quis deſideret veteris eccleſiæ; etiam poſt invaleſcentem Epiſcoporum ambitionem, poſt corruptam diſciplinam, invectam ſuperſtitionem, inveniet ſatis frequentem: & conſuetudinis hujus adeo expreſſa veſtigia, ut obliterari non potuerit; Theodoretus Cyri Epiſcopus, epiſtola 81. ſynodum deſiderat, quæ non conſiſtat ex ſolis Epiſcopis, ſed *ex judicibus & aliis dignitate eminentibus, rerum divinarum peritis*. Iſidori mercatoris ſententiam citat & approbat Marſilius Patavinus loco ſupra citato: *Deinde* (inquit) *ingrediantur & Laici, qui electione Concilii intereſſe meruerunt*: multo magis igitur literati & in lege divina periti (addit Marſilius) quanquam non exiſtant ſacerdotes.

Decretis ſecundi Concilii Arauſicani illuſtres & magnifici viri ſubſcripſerunt, Magdeburg. Cent. 5. cap. 9. Concilio Colonienſi habito 887. aderant laici, quorum conſenſu decreta concilii illius promulgantur. Concilio Metenſi ſub Arnulpho intererant plurimi Comites, viri nobiles & alii laici Deum timentes: initio primi capitis ſic loquuntur patres. *Epiſcopi, presbyteri & fideles laici qui ante nos fuerunt, juxta ſacram canonum authoritatem ſæpius in Chriſti nomine convenientes, juſtitiam Dei ſtatuerunt, & idcirco ſuis diebus pacem habuerunt*: Plura hujus generis apud Spalatenſem libro & capite ſupra citatis exſtant. Author reviſionis Concilii Tridentini, licet Pontificius, tuetur tamen lib. 1. cap. 8. *ab omni ſæculo poſt receptam Chriſtiani nominis profeſſionem, laicis ſuffragium definitivum competiviſſe* in conciliis: in cujus ſententiæ confirmationem producit non ſolum teſtimonium Lucæ ex Act. c. 15. 23. Verumetiam Synodos Gallicanas, Hiſpanicas nationales ſatis frequenti numero. Concilio Conſtantienſi interfuerunt 24 Du-

ces. 140

ces.140 Comites,plurimi à civitatibus & Academicis delegati, juris Doctores & Profeſſores, omnes Laici;Major & frequentior fuit Laicorum numerus in concilio primo Piſano. Si altius aſcendere placeat ad Cypriani ætatem, videbis non ſolos Epiſcopos, presbyteros & diaconos conventibus eccleſiaſticis interfuiſſe, verum etiam populum ſeu totum, ſeu ejus maximam partem. Denique (ut inquit *Sutlivius Hierarchicus* de conciliis l.1.c.8.parag.ult.) *nulla lege aut conſuetudine vel principes, & docti viri à ſuffragiis deciſivis in concilio excluduntur: neq; aliquid contra eos inveſtigari poterit,licet omnes angulos perreptet Bellarminus,* & quicunque poſt illũ deſperatæ hujus cauſæ patrocinium ſuſcipiunt; Quare cum merè Laicis,donis & vocatione inſtructis, jus deciſivi ſuffragii in quibuſlibet Conciliis, etiam generalibus competere teſtentur authores hi,quo juris titulo ab eodem jure repellentur Seniores eccleſiarum? qui ratione officii Eccleſiaſticis accenſendi ſunt, & non per contemptum tertio quoq; verbo Laici vocandi: Reformatarum Eccleſiarum praxin univerſalẽ hic non negligendam,& doctorum ejuſdẽ, nobis palam συναίθλων: quos ſi quis cum faſtu repudiet,Auguſtini illud audiat,*Qui contempta veritate præſumit conſuetudinẽ ſequi, aut circa fratres invidus eſt & malignus quibus veritas revelatur,aut circa Deũ ingratus cujus inſpiratione eccleſia inſtruitur:*Atq;hęc de exceptione.

Ad decimam, Quod ſinodus hæc ſit pars adverſa, &c. Repetenda hic ſunt quę diſputata fuerunt inter præſidem & D. Balcanquellum, ſeſſione 7. Quibus addenda ſunt ſequentia. Cum ſynodum nationalem ut partem cauſæ ſuæ adverſam recuſent Epiſcopi, cur ſe Eccleſiæ Scoticę membra vocant? quandoquidem ſynodus hæc per deputatos eccleſiarum, repræſentet omnes & ſingulas eccleſias Scoticas: quarum membra eſſe non poſſunt, qui omnes & ſingulas pro parte adverſa habent: Dein ſynodus nationalis cum ſit ſupre-

ſupremum tribunal eccleſiaſticum, veſti tum ſuprema authoritate eccleſiaſticas controverſias determinandi, recuſari nequit. Theologi magnæ Britanniæ in Synodo Dordracena, ann. 1618. 1619. Neque valent exceptiones contra ſupremum judicem productæ: Tertio, licet ante indictam ſynodum condemnarint deputati eccleſiarum de quibus in ſynodo poſtea erit agendum, fecerunt quod ſui erat officii, hoc eſt, doctrinæ & diſciplinæ primitus receptæ adhærentes, utramque corrumpentibus ſeſe oppoſuerunt pro ratione muneris, quod omnibus paſtoribus incumbit; quod non vetabit, ſi quid in contrarium ab Epiſcopis aut quolibet proferatur ex verbo Dei, quin mutato judicio libenter ſint illud arrepturi. 4. Probari non poteſt, quidlibet à deputatis privatim condemnatum, quod non ſint parati demonſtrare jampridem damnatum fuiſſe in Eccleſia Scotica: Etenim Epiſcopatum ſimpliciter non prædamnarunt, ſed an inter corruptiones eccleſiaſtici regiminis cenſeri debeat nec ne, ad ſynodi nationalis judicium retulerunt: Quinque illos articulos Perthenſes non abjurarunt tum ſimpliciter, verum ab eorundem praxi ſe abſtenturos uſque dum Synodus declararet, an inter errores in confeſſione nationali damnatos referendi eſſent. Neque ullius valoris eſt quod afferunt de primis reformatoribus Concilii Tridentini judicium declinantibus, Nam præterquam quod uſque adeo diſpar ſit utriuſque ſynodi ratio, ut puderet quamlibet reformatam ſynodum cum impuro illo conciliabulo conferre, in qua judices Epiſcopi, ſervilia Papæ mancipia, judicii norma Pontificis voluntas, cui gratificando in omnibus juramento obſtricti erant, quod ita religioſe ab iis obſervatum, ut ſententiam de rebus leviſſimi momenti nullam ferre auſi fuerint, niſi prius tabellarii manticis incluſa Româ Tridentum mitteretur:

retur: Alia etiam eſt ratio priorum illorum reformatorum & horum Epiſcoporum. Nam reformati illi doctores non profeſſi fuerunt unionem cum Eccleſia Pontificia quæ ſola ibi repræſentabatur, cui jamdudum nuncium remiſerant & res ſuas ſibi habere juſſerant, ut Synagogæ Antichriſtianæ; Epiſcopi autem hujus Eccleſiæ Scoticæ ſe membra eſſe profitentur; Quare ſi hoc exemplo cauſam ſuam promoveri cupiunt Epiſcopi, à communione hujus Eccleſiæ ſeſe potius abſcindant eſt neceſſe: Quod de quibuſdam orthodoxis patribus, provincialibus, iiſque ληστρίκαις ſynodis intereſſe renuentibus, male trahitur ad Epiſcopos nationalem legitimam hanc Synodum recuſantes; præſertim citatos ut graviſſimorum criminum infamia ſe purgent. At, inquiunt, Eccleſiarum deputati quorum judicium recuſatur, declararunt ſe partem eſſe adverſam, nulli autem tali permittitur eſſe judicem, quãdoquidem ſit in propria cauſa: Cui reſp. Cauſam propter quam in jus vocantur Epiſcopi, non eſſe paſtorum propriam, ſed totius eccleſiæ; Epiſcopos etiam anno 1600 pactos fuiſſe, ſe ſynodi nationalis eccleſiam repræſentantis judicio ſeſe ſubmiſſuros, ſi ſtipulatarum conditionum limites excederent, Quare cum pacto conventum ſit ut pars offenſa ſimul habeat judicatum, exceptio illa inter frivolas reponenda eſt. Ad 11. De odio illo hoſtili quo feruntur deputati in Epiſcopos ipſos, probationem (inquiunt Synodici) deſideramus; Verũ quidem eſſe, libertatis vindices fœdus illud nationale laudabili majorum exemplo renovaſſe, ſed non eo animo ut quempiam læderent, ne Epiſcopos quidem ipſos, ſi ab objectis tum criminibus ſe expedirent; fœdere itaque eo odiũ in vitia, non in homines, demonſtratur. Quod ad libellum illum citatorium attinet, quo publice citabantur Epiſcopi; quem odii in Epiſcopos teſtem omni

omni exceptione majorem dicunt. Reſpondet ſynodus. Litteras illas citatorias criminum duo genera continere, alia de quibus fama clamoſa, & flagrans ubique ſerpebat ſcandalum. Alia vero uſque adeo notoria fuere, ut dubitatum fuerit in cauſa tam perſpicue evidenti an teſtes eſſent producendi: & ſi cui ſcrupulus adhuc hæreat, facile eximetur hujus proteſtationis vel tumultuaria & perfunctoria lectione. Crimina perſonalia quædam evidenter probata Eccleſiarum deputatos ita tædio & pudore affecerunt, ut in cænoſis iſtis ſordibus diutius hærere, vix tutum putarent; quorundam etiam atrocium criminum objectorum Epiſcopis in litteris illis citatoriis omiſſa fuit probatio, partim temporis brevitate, partim quia teſtes longius aberant; non vero quaſi conſcientia noſtra teſtaretur de ipſorum innocentia; etenim ſi ita conſtitutum ſit Epiſcopis, ut velint ulteriorem de his inſtitui examinationem, per nos quidem licebit, ſed verendum ne accuſationem exarmare non poſſint: At inquies, quicquid ſit de iſtis criminibus; cur publicè in omnibus regni fere templis prælectus fuit ille libellus? nequaquam certè ut eorum flagitia populo innoteſcerent; quibus plus ſatis manifeſta antea fuerunt, verum quia Epiſcoporum aliis abſentibus, aliis in obſcuro latentibus, modus hic citandi tutiſſimus videretur, & pæne unicus, Deputato regio renuente Epiſcopos citare, ut defectu ſcil. citationis cenſuram effugerent: neque eſt quod hic paratragædientur, lædi fraternam charitatem, contemni monitum Apoſtoli & cæt. ut ſibi miſericordiam, & nobis hoſtibus (quos vocant) odium conflent: Etenim multitudinem peccatorum ſic operit diſcreta charitas, ut juſtitiæ ſuum etiam locum tribuat, quæ publica & flagrantia crimina publice redargui jubet, Salus etiam eccleſiæ totius quin omnibus charior eſſe debeat turbonum

& ſeductorum fama, nullus dubitat. Monitum illud Apoſtoli Seniorem ne increpato, præſcribere modum privatæ correptionis erga ætate ſeniores, non vero publicæ; nam publice peccans publice corripiendus eſt, cujuſcunque demum fuerit ætatis: neque vllam dignitatis diminutionem paſſum eſſe quodlibet ordinum regni membrum; cum contra Epiſcopos, non contra Epiſcopatum inſtituta ſit accuſatio: ſed de hoc prius in reſponſione ad exceptionem quartã. Falſum etiam eſſe dicunt, Epiſcoposcitatos *ſuper inquirendis* ut vocant, nam ſpecialia crimina ubique deſignabantur, quæ nulla tergiverſatione celari poſſunt, Ternas citationes omiſſas quæruntur, ſed fruſtra, quandoquidem ordinaria praxi reſtringantur ad inferiora tribunalia ſola quæ ſtata & frequentius habentur, neque ullo modo conſiſtere poſſint cum ſupremis; præſertim cum ſynodo nationali, quæ cum ſingulis annis ſemel ſolum ordinarie habeatur; reis triennii impunitatem concederet, Sed cur quæſo hac exceptione utuntur Epiſcopi? An ut ſe non citatos cauſentur; at proteſtatio hæc ante ſynodum apertam compoſita, & ab iis ſubſcripta qui extra limites regni jam degunt, eorumque nomine ſynodo exhibita docent, citationis illius minime fuiſſe ignaros: *Citatio vero* (ut inquiunt Iuriſperiti) *contumaciam inducere poteſt, ſi ſcientia citationis apprehenderit citatum, atque ita comperiatur malitioſe aut doloſe latitare*: Ejuſdem farinæ eſt cum objiciunt citationes ab eo foro (vid. ſynodo) in quo cauſa diſceptanda eſt; debere emanare: nam ut ut locũ habeat hæc exceptio in foro inferiori & ſubalterno, nequaquam in ſupremo procedere poteſt: neque unquam in eccleſiaſtico judicio ulla illius habita fuit ratio, nam cui incognitum perpetuam hanc eſſe hujus eccleſiæ praxin, ut legitime ad claſſem ſeu preſbyterium citatus habeatur, quem citavit ſeniorum
conſeſſus

conſeſſus ſeu conſiſtorium, & ad ſynodum tum provincialem tum nationalem, quem citavit presbyterium; a ſolis Epiſcopis hoc primum in dubium vocari conſtat: ut defectu inſolitæ & inauditæ ſolennitatis ab omni cenſura ſynodica ſe liberent: Denique excipiunt contra libellum illum citatorium, quod omnes συλλήβδην citet, & ſingulis omnium accuſationes impingat: Cui reſpondet Synodus. Illud factum fuiſſe quia omnes ſimul in unam factionem conſpirarunt, ac quorundam criminum ſpecialiter deſignatorum pariter omnes rei eſſent: additam tamen clauſulam fuiſſe, vid. Reſpectivè quà declaratur omnium criminum reos non eſſe ſingulos. Ad 12. Epiſcopis qua talibus, ab Eccleſiis ad ſynodum non delegatis, jus ſuffragii non competere, decretum fuit expreſſe: in ſynodo ad Montem Roſarum ann. 1600. & anno 1597. cautum fuit, ut quicunque ſeu paſtores, ſeu ſeniores ex provincialibus eccleſiis deputati eſſent, à presbyteriis delegarentur: qui duo Canones nondum reſcinduntur, nec reſcindi debent; quia in jure naturali fundantur, & in continua aliarum reformatarum eccleſiarum praxi ſunt, apud quas ii ſoli ad definitiva ſuffragia admittũtur qui ab eccleſiis legitime mittuntur: quia ſcilicet eccleſiam repræſentat ſynodus, quare qui ab Eccleſiis ad ſynodum deputati non ſunt, eccleſiam nullam repræſentare poſſunt: niſi forte cum Bellarmino dicant repræſentari eccleſias ab Epiſcopis, ſicut Reſpub. à principe: cujus craſſam abſurditatem multis explodit argumentis Whitakerus de conciliis controverſ. 3. quæſt. 3. Adde quod receptum ſit apud omnes Reformatæ Eccleſiæ doctores, oportere eos quibus definiendi in ſynodis partes committuntur donis neceſſariis & juſta vocatione inſtructos eſſe; juſta autem vocatio quæ ſit, explicant, ut vid. ab Eccleſia electi, & ad id munus ſpecialiter deſignati

ſint: ſine qua nefas erit publici miniſterii munera obire in ſynodis: Si vocationem hanc habeant Epiſcopi, cur ejus tabulas non proferunt, ſi ad veterum conciliorum praxin confugiant, meminiſſe debuerunt, veritati à nemine præſcribi poſſe; neque ad exemplar eorum conciliorum formandas eſſe Scoticæ eccleſiæ Synodos, utpote quod hierarchiam illam humano conſilio in eccleſiam olim introductam, quia Antichriſto viam ſtravit; penitus exſtirpaverit; nec probari poteſt in qualibet libera ſynodo poſtmodum reſtitutam eſſe, licet vanis dignitatum iſtarum titulis ſeſe jactent noſtrates: Ad 13. merito primatibus & metropolitanis, &c. denegari ab hac ſynodo præſidentiam eccleſiaſticam: cum in politia hujus eccleſiæ cautum ſit, ut in omnibus conventibus eccleſiaſticis præſes communi fratrum conſenſu eligeretur: libertatemque hanc illibatam manſiſſe, uſque dum anno 1616. in Pſeudoſynodo Abredonenſi, ſeſe præſidem obtruſiſſet Andreapolitanus Archiepiſcopus, ſine ulla juris aut receptæ conſuetudinis ſpecie, nec eſt quod hoc ſine exemplo fieri clament, cum in frequentiſſima ſynodo Antiochena ſub Galieno & Aureliano Imperatoribus contra Paulum Samoſatenum habita præſediſſe Malchionem presbyterum Antiochenum, etiam multis Epiſcopis præſentibus teſtentur hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magdeburgenſium. Nam quod de Niceni, & Antiocheni Concilii Canonibus, ut & Juſtiniani Novella citant, nihil ad quæſtionem facit; cum veterum Conciliorum illorum ὁρισμοὶ, de diſciplina Capitula apud reformatas omnes eccleſias, in deſuetudinem venerint, neque Juſtiniani aut cujuſlibet exteri principis ſtatuta politica, Eccleſiæ Scoticæ, quæ ejus legibus non gubernatur, præſcribere poſſunt: neque libertatem hanc legibus regni municipalibus munitam, eripere. Si hoc ſibi jure competere

petere demonſtrante vellent Epiſcopi, ex verbo Dei, aut conſtitutionibus eccleſiaſticis probandum quibus licet penitus deſtituti ſunt, ne tamen ſine aliqua ſaltem rationis ſpecie inſanire viderentur; citant Acta Parlamentaria anni 1606. & 1609. quibus Epiſcoporum reſtitutio in integrum (ut loquuntur) ſancitur: At ſi ſtatuta illa diligentius evolviſſent, viderent fuiſſe reſtitutionem ſæcularium dignitatum, redituum, ac privilegiorum temporalium in repub. nulla prorſus Eccleſiaſticæ dignitatis mentione facta: quod inde conſtat, quia ut ordinationis & juriſdictionis poteſtate eminerent, cogendæ fuerunt poſtea Synodi, anno 1606. & 1610, in quibus tamen præſidentiam hanc nunquam arripere auſi fuerunt; gnari ſcilicet nullis fidiculis, ex ſtatutis illis unquam erui poſſe, memores etiam Pſeudoſynodum illam Limnuthenſem anno 1606, diſerte conſtituiſſe, Vt nationalis ſynodi præſes, eccleſiæ deputatorum in ſynodo ſuffragiis eligeretur: Quod contraria illa conſtitutione eccleſiaſtica in hodiernum uſque diem, antiquatum non eſſe Epiſcopis compertum eſt; Itaque relictis ſtatutis parlamentariis, & Synodalibus conſtitutionibus, ex quibus præſidentiam hanc tam facile elicies quam aquam ex pumice: Ad jus divinum ſe conferunt, & à Chriſto ſolo προεδρίαν hanc & exortam poteſtatem ſibi conceſſam dicunt, cui ſoli acceptum ferunt quicquid ſpiritualis eminentiæ qua in reliquum clerum veſtiti ſunt: Sic ſcilicet in pejus ſolent proficere, popularium ſuorum in Anglia exemplo audentiores facti, qui inter κυρίας δόξας tuentur hierarchiam ſuam eſſe juris divini: quod paradoxum citius amputationibus quam diſputationibus confirmabunt: hiſce ducibus, quem diris olim deteſtati fuerant Epiſcopatum, poſtea tolerabilem; nunc neceſſarium non ſolum jure Apoſtolico, verum & divino; quod

cum tam confidenter crepent,cur ex divinorum teſtamentorum tabulis locum nullum producunt, ex quibus ſolis quæ juris divini ſunt, intelligi poſſunt, fatentibus ipſis Canoniſtis qui *Ius divinum eſſe dicunt quod continetur in lege & evangelio, atque immutabile ſemper permanet*, lib. 1. Iure Canon. tit. 2. & quas ſolas, perfectum & omni numero abſolutum controverſiarum eccleſiaſticarum judicem agnoſcunt quicumque ex animo Synagogæ Romanæ nuncium remiſerunt: Nec dubitandum quin ſi quid ex his in cauſæ ſuæ patrocinium adferre potuiſſent, ſtatim produxiſſent, niſi forte ex eorum numero ſint, qui ut alibi ſic hic Caſſandri veſtigia religioſe premunt; importuna antiquitatis & Catholicarum traditionum admiratione capti, in quibus jus divinum fundari aſſerant; de quibus verè nimis vaticinatum fuiſſe Clariſſ. *Chamierum*, miſer eccleſiarum ſtatus hodiernus docet: Niſi (inquit) horum ſemipapiſtarum conatus compeſcat Deus, verendum ne id perficiatur, non ut ſint papiſtæ correctiores, ſed ut nos ſimus corruptiores: Quibus antiqui patris tam veram quam ſeveram ſi repoſueris cenſuram, *Diabolicum vid. eſſe, extra divinĩ ſcripturarum authoritatem, aliquid divinum putare*: pro ſingulari quo in antiquitatem & patres feruntur ſtudio, æquius ferent: ſed de hiſce alias. Interim, licet à Chriſto vocationem habeant ad Epiſcopatus, qua tamen authoritate ipſis hactenus licuit juriſdictionem illam epiſcopalem exercere in Eccleſia Scotica, cum illius erectioni nunquam conſenſerit, nec eam ſeu Synodis eccleſiam repræſentantibus, ſeu parlamentariis regni ſtatutis acceptam ferunt; pro uſurpatoribus habendi ſunt, ob quod inter alia crimina in jus vocantur: Sed legitimam (dicunt Epiſcopi) vocationem habemus, per liberam Capituli electionem, & Epiſcopalem conſecrationem, per regis conſenſum; ſe-

cundum laudata ſtatuta& antiquã regni hujus conſuetudinẽ. Reſpondet Synodus. Si per ſtatuta illa & antiquam conſuetudinem, intelligant leges craſſiſſimis papiſmi temporibus ſancitas, & morem tum obſervatum; lubenter ſe iis legum illarum patrocinium concedere; verum hac poſtica uſurpationis crimen non effugient, cum leges illæ omnes ſæpius refixæ ſint, & poſterioribus ſtatutis reſciſſæ; Poſteriora autem derogant prioribus; Oſtendant etiam vel ex corruptiſſimis ſynodis Eccleſiæ Scoticæ, umbram minimam, qua Epiſcoporum electio Capitulo mandetur, aut ulla conſecrationis Epiſcopalis mentio leviſſima facta ſit: contra diſertè in Synodis damnantur Capitula illa cathedralia, & Epiſcoporum per eadem electio: tanquam praxes Pontificiæ, Nugæ porro ſunt de libera electione per capitulum, nam electio omnis proprie comparativa eſt, qua a pluribus unus eligitur, cujus tamen nullam rationem hic habere poſſunt eligentes ſi maxime vellent: nam in electione per Capitulum quem rex per litteras nominat Epiſcopum eligendum, hunc ſolum poſſunt ad Epiſcopatum evehere: Capitulo nihil hic relictum, præter ſimplicem conſenſum, quem principum commẽdationibus, quorum preces ſunt armatæ, negare neutiquam audebunt: Nulla hic vel leviſſima ratio habetur populi quem partes ſuas temporibus antiquis habuiſſe in Epiſcoporum electionibus nullus hierarchicorum negabit: ſic electum fuiſſe Cornelium Epiſcopum Romanum teſtatur Cyprianus, & alios ſui temporis Epiſcopos, nec aliter eligi debere, cum ex divina ordinatione diſcendat ut ipſa plebs maxime poteſtatem habeat vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi: Ubi ille Canon, inquit Athanaſius, ut à palatio mitteretur Epiſcopus. Si quis plura in imaginariam hanc & ligatam electionis ſpeciem deſide-

ret conſulet Spalatenſem de repub.lib, 3.c.3. Quare cum legitima hac Cleri & populi electione, quæ Cypriani temporibus floruit, deſtituti ſint Epiſcopi, ac nihil ſolidi in medium afferre poſſint quo uſurpationis crimen eluant, cum per fas & nefas eccleſiarum libertates invaſerint ac nihil minus quam quod Cypriani ætate Epiſcopos decebat, faciant, non eſt quod Cypriani illa ſententia utantur: Audiant potius magnum illum Nazianzenum, de προέδρια & philarchia Epiſcoporum. *Propter hanc* (inquit) *res omnes noſtræ jactantur & concutiuntur, propter hanc fines orbis terræ verſantur in ſuſpitione, & bello, eoque ſurdo, & ne nomen quidem habente: propter hanc periculum eſt ne magnum illud & NOVUM nomen amittamus, utinam neque eſſet præſidentia, neque loci prelatio, neque violenta præeminentia, ut ex ſola virtute cognoſceremur. Nunc autem dextrum hoc latus & ſiniſtrum, ſublimior & inferior ſedes, & illa præeundi vel eodem gradu incedendi invecta conſuetudo multas nobis clades nequicquam intulerunt*, &c. quæ ſequuntur: Quod autem ſit magnum illud & Novum nomen, explicabit Auguſtinus, epiſt. 19. ad Hieronymum: *Secundum honorum vocabula quę jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus presbytero major eſt.* De Epiſcopatu vero loquitur qui ſuo ſæculo, non re ſed titulo, non poteſtate ſed honore à presbyteratu differebat: Quid dicturus ſi typhum ſæculi Epiſcoporum tyrannide in Eccleſiam invectum hodie cerneret.

Ad 14. Non negat ſynodus permiſſione Eccleſiaſticæ ordinationis poteſtatem Epiſcopis antiquis conceſſam fuiſſe; inde tamen non ſequi affirmant, eandem poteſtatem commiſſione Dominica hodiernis Pſeudo-Epiſcopis ſolis in Scotia competere: Dein ſi non poſſint Epiſcopi à paſtoribus judicari, quia ab iis ordinati fuerunt, nec potuere preſbyteri Alexandrinæ eccleſiæ ab ipſorum Epiſcopo judi-

judicari, utpote quem ordinarunt, ſi Hieronymo fides habenda. qui de Alexandrinæ eccleſiæ presbyteris teſtatur, *eos ſemper unum ex ſe electum, & in excelſiore gradu collocatum, Epiſcopum nominaſſe*, vel hoc unum os obſtruere poſſet, mira confidentia perpetuum antiquitatis conſenſum obtendentibus, quod ſoli Epiſcopo ordinationis jus adjudicatum ſit: denique quia olim à presbyteris judicati non fuerunt Epiſcopi, ideò in Eccleſia Scotica idem fieri debet; quæ omnes Eccleſiaſticos nationalis ſynodi judicio ſubjectos declarat, eſt eorum argumentum qui politiam eccleſiæ relictis conſtitutionibus receptis, ad inveteratam conſuetudinem rovocare volunt: Et mera principii petitio: nam quis concedet conſuetudinem præſentem ab incunabulis reformationis ſemper frequentatam, obtentu antiqui alicujus canonis abolendam eſſe. Ac ne omne judicium ſubterfugere exſtimentur Epiſcopi, ab iis judicari petunt, à quibus veterum quorundam conciliorum Canones, Epiſcopos judicandos ſtatuerunt: quæ omnia fruſtra ſunt; cum (ut ſæpius dictum) ſynodus hæc, ordinanda non ſit ad exemplar eorum temporum; etenim ſi in eccleſiaſticorum judiciis, omnia ad veterum conciliorum amuſſim exigenda ſint, tum nullus epiſcopus legitime condemnabitur, niſi coram 12. epiſcopis: accuſatione probata 72. teſtibus idoneis: Cauſa 2. quæſt. 5. Canone. *Nullam damnationem*, & *Præſul non damnetur*, & ne antiquitatem deſideres, referuntur hæc ad Synodum Romanam, ſub Sylveſtro Pontifice, regnante Conſtantino Magno habitam: quo etiam inclinant Epiſcopi, citatione Concilii 2. Carthaginenſ. can. 10. Si ad has formas judicia inſtitui appetunt Epiſcopi, quando unquam cauſam tanquam rei dicturi ſunt? nam in nationali Synodo formalitates hæ nunquam inveniendæ ſunt; quarum defectu Cenſuram omnem

omnem evadent: quod ipſorum unicus ſcopus eſt.

Quare cum omnes hæ exceptiones frivolæ ſint; Proteſtationes ipſorum ſcripto ſubjunctæ ejuſdem generis ſunt; Quod ad illam clauſulam, de neceſſitate regiminis eccleſiaſtici per Epiſcopos, mirari ſe dicit Synodus hominum impudentiam: qui illud neceſſarium vocant; cujus neceſſitatem nullo apice Scripturæ unquam demonſtrare aggreſſi fuerunt hierarchicorum πρόμαχοι: Nam nec neceſſarium eſt ἁπλῶς & abſolute cum Eccleſiæ floruerint, in quibus Epiſcoporum ἐξαιρέτως ſic dictorum nulla mentio, nec κατά τι ratione utilitatis; tum quia προεδρία hæc Epiſcoporum licet ſincero animo primitus inſtituta fuerit à patribus, viam tamen iis minime advertentibus ſtravit ambitioni, uti Nazianzenum graviter diſſerentē audivimus, quid vero dicturum fuiſſe arbitremur, ſi ſæculis poſtmodum ſecutis, atque adeo noſtro hoc in Scotia vixiſſet, ubi malorum omnium lerna ambitio omnes modeſtiæ limites tranſgreſſa eſt, nunc etiam fremens, quando ſe in ordinem ac intra cancellos cogi animadvertit ne in eccleſiam diutius graſſetur: ſed quid dico Ambitioni, Cæcus eſt qui hac patentem portam Antichriſto apertam eſſe non videt: nam politia eccleſiæ Ariſtocratica; quæ Apoſtolico ſæculo viguit, conceſſione perpetui primatus ordinis uni presbyterorum, paulatim mutata eſt in oligarchiam: qua pauci illi poteſtatis ſupereminentiam ſibi arripuerant, ac tandem in tyrannidem unius œcumenici: An vero utilis exſtiterit procurandæ Eccleſiarum paci, vel hujus laceræ eccleſiæ luctuoſiſſima facies indicet; quæ προστασίαν illā ἀλλ' ἀλλόχον in ſchiſmatis remedium humano conſilio primitus inſtitutam, ejuſdem veriſſimum fomitem à primo quo obtrudi cœpit momento experta eſt; nihil etenim quod ita eccleſiam divellere poſſit, quam præſidendi ambitio: quod in

Pontifi-

Pontifice Romano ad primatum ſuum vendicandum, nimis conſpicuum eſt; cujus caput aliis quam Epiſcopalibus humeris niti non poteſt: Riſum etiam vel Democrito moveat quod ſe hanc proteſtationem exhibere dicant nomine eccleſiæ Scoticæ, quaſi vero ſex Epiſcopi, (nam cæterorum ſubſcriptio non exſtat) cum paucis paſtoribus aſſeclis, iiſque vel largitionibus corruptis, aut minis territis, vel falſis narrationibus deceptis, uti complures eorum cum lachrymis ingenue agnoverunt, Eccleſiam Scoticam conſtituant: Cujus authoritatem, & ſynodos omnes legitime hactenus habitas portentoſis hujuſmodi proteſtationibus annihilare conantur; Sollicitos ſe iam declarant ne quid in hac ſynodo determinetur, quod libertati hujus eccleſiæ, dignitati regiæ, aut vicinis reformatis eccleſiis damnum aut infamiam creare poſſet: quorum licet nullam rationem Epiſcopos hactenus habuiſſe nimis liquido conſtet: importune tamen hæc ingerunt, ut oblique ſynodum perſtringant, & in sereniſſimi regis ac vicinarum eccleſiarum odium immeritum trahant; cum ſynodo nunquam ſtatutum ſit, dignitatem & authoritatem regiam vellicare; aut infamiæ notam aliquam vicinis Eccleſiis inurere; quæ pro æquitate ſua haud ægre ferent, ſi eccleſia hæc ad primævam reformationis ſuæ puritatem aſpirans; quæ cum ipſius laudabilibus conſtitutionibus conſiſtere non poſſe deprehendentur, rejicienda cenſeat, licet ab aliis forte recepta ſint, quibus uti nihil præſcribere vult Eccleſia Scotica; ſic nec aliarum exemplo ſibi præſcribi judicat, earum præſertim quæ adhuc intemperiem nonnullam è reliquis ſentiunt morborum, quibus ex Romana contagione ita graviter vexatæ fuerunt, ut plane convaleſcere nondum potuerint: RaiNold. in theſibus de eccleſia, theſ. 5. parag. 29. Et hæc hactenus qui-

quibus abunde proteſtatio illa Epiſcoporum refutata eſt.

Digreſſio qua veteris et hodierni Scotici Epiſcopi diſſimilitudo varia oſtenditur, ſeu Antitheſes variæ inter veteres et hodiernos Scotiæ Epiſcopos.

PORro cum hodierni Epiſcopi toties inculcent ſingularem pietatem, prudentiam, doctrinam veterum Epiſcoporum, quaſi ab iis genus ac originem deducerent, & per ſuum latus confodi clamitent veteres illos heroes, quaſi hodiernus Epiſcopatus impugnari non poſſet quin eodem telo petantur ſanctiſſimi illi viri, eccleſiæ ſplendidiſſima lumina Chriſtianæque reipub. firmiſſima columina, Ignatius, Polycarpus, Cyprianus, Athanaſius, Auguſtinus, Ambroſius, aliique complures: Age, digreſſiuncula hac inſtituatur comparatio inter veteres illos & hodiernos epiſcopos: nam ab illis ad hos concludi nequit niſi primum oſtendatur hodiernos Epiſcopos priorum illorum veram effigiem & imaginem reddere, quod ſi vero diſſimilitudo ſit multiplex, nec ulla antiqui *Præſidis Epiſcopi* lineamenta in hodierno *Principe Epiſcopo* appareant, præter ſolum Epiſcopi nomen, manifeſtum erit quam futili commento dignitatem ſuam tueantur, ac quam fallaci impoſtura fallant, Tertiam columnam paralelli hujus facerent Epiſcopi Pontificii, niſi labore hoc nos liberaſſent hodierni Epiſcopi, qui nullam aliam differentiam inter ſe & Pontificios epiſcopos, quantocumque ſint acumine excogitare poſſunt, quàm quod hi à Pontifice Romano dependeant; cui noſtri videri volunt nuncium remiſiſſe; Etenim perſpicua ſunt quæ Archiepiſcopus Andreapolitanus in epiſtola dedicatoria præfixa refutationi libelli de regimine Eccleſiæ Scoticanæ, in hanc rem diſerte loquitur:

quitur: omnia etiam argumenta eorumque amplificationes de verbo vere in verbum à Pontificiis mutuantur decertantibus de dignitate & juriſdictione ac privilegiis ſuorum Epiſcoporum.

Diſſimilitudo veterum Epiſcoporum ab hodiernis.

I.

Veteres,	*Hodierni*
P*Ræſides tantum fuerunt presbyteriorum : neque ſe presbyteros vocari indigne ferebant: utpote* quod tum nomina presbyteri & Epiſcopi indiſtincta fuerint, *ut teſtatur Hieronymus ad Oceanum : quod non negat Georgius Downamus in concione de Epiſcopatu & presbyterio : & Ireneus in epiſtola ad Victorem apud Euſebium lib.* 5. *c.* 24. Pontifices Romanos, Anicetum, Pium, Hyginum, presbyteros vocat, *neque ſibi Epiſcopi nomen ita vendicabant ut ad reliquos presbyteros non extenderetur, nam Gregorii Nazianzeni ſeculo, hoc eſt anno Chriſti* 370. *uti in oratione poſt ſuum in urbem reditum teſtatur, epiſcopi nomem præſidibus illis ſpecialiter attributum vocat* Novum, *& Auguſtinus epiſtola* 19. *ad Hieronymum,* uſu & conſuetudine Eccleſiæ qui tum recens obtinuit, *nomina illa diſtincta fuiſſe ; neque ſe ſolos Apoſtolorum ſucceſſores excluſis presbyteris dicebant. Nam ſicuti in gradu extraordinariæ functionis nullos habuiſſe Apoſtolos ſucceſſores agnoverunt, ita in poteſtate tota ordinaria paſtoralis miniſterii reliquos presbyteros Apoſtolis ſucceſſiſſe teſtatum reliquerunt, Ignatius ad* Trallianos, cœtum presbyterorum *vocat* conjunctionem Apoſtolorum Chriſti. *Ireneus lib.* 4. *cap.* 43. *dicit*, presbyteros in eccleſia ab Apoſtolis	VOlunt eſſe principes cleri, & presbyteri appellationem ut dignitati & pompæ inferiorem faſtidiunt, & ſibi ſolis epiſcoporum nomem arrogant, ſeque ſolos Apoſtolorum ſucceſſores jactitant.

ſtolis ſucceſſionem habere. *Cyprianus lib. 4. epiſtola 9.* OmnesPræpoſitos. (*quorum nomine presbyteros ſolet comprehendere, nam eorum plures uni eccleſiæ aſſignat*) vicaria ordinatione Apoſtolis ſuccedere. *Hieronymus in 2. cap. Micheæ, citatus a Gratiano in decretis diſtinct. 35. cap. Eccleſiæ. licet presbyter tantum eſſet, tamen de ſe loquens*, ſi in Apoſtolorum (*inquit*) loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed etiam converſationem, & abſtinentiam. *Denique Auguſtinus ſerm. 36. ad fratres in Eremo, eoſque presbyteros:* Vos, inquit, eſtis ſal terræ, Apoſtolorum ſucceſſores.

2.

Veteres	*Hodierni*
Olim Epiſcopi eligebantur per clerum, ſeu totum presbyterorum collegium: Hieronym. in epiſtol. ad Evagrium. Alexandriæ à Marco Euangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, preſbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant, *& neceſſe fuit ut accederet populi*	Sic eliguntur. Cum regi ſignificatum fuerit per Decanum capituli, Diœceſin orbatam eſſe Epiſcopo, obſignato diplomate cōcedit capitulo facultatem eligendi, & ſimul mittit literas quibus nominat epiſcopum eligendum. Atque ſic capitulo nihil aliud relinquitur quam umbratilis quædam & imaginaria nominati electio.

conſenſus. Cyprian. lib. 1. *epiſt.* 4. *nomine ſynodi Africanæ.* Videmus de divina authoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe præſente ſub omniũ oculis deligatur & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio cõprobetur. *Et ibid.* Diligenter de traditione divina & Apoſtolica obſervatione tenendum eſt, quod apud nos quoque & fere per provincias univerſas tenetur, ut, & cæt. Epiſcopus deligatur, plebe cui ordinatur præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit. Sic Cornelium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum electum fuiſſe teſtatur *idem Cyprianus lib.* 4. *epiſtol.* 2. *& Sabinum in Baſilidis locum ſucceſſiſſe, lib.* 1. *epiſt.* 4. *& Fabianum Romanum Epiſcopum, annotantibus Magdeburgicis in centuriis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Gratianus diſtinct.* 62. *can. Nulla.* Nulla ratio ſinit ut inter Epiſcopos habeantur qui nec à clericis ſint electi nec à plebibus expetiti. *Sic electus fuit Ambroſius à civibus Mediolanenſibus, & Flavianus ab Antiochenis, & Chryſoſtomus à Conſtantinopolitanis: Porro uſque adeo religioſe obſervatus fuit hic electionis mos, ut cum poſtea Imperatores*

ctio. Denique ſic electum comprobat, ac mandat Archiepiſcopo ut eum in Epiſcopum conſecret: Hac ratione Epiſcopi ſæpius obtruſi qui provincialibus ſuis prorſus incogniti vel de facie; aliquando gregis ſermonem non intelligunt, ut in Epiſcopatibus Argathelienſi, Inſũlarum, Roſſenſi, & Catanеſiæ ſæpius uſu venit.

Epiſcopos obtruderent nulla cleri & populi electione præcedente, indigniſſime tulerint epiſcoporum doctiſſimi. Ubi ille canon, *inquit Athanaſius*, ut à palatio mittatur is qui futurus eſt Epiſcopus, *in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes : Non negandum quin imperatoribus & regibus ad fidem Chriſtianam converſis ſuæ partes fuerint in Epiſcoporum electionibus, eoſque aſſenſum præbuiſſe Epiſcopis rite electis, uti in Chryſoſtomi electione factitatum fuiſſe teſtatur Sozomenus. lib. 8. cap. 2. verum ſui juris totam electionem feciſſe, nullibi legitur apud puriorum ſæculorum ſcriptores : Tandem Caroli magni & Ludovici filii ſæculo, electio poſt multas quas multorum πραξικοπία paſſa eſt corruptelas, ad primitivam ſuam formam revocatur. lib. 1. cap. 84. Capitulum illud continetur in* Gratiani *decretis. Diſtinct. 63. Can. Sacrorum.* Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine ſancta eccleſia ſuo liberius potiatur honore, aſſenſum ordini eccleſiaſtico præbemus, ut Epiſcopi per electionem cleri & populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria Diœceſi (remota perſonarum & munerum acceptione) ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſque quaque prodeſſe valeant.

3.

Veteres.	&	*Hodierni.*
Olim qui cleri & populi ſuffragiis electi fuerunt, ad Epiſcopa-		Sic electi conferunt ſe ad Archiepiſcopum, à quo ſolo conſecrari poſſunt.

tum

tum ab aliis epiſcopis promovebantur ; aliquando à meris presbyteris : & ſi concedatur Timotheum fuiſſe ordinarium Epiſcopum ; conſecratio tamen non fuit per Archiepiſcopum , nec Epiſcopum , ſed per cœtum presbyterorum. 1. *Tim.* 4: 4. Ab abbatibus inſulæ S. columbani qui Presbyteri tantum fuerunt , refert Beda hiſtor. lib. 3. cap. 5. Epiſcopum electum & miſſum fuiſſe Arcanum.

4.

Veteres.	*Hodierni.*
Nullam aliam agnoverunt. conſecrationem ſeu ordinationem quam qua presbyterorum eſſet. Epiſcopi & preſ-	Diverſam habent conſecrationem à presbyteris : quia ordine differre ſe dicunt à Presbyteris.

byteri una & eadem eſt ordinatio , *inquit Ambroſius , in* 1. *ad Timoth. cap.* 3. *& Albinus Alcuinus (natione Scotus qui floruit favore & gratia Caroli magni ad quem ab Achajo Scotorum rege miſſus fuit circa annum* 800. *& cujus opera apertæ primum fuerunt Academia, Pariſienſis in Galliis, & Ticinenſis in Italia : hic) libro* 3. *De divinis officiis ſic loquitur.* Qualis autem eſſet antiquitus conſecratio Epiſcoporum oſtendit Hieronymus in epiſtola ad Evagrium , Alexandriæ inquiens , à Marco Euangeliſta uſq; ad Heraclam & Dionyſium epiſcopos , presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopũ nominabant, quomodo ſi exercitus imperatorẽ faciat, & Diaconi eligant de ſe quem indu-

ſtrium noverint & Archidiaconum vocent: Archidiaconus vero eandem conſecrationem habet quam cæteri Diaconi, ſed electione fratrum præponitur: *ergo eandem olim habebat Epiſcopus conſecrationem quam presbyteri.*

Quod ad ritus & ceremonias in conſecratione uſitatas, iidem fere prorſus ſunt cum iis qui in papatu adhibentur, quos antiquis illis Epiſcopis prorſus incognitos fuiſſe hoſpes prorſus in hiſtoria Eccleſiaſtica eſt, qui ignorat.

5.

Veteres.	*Hodierni.*
Nullam ſingularem poteſtatem in ordinationibus paſtorum ſibi arrogabant: nam nec nominabant per ſe excluſo clero & populo ordinandum: ſic Ambroſium plebs Mediolanēſis Epiſcopum nominat cujus poſtulatis acquieverunt præſentes Epiſ-	Singularem ordinationis presbyterorum poteſtatem, excluſo clero, ſibi ſolis vendicant, atque hanc ſibi maxime peculiarem & propriam, non fratrum presbyterorum voluntario conſenſu, ſed jure divino, aut ſaltem Apoſtolico: ideoque impoſitione manuum in ordinatione, gratiam internam conferri dicunt.

copi. *Theodoret. hiſtor. eccleſ. lib. 4. c. 6. Sic Auguſtinum Epiſcopum ſibi præponi poſtulat Hipponenſis Eccleſia Valerio Epiſcopo præſente, Poſſidon. in vita Auguſtin. Et Auguſtinus ipſe maximæ licet authoritatis, nihil tamen egit ſolus pro imperio in nominatione Eradii quem ſibi ſucceſſorem cupiebat, nam ipſe teſtatur epiſt.* 110. Populum ſibi adſediſſe

in ne-

in negotio hoc peragendo, & Eradium adſtitiſſe: *& Petrum à Clero & populo Alexandrino per ſuffragia nominatum fuiſſe refert Theod: hiſt. eccleſ. lib. 4. cap. 20. Et à* Gratiano *in decretis relatum diſt. 63. can. plebs:* Decreviſſe Gelaſium Papam ut ad electionem ſacerdotum ex ſingulis parœciis & Presbyteri & Diaconi & univerſa turba convocentur, *Verum quidem eſt populo præiviſſe Clerum, actionemque totam direxiſſe præſidem; interim ſibi ſoli nominationis & electionis quæ prima ordinationis pars eſt, jus non tranſcripſit. Nec Epiſcopi ſoli nominatum examinabant, aut de ejus ſufficientia judicabant excluſis cæteris presbyteris, Aſſenſuſque Eccleſiæ uſque adeo neceſſarius fuit, ut non licuerit Epiſcopo conſecrare niſi poſt electionem cleri & populi: Secundam ordinationis partem, videl. initiationem qua per ritum impoſitionis manuum, electus in miniſterio confirmatur, in ſolidum ſibi non vendicarunt Epiſcopi; etenim Euſeb. hiſtor. Eccleſ. lib. 6. cap. 43.* narrat presbyteros interdixiſſe Epiſcopo ne Novatum presbyterum ordinaret; Epiſcopum vero obſecratum fuiſſe omnes ut hunc ſolum χειροτονεῖν ſibi permitterent; *quo exemplo patet in actu hoc ordinationis nihil potuiſſe Epiſcopum ſine conſenſu reliquorum presbyterorum: neque initiandi paſtores jus, ſeculo illo in univerſum presbyteris ademptum fuiſſe: & Ambroſius in Epheſ. cap. 4. & Auguſtinus vel author quidam antiquior lib. quæſtionum veteris & novi Teſtamenti quæſt. 101. ſua adhuc memoria teſtantur,*

 Presby-

preſbyteros in Ægypto ordinaſſe; ſeu conſecraſſe vel conſignaſſe, *quod intelligi non poteſt de conſecratione euchariſtiæ, quam nemo dubitat quin omnes ubique paſtores poſſent non in Alexandria modo & per totam Egyptum: In concilio Carthaginenſi 4. can. 22. Decretum* ut Epiſcopus ſine clericorum ſuorum conſilio clericos non ordinet, *& can.* 3. Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente aut manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præſentes ſunt manus ſuas juxta manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant: *neque hoc decretum eſſe ut actioni gravitas quædam concilietur, aut ut ordinando animus adderetur, ſed neceſſario fieri debere præcedentia oſtendunt. Extat Canon concilii Ancyrani*, Chorepiſcopis non licet presbyteros aut Diaconos ordinare, ſed nec presbyteris civitatis ſine præcepto Epiſcopi in unaquaque parœcia: *ex quo colligi poteſt antea licuiſſe presbyteris civitatis in aliena parœcia ordinare, ſicuti olim licebat, Chorepiſcopis quos presbyteros ſolum fuiſſe aſſerunt Hierarchicideni non cohiberi ne in propria parœcia ordinent. Tertio, venia epiſcopi poſſe, ergo ritus ordinationis ſæculo illo ad ſolos epiſcopos non pertinebat: Denique ex prædictis patet, Epiſcopum peregiſſe ritum illum totius presbyterii nomine, cum presbyterorum primus eſſet, ſicuti in collegiis politicis ſolent iis qui ordine ex omnium conſenſu primi ſunt, partes quædam demandari, quibus tamen non ex proprio arbitratu, ſed præeunte collegarum judicio defun-*

funguntur. Et quid quæſo eſt illa manuum impoſitio, aliud niſi oratio (rectius ritus orationis) ſuper hominem, *Gratianus in Decretis. cauſ.* 1. *quæſt.* 1. *cap. manus ex auguſt. hanc autem orationem preſbyteris tum illicitam fuiſſe, cui erit credibile, quandoquidem* presbyteri in benedictione cum Epiſcopis conſortes miniſteriorum ſunt *ut inquit author epiſtolæ de ſeptem eccleſ. ordinibus. Si quis objiciat can.6.concilii2.Hiſpalenſis; quo dicitur* Epiſcopum ſacerdotibus & miniſtris Solum dare poſſe honorem, *id eſt ordinare. Reſpondebit Gratianus in Decret.cauſ.*15*.quæſt.*7*. can. Si autem.* Per illud Solum excludi alios Epiſcopos non proprium clerum. *Adde quod concilium illud recentius ſit neque in cenſum veniat illius ſæculi de quo jam vertitur controverſia. Etenim nullus negat ſæculo tertio & quarto ac ſequentibus in honorem Sacerdotii ut loquuntur veteres, adminiſtrationem ritus illius in ordinatione epiſcopis principaliter attributam fuiſſe, unde illud Hieronymi in Epiſtola ad Evagrium.* Quid facit excepta ordinatione epiſcopus quod presbyter non facit. *Nam teſtimonium Chryſoſtomi homil.* 11. *in* 1.*Timoth. quod toties ab hierarchicis reponitur corruptum plane eſt; & licet ita ſe haberet ut volunt hierarchici; loquitur tamen de ſui ſæculi conſuetudine, & privilegium hoc poſſidere epiſcopos dicit voluntario presbyterorum conſenſu: quid hoc ad præſides Epiſcopos ante concilium primum Nicenum: nam poſt illud in celebrioribus præſertim eccleſiis epiſcopi paulatim imperium in eccleſias*

ſibi augebant, non contenti paterna illa prælatione quam voluntaria presbyterorum conceſſione obtinuerãt. Ac tum decrevere ut ordinationes factæ à Preſbyteris irritæ fierent, verum à principio non fuit ita. Atque hæc de ordinatione, ſequitur diſſimilitudo in jurisdictione inter

6.

Veteres. &	*Hodiernos.*
Nullam delegationem internæ hujus juriſdictionis ab Epiſcopis ad Presbyteros agnoverunt: nam Ambroſius in 1. *Tim.* 5. *& Chryſoſtom. hom.* 17. *in Matt.* diſertè vocant presbyteros, Chriſti vicarios, *& Cyprian. lib.* 4. *epiſt.* 8. *dicit:* Dominum ſacerdotes ſibi in ſua Eccleſia eligere & conſtituere dignatum eſſe: *Nam Deus eſt Dominus meſſis, & ille operarios in meſſem*	Iuriſdictionem in foro interno, ſeu in foro conſcientiæ presbyteris quidem competere dicunt, ſed commiſſam tantum & delegatam ab Epiſcopo, cujus vicarii ſunt, cum ille ſolus totius Diœceſeos paſtor ſit: Quare exercitium hujus juriſdictionis in foro cõſcientiæ Epiſcopis ſubditum eſſe volunt, ita ut Presbytero ordinato nõ liceat concionari aut ſacramenta adminiſtrare niſi facultate ab Epiſcopo prius conceſſa.

emittit, hinc à Deo conſtituti in Eccleſia, à Chriſto dati dicuntur, legationeque Chriſti nomine non Epiſcoporum fungi referuntur: Verum quidem eſt ab hominibus ordinatos eſſe, facultatem tamen & authoritatem miniſtrandi Eccleſiæ à Deo habent; cujus ſunt œconomi: quare nunquam invenies veteres illos

los Epiſcopos, appellantes presbyteros quibus præerant, legatos ſuos; etenim cum ſe ſolum Chriſti legatos agnoverint, & vero delegatus non poteſt ſubdelegare, videl. in iis muneribus quæ peritiam & fidem requirunt; uti in jure Canonico ſæpius repetitur; abſurdum fuiſſet Presbyteros, ſuos indigetaſſe legatos; Quod ſi collegas agnoverint, tum totius diœceſeos paſtores non fuerunt: neque ita circumſcribebant presbyteros ut non licuerit eis exercere actus paſtorales ſeu presbyterales ſine ipſorum venia. Clara ſunt quæ habet author quiſquis eſt epiſtol. de 7. Eccleſiæ ordinibus. Nemo hinc (inquit) Epiſcoporum diabolicæ tentationis invidia inflatus, iraſcatur ſi presbyteri in Eccleſiis prædicent, ſi plebibus ut ſcriptum eſt benedicant. Etenim abnuenti mihi iſta ſic dicam: Qui non vult presbyteros facere quod jubentur à Deo, dicat quis major eſt Chriſto. *Mandatum illud Chriſti Ite, prædicate &c. Matt. 28. presbyteros adæque ac Epiſcopos includere nullus unquam negavit; Miſſio autem hæc ſeu commiſſio luſoria prorſus eſſet, ſi non liceret exercere id, ad quod presbyteri committuntur: ac qui ſecus ſentiunt, Chriſtum ſic quaſi loquentem volunt, Iubeo vos prædicare, mitto vos ut annuncietis verbum Evangelii, prædicandi tamen exercitium vobis minime concedo: quo quid dici poſſet ineptius.*

A juriſdictione fori interni ad juriſdictionem externam ſeu externi fori progrediamur, cujus poteſtas vel eſt δογματικὴ, vel διακριτικὴ, vel denique κριτικὴ,

quærendum in ſingulis quæ ſit diſparitas. Et primum in genere, inter 7.

Veteres	& *Hodiernos.*
Sibi ſolis externæ juriſdictionis poteſtatem non uſurparunt, quam ſibi cum presbyteris communẽ dicebant: Ignatius (cujus ſuppoſititia ſcripta magni faciunt hierarchici) in epiſtol. ad Trallianos presbyteros vocat ſenatum Dei, *&* non conſiliarios ſolum, ſed & aſſeſſores *epiſcopi: eorumque præſentiam in omnibus deliberationibus uſque adeo neceſſariam, ut iis aſſenſum non præbentibus nihil ordine & decenter peragi potuit ab Epiſcopo in eccleſiæ gubernatione, uti idem Ignatius epiſtol. ad Epheſios loquitur,* ſic coaptetur presbyterium epiſcopo, quomodo chordas *(inquit)* in cithara colligatas cernimus; *etenim niſi omnes nervi ab imo*	Hi omnem externi fori juriſdictionem excluſis presbyteris vendicant ſibi ſolis: ita ut eoſdem conſulere dedignentur, quod ſi eorum conſilio aliquando utantur, illud non ex neceſſitate ſed libera ſua voluntate fieri dicunt & presbyterorum ſuffragia tum nolunt eſſe deciſiva, ſed ſolum deliberativa & conſultiva, quibus numerandis non aſtringitur, ſed ab ipſius ſolius arbitrio pendet num majorem aut minorem partem ſequi velit: quod ne quis hoc iis per calumniam affictum eſſe calumnietur, ecce Dounami ipſius verba non magis (inquit) detrahit Epiſcoporum dignitati uti prudentum & eruditorum conſilio, quam majeſtati regum conſulere prudentes & fidos viros, qui ſunt eis à conſiliis: & quotidianæ ipſorum pra-

ad

ad ſummum recte intendantur, interque ſe conſentiant, incongruum ſonum edet cithara. xes ab omni mendacii ſuſpicione quàm longiſſime hæc abeſſe clamant. *Irenæus lib.* 4. *cap.* 44. *vocat* principes, *Auguſtinus ſerm.* 36. *ad fratres in Eremo.* Patronos & rectores terræ, *Epiphanius contra Ærium negare non poteſt*, ſediſſe in thronis ſicut & Epiſcopi, *quorum etiam mentionem facit Nazianzenus*, *in oratione habita in laudem Baſilii qui floruit anno Chriſti* 370. Eccleſiis præſediſſe, ſicut Epiſcopi, *diſerte narrat Chryſoſtomus in* 1. *Timoth. hom.* 11. munuſque docendi & præſidendi eccleſiæ, ſimul accepiſſe *dicit. Cypriani ſæculo extra controverſiam eſt, presbyteros ſimul cum epiſcopis exercuiſſe poteſtatem juriſdictionis externæ*, ipſeque à primordio epiſcopatus ſui ſtatuerat nihil ſua privatim ſententia gerere, ſine presbyterorum conſilio: *atque ad hoc ſe debito & officii vinculo aſtrictum fuiſſe lib.* 3. *epiſt.* 10. *indicat.* Cum ad vos per Dei gratiam venero (*inquit ſcribens ad presbyterium*) tunc de iis quæ vel geſta ſunt vel gerenda, ſicut mutuus honor poſtulat in commune tractabimus. *Quod idem eſt cum illis Hieronymi*, Epiſcopos debere in communi cum presbyteris regere eccleſiam. *Et ex eodem Hier. Gratianus in Decretis. Cauſ.* 16. *quæſt.* 1. *cap. Eccleſia, de conſuetudine ſui ſæculi.* Eccleſia habet ſenatum presbyterorum ſine quorum conſilio epiſcopis nihil agere licet: *Et in epiſt. ad Evagrium.* Quid facit excepta ordinatione epiſcopus quod presbyter nõ facit?

No-

Notandum imprimis hoc teſtimonium, nam Hieronymi ſæculo anno 390. *Ambiebant ſingularem hanc poteſtatem quidam Epiſcopi, ſed fruſtra, Hiſce adderem locum quendam ex Chryſoſtom. Hom.* 11. *in* 1. *Timoth. non quod in ſe aliquid firmi contineat, cum vitioſæ interpretationi innitatur ; ſed quia quicquid in interpretatione eſt vitii, degluti͂ut Hierarchici; locus ſic ſe habet,* τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι. *Sola manuum elevatione ſuperant eos, aut potius* ſuffragio, *quia primus presbyter in* χειροτονίᾳ *reliquis præibat.* Sola (inquit) ordinatione ſuperiores illis ſunt, *nempe Epiſcopi: Ergo, argumento ad hominem, Epiſcopis in juriſdictione æquales ſunt presbyteri, iiſque ſæculis cauſarum & litium Eccleſiaſticarum dijudicatio presbyterorum & Epiſcopi communi conſilio peragebatur ; neque Epiſcopis competiviſſe vocem (ut loquuntur) negativam, quæ irrita redderet majoris partis presbyterorum ſuffragia: nam ſic vere regalem & monarchicam poteſtatem exercuiſſent, qua uti poſſunt principes ſæculares in ſenatu ſuo, nec fuiſſent* presbyterorum collegæ, *prout ſe vocat Auguſtinus, epiſt.* 137. *& Concil. Chartaginenſe* 4. *can.* 35. *(cujus canones hierarchicorum anteſignani, promptuarium vocant Eccleſiaſticæ diſciplinæ ab antiquioribus uſu receptæ, & ad priſtinam conſuetudinem revocatæ, quam meritò ipſi viderint) Duo hic ſunt quæ remoram quandam afferre poſſu͂t; alterum, videl. Canones frequentiſſimos prohibere* ne quid tentent presbyteri ſine Epiſcopo: ſine Epiſcopi ſententia, conſcientia, præcepto

cepto, conſenſu: *magno certe apparatu objectionem hanc inſtruunt, quæ ſine ſtrepitu facile ſolvi poteſt: nam apud eoſdem veteres cautum fuit antiquitus,* ut ipſe Epiſcopus nihil faceret abſque conſenſu presbyterorum: *uti in hac ſectione ſuperius accepimus: & perſpicue in Canon.* 23. *Concil.*4.*Carthaginenſ.* Irritæ declarantur omnes ſententiæ Epiſcopi quæ præſentia Clericorum non confirmantur: *non tamen ſequitur presbyteros eminuiſſe ſingulari aliqua poteſtate ſupra Epiſcopum. Sic apud veteres extat Canon, ne quid in generalibus ſynodis fieret ſine conſenſu Romani Pontificis; male tamen inde concludere Pontificios Reformatæ Eccleſiæ Doctores omnes tuentur, Authoritatem & ſupereminentiam juriſdictionis externæ habere Romanum Pontificem ſupra reliquos Apoſtolos. Summà, cum perpetua præſidentia uni presbyterorum olim conceſſa fuerit, iniquum certe fuiſſet non requirere aſſenſum illius. At iſtis phraſibus ſi quis urgeat ſingularem authoritatem Epiſcopi ut principis, meminerit ſimiles canones extare de Epiſcopis ne quid faciant niſi conſenſu presbyterorum: & ut antea dictum, nihil ſanciendum eſſe ſine conſenſu Romani Pontificis: Alterum quod objicitur eſt* πολυθρύλλητον *illud Hieronymi adverſus Luciferianos.* Niſi exors quædam & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata quod ſacerdotes: *Si quæratur in quibus illa conſiſtat, ſtatim ſubjungit ibidem,* Inde (inquit) venit ut ſine Epiſcopi juſſione neque presbyter neque Diaconus jus habeat

beat baptizandi: *Atque ſupra vidimus veteres epiſcopos ante Hieronymi ætatem illud ſibi non vendicaſſe,& ipſe Hieronym. epiſt. 2. Nepotia.* Peſſimæ inquit conſuetudinis eſt in quibuſdam eccleſiis tacere Presbyteros & præſentibus Epiſcopis non loqui. *Itaque exors illa poteſtas in quibuſdam tantum eccleſiis obtinuit: an vero laudanda ſit, demonſtrat, cum* rem peſſimæ conſuetudinis eſſe dicit, *& ad Ruſticum Narbonenſ. quod citatur etiam à Gratiano Diſt. 95. cap. Gratia.* Epiſcopos illud ſibi arrogantes, *dicit*, Diabolicæ tentationis invidia inflatos eſſe, *& ſubdit.* Propterea (*inquit*) hæc ſcribo ut ſi præteriti temporis error non poteſt jam revocari, vel ad præſens in Eccleſiis ſervetur humilitas, ut presbyteri hoc in eccleſiis ſuis faciant quod Romæ, in Italia, in Creta, in Oriente, Cypro, Africa, Illyrico, Hiſpania, Britannia, quod in omnibus locis ubi humilitas perſeverat. *Denique non quæritur, an Epiſcopis illis antiquis potiores quædam regiminis partes, per ſe collegis omnibus communes, cedant, quaſi propriæ, nam cum ordinis præſidentia, regiminis aliqua dignitas neceſſario cohæret, neq; quiſpiam ordine collegio alicui præeſſe poteſt, niſi ſimul ejus onera aliquot nobiliora omnium nomine in ſe recipiat: Hoc ſi quis exortem poteſtatem vocet, per me licebit: Sed quæritur an hac exorti poteſtate potiantur neceſſario, functionis ſuæ jure, ſine collegarum voluntario conſenſu hodierni Epiſcopi affirmant: Hieronymus negat. In Comment in Tit.* 1. Sicut presby-

presbyteri ſciunt ſe ex eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverunt ſe magis conſuetudine quam diſpoſitionis dominicæ veritate majores eſſe. & *Auguſt. epiſtol.* 19. *ad Hieronym.* Secundum honorum vocabula quæ jam eccleſiæ uſus obtinuit, epiſcopatus presbyterio major eſt: *Ex quibus patet, neque omnem Iuriſdictionis poteſtatem, neque ſemper, neque ab omnibus illis Epiſcopis vendicatam fuiſſe ut ſibi ſolis propriam excluſis presbyteris: multo minus hæc ſibi à Chriſto commiſſa eſſe profitebantur prout hodierni de ſe jactitant. Atque hæc de juriſdictionis poteſtate in genere: Sequitur ut oſtendatur quænam ſit differentia inter veteres & hodiernos epiſcopos, ratione partium illius juriſdictionis. Et primum de poteſtate* δογματικὴ, *quæ verſatur in judicandis cauſis fidei & religionis.*

8.

Veteris.	&	*Hodierni.*
Ius judicandi de rebus fidei ſibi ſolis non tranſcripſerunt: ſed in presbyteriis & Synodis cui frequentes inter-erant cauſas eas definendas proponebant. Ruffin. lib. 1. *Eccl. hiſt. c.* 14. *refert* Alexandrum Alexandriæ epiſcopum		Vix hic ſibi conſtant, nam aliquando ſibi ſolis omnem juriſdictionem externi fori vendicant: excluſis presbyteris, ſic Dunamus in concione. Presbyteri non gubernant populum particularis ſui gregis in foro externo, hoc ad majoritatem Epiſcopalem pertinet: Interim alias conretu-

retuliſſe ad clerum quid ſtatuendum eſſet de baptiſmo per Athanaſium puerum inter ludendum adminiſtrato: *& Cyprian. epiſtol. ad Quinti. teſtatum reliquit* presbyteros una cum Epiſcopis conveniſſe in ſynodum, ut ſententiam ferrent de baptiſmo hæreticorum & ſchiſmaticorum. Malchion, qui presbyter ſolũ fuit *Antiochenæ Eccleſiæ, non ſolum interfuit ut judex Antiocheno concilio ſecundo, contra Paulum Samoſatenum Epiſcopum Antiochenum convocato, ſed cum eloquentia & ſingulari eruditione emineret ut ait Euſebius Eccleſ. hiſt. lib. 7. cap. 28.* eidem concilio interfuit, & hæreticum notariis omnia excipientibus quæſtionibus urſit. *Ejus etiam nomen in Epiſtola Synodica reperitur, quæ ſcripta fuit nomine Epiſcoporum presbyterorum & Diaconorum. Aderant autem quamplures magni nominis Epiſcopi. Hieroſolymæ, Cæſareæ Paleſtinæ, Cæſareæ Cappadociæ Tarſenſis, Iconienſis, quorum longum Catalogum ex Euſebio recenſent authores centuriarum Magdeburgicarum. cent. 3. c. 9. parag. è penultima. Et hoc omnes reformatarum Eccleſiarum Doctores mordicus contra Pontificios tuentur. Quare cum in ſynodis juriſdictio*

cedit locum & ſententiæ dictionem presbyteris ſimul cum Epiſcopis in ſynodis & presbyteriis: In quibus notius eſt quam ut probationi inſiſtã, de cauſis fidei & religionis diſceptari ſolere: Sed facile hæc conciliari poſſunt, intereſſe presbyteros ut conſiliarios, non ut judices; quorum ſententiam admittere aut rejicere poteſt pro arbitrio Epiſcopus.

ctio δογματικὴ exerceri ſolita fuerit : atque in iis omnibus deciſiva ſuffragia tuliſſe presbyteros æque ac Epiſcopos, reformatis omnibus certum ſit: evidenter ſequitur poteſtatem dogmaticam veteres illos epiſcopos ſibi ſolis non vendicaſſe.

Sequitur poteſtas διαταχτικὴ, quæ exercetur in iis quæ ad externum regimen eccleſiæ pertinent; & externis ceremoniis cultui divino adminiſtrando accommodatis. Atq; hic exſurgit nova differentia, nam

9.

Veteres.	*Hodierni.*
Iudicarunt hanc ſibi cum presbyteris communem eſſe; quare communibus omnium ſuffragiis in ſynodis διατυπώσεις, ſeu Agendarum formulas & capitula *(uti vocant) fecerunt.*	Sibi ſolis omnem vendicarunt, ac preſbyteris ne quidem conſultis, Canones fabricarunt, & Presbyteris pro imperio obtruſerunt: uti & novam liturgiæ formulam antiquata veteri.

Quin & craſſiſſimis Papiſmi tenebris non licuit Epiſcopis ſine presbyterorum conſenſu Agendarum iſtarum receptas formulas mutare. Nota eſt illuſtris illa diſceptatio inter Epiſcopum Andegavenſem, *& Canonicos aliquot* S. *Trinitatis collegii ibidem, quos presbyterio veteri ſucceſſiſſe nullus negat: quæ hunc ſucceſſum habuit ut ſententia ſenatus regii definiretur*, Epiſcopo non licere breviarium & miſſale ibidem uſitatum mutare. *Vide ampliſſimi Thuani hiſtoriar. lib.* 129. *ad annum* 1603.

Supereſt poteſtas γελτικὴ in exercitio diſciplinæ eccleſiaſticæ poſita, multiplex hic ſe prodit diſſimilitudo: nã

10.

Veteres. & Hodierni.

Nullam diſciplinæ eccleſiaſticæ partem ſoli excluſis presbyteris exercuerunt, ſed omnia eorum conſilio & ſuffragio adminiſtrabant, quippe quod presbyteris æque ac ſibi diſciplinam commiſſam ſciebant: Tertull. in Apologet. Ibidem (*id eſt in cœtu publico eccleſiæ*) exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina, *inter quas refert relegationem à communicatione orationis, conventus & omnis ſancti commercii, hoc eſt, quod vulgo nunc vocatur excommunicatio major. Iam accipe per quos adminiſtraretur:* Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio ſed teſtimonio adepti. *Et ante illum Irenæus adverſus hæreſ. lib. 4. cap.* 44. Presbyteris iis obediri oportet qui ſucceſſionem ab Apoſtolis habent, & ſanam doctrinam præbent ad informationem & correctionem aliorum. *Loci illius ſeries ſatis oſtendit intelligi* correctionem judicialem, *quam non exercuere presbyteri deputatione epiſcopali, ſed virtute ſui presbyteratus, in quo Apoſtolorum ſucceſſores fuerunt. Cyprianus frequentiſſime in epiſtolis. lib.* 3. *epiſt.* 5. Non defuit presbyteris ſacerdotii vigor, ut quidam diſciplinæ minus memores com-

Excommunicandi poteſtatem ſibi ſolis arrogant, ut & ſolvendi a ſententia excommunicationis lata. Soli clericalem diſciplinam exercent aut per ſe, aut per officiales, cancellarios, à ſe deputatos, qui ſacro presbyteratus ordini nūquam initiati fuerunt.

comprimerentur. *Itaque ad epiſcopi & mancipiorum ejus forum non fuit recurrendum ut, hodie ſit. Et lib- 2. epiſtol. 7.* Lapſorum cauſa conſuevit tractari facta conciliorum collatione cum Epiſcopis & presbyteris. *Ita quidem*, ut firmum decretum eſſe non poterat quod plurimorum conſenſum habuiſſe non videbatur. *ibid. Cum ad eum delata eſſet querela*; placuit, *inquit*, presbyterium contrahi. *Nempe*, religio illi fuit à primordio Epiſcopatus, ſibi ſoli rem communem vendicare, & quæ mutuus honor communi presbyterorum conſilio peragenda poſtularet, privatim adminiſtrare. *lib. 3. epiſtol. 10. & 19. Eadem mens Hieronymo, in epiſt. ad Heliodor.* Mihi ante presbyterum ſedere non licet, illi, ſi peccavero licet me tradere Satanæ ad interitum carnis, ut ſalvus fiat ſpiritus. *In Synodis quibus intererant presbyteri, anathema dictum hæreticis: Depoſiti epiſcopi, ut* Samoſatenus *in* Antiochena & Marcellinus *in* Sinueſſana *ſententia 30. presbyterorum Romanorum damnatus. Quin & veteres Epiſcopi,* ſeniores, *ſeu presbyteros gubernantes ab adminiſtratione diſciplinæ non excludebãt:* ſine horum concilio nihil agebatur in eccleſia, donec doctorum ſuperbia excluderentur, *inquit Author commentariorum in 1. Tim. c. 5. qua nomine Ambroſii circumferuntur.* Ius ligandi & ſolvendi ὁμοίως ex æquo, omnibus paſtoribus & doctoribus tributum eſſe à Chriſto, *aſſerit Baſilius Magnus Archiepiſcopus Cæſar: quod nec Lomb: negat ſententiar. li. 4. diſt. 19.*

 Verum

Verum ſicuti hodierni Epiſcopi ſibi ſolis poteſtatem hanc vendicant, ita in alios ſacrilege tranſtulerunt, & per vicarios ſuos, officiales, Archidiaconos, Cancellarios, Antichriſti excrementa omnes diſciplinæ eccleſiaſticæ partes, quin & excommunicationem ipſam adminiſtrant: atque ſic non ſolum per ſe tyrannidem in eccleſiam exercent, ſed ſub ſervos hoſce ſuos in miſerrimam ſervitutem redegerunt; qui in nullo ordine ſacro conſtituti ſunt, ſed homines mere ſæculares: Annon propria vineta cædunt Hierarchici alias reformatas eccleſias damnantes, quod adminiſtrationi diſciplinæ eccleſiaſticæ ex Apoſtoli præſcripto & purioris ſæculi exemplo, (nequicquam contra fremente D. Hallo & Symmiſtis) admoveant ſeniores gubernantes, homines laicos, hoc eſt, qui vocationem ſæcularem ſequuntur? etenim ſi illicitum eſt hujus conditionis homines pietate & prudentia conſpicuos ſimul cum paſtoribus ſeu verbi presbyteris diſciplinam adminiſtrare, quam indecorum eſt novitiam iſtam prolem officialium & cæt. Scripturæ & antiquitati penitus incognitam, per ſe ſolam nobiliſſimos actus juriſdictionis eccleſiaſticæ exercere? Videſis doctiſſimum illum tractatum, cui titulus Altare Damaſcenum, cap. 5. de Epiſcoporum dignitate & poteſtate & cap. 6. De vicariis & officialibus, cujus auctori vt acceptum feras enixe rogo, ſi quid Antitheſibus hiſce adjutum te cernas. Infœlicis certe ingenii eſſet, vt ait ille, non fateri per quos profecerim; neque clariſſimus ille author, quiſquis ſit, ægre feret, gratiam hanc ſibi à me multorum nomine ingenue repoſitam. Difficilia iſta

tempo-

tempora cum quibus colluctatus eſt, literato orbi auctoris nomen ſuppreſſerunt.

Proximum eſt, ut videamus, quo jure ordinis illam προεδρίαν *ſibi vendicarint veteres Epiſcopi. Atque hinc emergit Antitheſis inter*

II.

Veteres. & *Hodiernos.*

Omnem ſupra presbyteros honoris prærogativam, voluntario eorundem conſenſui aſcribebant; ſeque mera conſuetudine, non vero dominicæ diſpoſitionis veritate *iiſdem majores eſſe, Eundem eſſe jure divino Epiſcopum & presbyterum: ex æquo utrumque Apoſtolis ſucceſſiſſe, uti antitheſi prima oſtenſum fuit. Quæ ad poteſtatem ordinis & juriſdictionis ſpectant, utriſque ex æquo competiviſſe, & eadem junctim adminiſtraſſe, ut antitheſ. 7. 8. 9. 10. probatum fuit.*

Hinc Irenæus lib. 4. c. 43. *qui vixit anno Chri-*

Aſt hi ſingulares illas prærogativas ſupra presbyteros & presbyterorum collegia, jure divino ſibi vendicant: ita ut nefas, & ſacrilegium ſit vel ſcrupulum unicum exortis hujus poteſtatis præſulibus abradere: à Spiritu S. epiſcopos ſe conſtitutos jactitant, neque epiſcopatum ſuum ſe ferre acceptum eccleſiæ ejuſque ſynodis; neque regibus; nempe, vocationem habent à Chriſto, ſolam permiſſionem exercitii hujus poteſtatis à principe. Inde Epiſcopatum neceſſarium eſſe dicunt, & presbyteros aliarum eccleſiarum reformatarum ἀκεφάλους vocant, & eccleſias epiſcopis hiſce deſtitutas, vel eo nomine laborare defectu

 ſtianæ

ſtianæ æræ. 180. Oportet eis qui in eccleſia ſunt obedire presbyteris, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis *acceperunt*. Scholaſtici doctores in enumerandis eccleſiæ ordinibus, epiſcopatum & presbyteratum unũ tantum ordinem faciunt, *vide citatos fuſe à Clariſſ. Gerſomo Bucero, diſſertationis de gubernatione eccleſiaſtica parag.* 70. *& celeberrimo D. Voetio in Deſperata cauſa papatus lib.* 2. *ſect:* 1. *cap.* 9. *Verum quidem eſt Æriũ ab Epiphanio inter Hæreticos relatum, quod dixerit Epiſcopum jure divino nihil differre ab Epiſcopo. Sed ſi hoc hæreſeos nota dignũ, quo pacto ab eadem liberabitur Hieronymus,* œconomico, male conſtitutas eſſe; & receptum eſt axioma Cantuarienſis ſcholæ, Irritam eſſe omnem presbyterorum ordinationem quæ ab Epiſcopis non adminiſtratur, quia ſcil. legitimus ordinationis miniſter ex juris divini præſcripto eſt ſolus Epiſcopus. Si quis contra hiſcere auſus ſit, hæreticum vocant Ærianum, paritatem vero presbyteri & Epiſcopi, ſomnium Calvinianum, & dogma antiquitati exploſum. Etenim, ut hujus erroris fontem aperiam, non ignorabant boni illi viri corruiturum neceſſario Epiſcopatum, ſi fragili humanæ authoritatis fulcro ſolummodo inniteretur, utpote quod receptum ſit juris axioma. Iura poſitiva cum incipiunt corrumpere viam ſuam ſunt antiquanda. Et Conſuetudines (humano videl. conſilio receptæ) quæ eccleſiis noſcuntur gravamen inducere noſtra nos decet conſideratione remittere, uti bene

Am-

Ambroſius, Auguſtinus, & nubes illa patrum, citante Bellarm. lib. 1. De clericis cap. 15. ex Medina. Et quicquid nunc garriant Canoniſtæ, notum tamen eſt in eccleſia duos tantum fuiſſe ordines ſacros, presbyteratum & Diaconatum. vide Gratiani decreta: diſtinct. 60. Can. nullus: Hieronymus uſque adeo aperte hoc tuetur in comment. in Titum. cap. 1. ad illa verba: Ut conſtituas presbyteros ſicut ego diſpoſui, ſanxit Gregor. Magn. lib. 1. Epiſt. 64. Et orbi Chriſtiano non ſolum præcedentium ſæculorum triſti exemplo, verumetiam præſentis ævi lugubri experientia pluſquam manifeſtum eſt præſulum iſtam vel moderatam προστασίαν fomitem eſſe & fuiſſe ambitionis, & ex ea pullulantium ſchiſmatum & hæreſium. Atque hinc eſt quod in deſperatæ ſuæ cauſæ patrocinium ad jus divinum recurrant, licet fruſtra, & reclamante univerſo reformatorum choro.

&c. in epiſtola ad Evagrium; Ut Hierarchici affirment erraſſe hic Hieronymum; & parum abeſt quin albo hæreticorum, uti hoc nomine Epiphanius Ærium, aſſcribant: floſculos tantum exſcribam: Locis illis prædictis agens de eccleſiaſticæ politiæ ratione non ſolum quæ Apoſtolorum ætate, ſed quæ eam proxime ſubſecuta eſt, Communi presbyterorum conſilio eccleſiam gubernatam fuiſſe dicit; *Ergo indiſtincta tunc fuerunt epiſcoporum & presbyterorum officia ut & nomina: quandoquidem gubernationis prærogativa ſeſe efferant epiſcopi ſupra presbyteros, ea vero olim utriſque communis fuerit, quid quæſo reſtare poterat quo à ſe invicem tunc diſtinguerentur? Et hoc plurimis SS. ſcript: locis perſpicue probat: theſeos ſuæ repetitionē*

ſubjungens, oſtendimus apud veteres eoſdē fuiſſe presbyteros quos & epiſcopos: poſtea paulatim ad unū omnis ſollicitudo eſt delata ut diſſenſionum plantaria evellerētur: *An vero medicina morbo reſponderit, eventus docuit. Et Alphonſus de Caſtro adverſ. hæreſes lib. 6. titulo Epiſcopus; Aperte negat* paſtorum inæqualitate plantaria diſſenſionum exſtirpari: *de mutatione hac politejas eccleſiaſticæ ſic Muſculus in locis communibus.* Profueritne, vel ſecus conſilium hoc eccleſiæ Chriſti, melius eſt poſterioribus ſæculis declaratum, quam dum hæc conſuetudo primum introduceretur, cui debemus omnem illam principalium & equeſtrium epiſcoporum inſolentiam ac tyrannidem, imo omnium eccleſiarum Chriſti corruptionem, quam ſi Hieronymus cerneret, dubio procul conſilium agnoſceret non Spiritus Sancti ad tollenda ſchiſmata, ſicuti prætexebatur, ſed ipſius Satanæ ad vaſtanda & perdenda priſca paſcendi dominici gregis miniſteria: quo fieret ut haberet eccleſia non veros doctores, paſtores, presbyteros & epiſcopos, ſed ſub nominum iſtorum larvis, otioſos ventres & magnificos principes, qui non modo non paſcant ipſi populum domini doctrina ſana & Apoſtolica, ſed & improbiſſima violentia caveant, ne id per quemquam alium fiat: *Et Whitakerus de pontifice Roman. quæſt.* 1. *cap.* 3. *paragraph.* 26. remedium hoc morbo ipſo pene pejus fuiſſe, *utpote quod* primus fuerit gradus

dus monarchiæ pontificiæ, *annotante Illyrico parte. 1. Clavis ſcripturæ in voce, Epiſcopus. Rurſus ibid. Hieronymus.* Presbyteri ſicut ſciunt ſe ex eccleſiæ conſuetudine eſſe ſubjectos ei qui ſibi præpoſitus fuerit, ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine quam dominicæ diſpoſitionis veritate presbyteris eſſe majores, & in commune debere eccleſiam regere. *Ab Hieronymo ad Chryſoſtomum tranſeamus; Is hom. 11. in 1. Tim. capit. 3. quærit, cur de Epiſcopis differens, omiſſo presbyterorum ordine, ad Diaconos tranſilierit? Reſpondet.* Quia medium (*videlicet interveniens inter Epiſcopos & Diaconos*) non multum, etenim illi (*presbyteri*) & docendi munus ſuſceperant & præſidendi eccleſiæ, & quæ de Epiſcopis dixit eadem de presbyteris (*dici.*) ſola enim horum electione aſcenderunt; *ſenſus eſt, Epiſcopos habere à presbyterorum electione quod ordinis cauſa præſint presbyterio, atque unica hac ratione à presbyteris differre: Eandem ſemitam terit* Sedulius presbyter Scotus, *qui eodem ſæculo vixit quo Paladius, qui miſſus à Celeſtino pontifice Romano Epiſcopos in Scotia primus creaſſe dicitur, verba formalia Hieronymi citat & approbat, in expoſitione epiſtolarum ad Titum & Timotheum. Ambroſius eodem inclinat. in Comment. in 1. Timoth. cap. 3.* Quare (*inquit*) poſt Epiſcopum Diaconatus ordinem ſubjecit? Niſi quia presbyteri & E-

 piſcopi

piſcopi una ordinatio eſt. Uterque enim ſacerdos eſt, ſed Epiſcopus primus eſt, ut omnis epiſcopus presbyter ſit,non tamen omnis pres byter Epiſcopus , hic enim Epiſcopus eſt qui inter presbyteros primus eſt: *Redolentne hæc quæſo principatum poteſtatis debitum epiſcopis jure divino; An potius primatum ordinis ab eccleſia introductum?* primus, *inquit*, erat presbyter; *cui loco illuſtrando ſubſerviat illud ejuſdem Ambroſii comment. in cap. 4. ad Epheſ.* Non per omnia (*inquit*) conveniunt ſcripta Apoſtoli,ordinationi,quæ nunc in eccleſia eſt, Nam & Timotheum à ſe creatum presbyterum,epiſcopum vocat,quia primi presbyteri epiſcopi appellabantur, ut recedente eo ſequens ei ſuccederet. *Unde colligitur præſidentiam illam ordinis,cum primum inſtitutum hoc obtinuiſſet, non fuiſſe perpetuam,ſed ſuccedaneam,hoc eſt,primatus ille ordinis olim nulli fuit perpetuus, nec ad vitam certæ perſonæ annexus, prout Ambroſii ſæculo obtinuit,ſed omnibus presbyteris communis, utpote quod ſibi invicem in præſidentia ſuccederent: Auguſtino eadem mens tom.2. operum epiſtol.19. ad Hieronymū.* Quanquam, *inquit*, ſecundum honorum vocabula quæ jam eccleſiæ uſus obtinuit , Epiſcopatus presbyterio major ſit,tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. *Præceptoris ſui veſtigia preſſit Primaſius in Comment. ad Epiſtolam ad Tit. Quæ fuerit venerabilis Bedæ ſententia, aperte explicat in commentariis Actorum Apoſtolicorum, ad illa verba; In quo* Spiritus S. *vos poſuit*

epiſco-

epiſcopos: vide Albini Alcuini ſententiam ſupra, antitheſi. 4. *ejuſque* σύγχρονος Rabanus Maurus, *quem Scotum natione vocant non ſolum hiſtorici Scoti in vita regis Achaii à quo in Gallias ad Carolum Magnum miſſus fuit, ſed & Angli ipſi, Balæus in ſcriptoribus eccleſiaſticis magnæ Britanniæ: multoſque variarũ nationum & ſæculorum authores magni nominis. Rabanum hunc Scotiæ vendicantes, citat* Dempſterus *in libro cui titulus*, Mendicabula Hibernorum repreſſa *& cæt. &* David Camerarius *lib.* 3. *De Scotorum pietate in Menologio Scotorum ſanctorum ad diem* 4. *Februarii, videantur ipſius Rabani commentaria in epiſt. Pauli ad Philippenſes & ad Timotheum: cujus verba quia eadem fere ſunt cum Chryſoſtomi & Hieronymi ſupra citatis, non exſcribam: Porro cum omnes hi paritatem presbyterorum & epiſcoporum ex ſcripturis aſtruant neque nomina ſolum utriſque fuiſſe olim communia, verumetiam munia, paradoxum illud hodiernorum hierarchicorum, principatum poteſtatis ſupra presbyteros jure divino vendicantium, merito explodendum eſt: At Apoſtolici ſaltem juris fuiſſe putabant veteres Epiſcopatum (inquient hierarchici:) At quo argumento illud perſuadebunt? Etenim cum ſplendidiſſima illa patrum nubes ex ſcriptis Apoſtolicis presbyterorum & epiſcoporum paritatem aſtruxerit, probabile cuiquam erit eoſdem imparitatem hanc Apoſtolis authoribus tranſcribere poſſe? præſertim cum perſpicue teſtatum reliquerint, nihil pro Apoſtolico habendum quod in ſcriptis Apoſtolorum non reperiatur.*

Hiero-

Hieronymus in Haggæum cap. 1. Quæ (*inquit*) abſque authoritate & teſtimoniis ſcripturarum quaſi Apoſtolica traditione ſponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei: *& ejus æqualis Theophilus Alexandrinus: in Epiſtola* 2. *Paſchali.* Diabolicum eſt extra ſcripturarum divinarum authoritatem aliquid divinum putare: *At quod Apoſtolicum eſt divinum eſt: Niſi fortaſſe eccleſiis reponere velint pontificium illud Apoſtolorum traditiones alias fuiſſe ſcriptas, alias verò non ſcriptas: inter quas ſi hanc de Epiſcopatu numerent, age examinetur ad regulam illam Auguſtini contra Donatiſtas lib.* 4. *capit.* 24. Quod univerſa tenet eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. *At Epiſcopatum Diœceſanum univerſa ubique ac ſemper tenebat eccleſia, nec conciliis inſtitutus fuit, id eſt, conciliorum authoritate introductus. Quam falſa hæc minor ſit præcedentes & ſubſecuturæ antitheſes demonſtrant: Adde quod Hieronymus aperte teſtetur, epiſcopatum à conciliis primitus ſancitum. Comment. in Tit.*1. Poſtquam unuſquiſque eos quos baptizaverat ſuos putabat eſſe non Chriſti, in toto orbe decretum eſt ut unus de presbyteris delectus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis eccleſiæ cura pertineret. *Dein idem Hieronym. in epiſtol. ad Euagrium:* Primatum hunc epiſcoporum, Alexandriæ primum cœpiſſe, poſt mortem Marci

Marci Euangeliſtæ; *hancque conſuetudinem uno impetu ab aliis omnibus eccleſiis receptam fuiſſe cui veriſimile? præſertim cum addat ibidem*, Paulatim, ut diſſenſionum plantaria evellerentur, omnem ſollicitudinem ad unum delatam fuiſſe: *ſi paulatim, certe non univerſaliter & ſemper obtinuit & conſuetudinem hanc Alexandrinæ eccleſiæ Sozomenus lib.* 1. *cap.* 15. civitatis conſuetudinem *vocat; quia videlicet apud alias eccleſias non obtinuit, Epiphanio ipſo fatente: Hæreſi.*86. *de Miletianis.* Non habuit Alexandria duos epiſcopos ut aliæ urbes: *Cur itaque hic cum Hieronymo in eadem ad Euagrium epiſtola, Alexandrinæ eccleſiæ ſingulare exemplum objicientibus, reſpondere non liceat?* Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem, quid paucitatem de qua ortum eſt ſupercilium in leges eccleſiæ, vindicas: *Denique cui incognitum multas eccleſias duos ſimul epiſcopos habuiſſe purioribus illis ſæculis. Clemens in conſtitut. lib.* 7. *cap.* 46. *refert.* Euodium & Ignatium, *non ſucceſſive, ſed* ſimul uno eodemque tempore Antiochenæ eccleſiæ epiſcopatum adeptos fuiſſe: *Nam explodendum inſanum illud Baronii delirium, aſſerentis, duplicem fuiſſe Antiochiæ eccleſiam, ratione diſſidii à Luca in Act. Apoſt. cap.* 15. *commemorati, inter eos qui fuerunt ex circumciſione, quos Nazaræos vocabant, & qui ex gentibus eccleſiæ nomina ſua dederunt: ſicuti poſtea factum eſſe commemorant eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores in iis civitatibus, quæ ſimul ab orthodoxis & hære-*

hæreticis aut ſchiſmaticis incolebantur : quaſi vero Euodius aut Ignatius hæreticis publica Apoſtolorum ſententia in Synodo Hieroſolymitana damnatis. Act. 15. miniſterii ſui operam commodare voluiſſent : Prodigioſa illa varietas in nominando Petri ſucceſſore in Epiſcopatu Romano, apud Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores, aliis Linum, aliis Anacletum, aliis Clementem locantibus, nulla ratione reconciliari poterit, niſi concedatur plures Epiſcopos ſimul ſediſſe, ac pari authoritate eccleſiam gubernaſſe. Eccleſiæ Smyrnenſi præfuit Polycarpus, Iohannis Apoſtoli diſcipulus, ac ejus eccleſiæ epiſcopum à Johanne ordinatum teſtantur Ignatius, Irenæus, Euſebius : at Clemens conſtit. Apoſtol. lib. 7. capit. 47. Ariſtonem primum fuiſſe Smyrnæ epiſcopum, ejuſque ſucceſſorem Strateam, iſtique tertium Epiſcopum ſucceſſiſſe alterum Ariſtonem : & Suidas in voce Polycarpus, Bucolum primum fuiſſe Smyrnenſis eccleſiæ epiſcopum : Infinitum eſſet omnia hujus generis exempla coacervare ; Præſentia ſatis docent plures Epiſcopos uni eccleſiæ ſimul præfuiſſe ; Atque in hodierno epiſcopatu nihil ejuſmodi cernitur, utpote quod inter propria ejus γνωρίσματα hoc primum locum habeat ; Quod in Diœceſi Epiſcopus ſit ſingularis, nam ſi plures admitterentur, actum iri clamant de unitate Eccleſiæ ; Dunamus in concione Lambethana : utpote quod inter paſtores eccleſiæ æqualitatem dicant eſſe ſchiſmatum & hæreſeôn ſeminarium : quaſi obliti eſſent illius Auguſtini in Pſalm. 105. Nonne

inquit

inquit, Epiſcopi fuerunt authores ſchiſmatum & hæreſium? *& illius apud Chryſoſt. hom.* 58. *ad populum Antiochenum: cum de priſcis monachis ſermonem faceret*, Quoniam apud eos æqualitas multa fuerat, multa etiam fuit virtutis facilitas. *Et unitatem in eccleſia conſervari poſſe aliis mediis docet Cyprianus. lib.* 3. *epiſt.* 13. copioſo vid. corpore ſacerdotum concordiæ mutuæ glutine & unitatis vinculo copulatum. *Cohærentia porro hæc, docente Spalatenſi, De Repub. eccleſ. lib.* 3. *cap.* 1. *parag.* 14. *paritatem ſupponit neque admittit ſubordinationem unius ad unum, ſed ad plures, videlic. Collegium, & Gregorius* per humilitatem eccleſiæ unitatem cuſtodiri aſſerit. *Priuſquam ſectioni huic finem imponam, eximendus eſt ſcrupulus quidam, quo fortaſſe quidam tenentur, ne prioribus ſine hæſitationis æſtu ſubſcribant: In hiſtoria eccleſiaſtica vident ſeries epiſcoporum deductas à primis eccleſiarum incunabulis; ideoque colligunt unum ſemper ſingulariter, durante vita, præfuiſſe: Verum in rei hujus cauſas ſollicite inquirentibus, hæc occurrent quibus nubes hæc diſpelli commode poſſit: videlicet. Veteres ſcriptores unius tantum Epiſcopi mentionem ordinarie & ut plurimum feciſſe, partim quia illis ſolis propoſitum fuit temporum rationem edocere, quod aſſequuti fuerant nominatione unius, qui propter doctrinam, aut virtutum ornamenta rerumve experientiam celebris eſſet: partim vero quia ad ſui ſæculi conſuetudinem, quando unius* προστασία *prævaluit, ſcribendi*

ratio-

rationem mutuabantur. Sed de his hactenus fuſius quam inſtituti ratio poſtulabat; ad reliquas antitheſes progrediendum: in poteſtate extenſiva, muneris exercitio, & vitæ habitu. Diſſimilitudo ratione extenſivæ poteſtatis hæc eſt.

12.

Veteres. &	*Hodierni.*
Olim oppidatim fere fuerunt epiſcopi, nec majori intervallo inter ſe diſtincti; quod vel inde liquet, quod in concil. African. cap. 20. *refertur.* Oportere, videl. ad examinandam cauſam presbyteri accuſati, ut ſex Epiſcopi ex vicinis locis adjungerentur epiſcopo: *Et multo, ante Cypriani ætatem, tempore, in Concilio Lambeſitano, nonaginta epiſcoporum ſententiis damnatū fuiſſe privatum veterem hæreticum teſtatur Cyprianus. Libr.* 1. *epiſtol.* 3. *Eodemque teſtante lib.* 1. *epiſtol.* 4. Univerſam fraternitatem conveniſſe ad Sabini epiſcopi electionem, *Ac veterum hiſtorias legentibus paſſim occurrent viliſſimi & ignobiles pagi,*	Singularem illam juriſdictionis poteſtatem quam ſibi jure divino vendicant, extendunt in plures integras provincias. Unius hodierni Epiſcopi diœceſis amplioris circuitus eſt, & plures ſubjectas habet eccleſias quibus imperat, quam olim decem Epiſcopi. v. g. in Scotia Epiſcopatus Glaſguenſis ambitu ſuo comprehendit *provincias undecim, Glottianam, Lennoxiam, Renfroanam, Cuningamiam, Carictam, Coilam,* Nithiam, *Euſdaliam, Eſdaliam, Annandiam, Tuediam,*

gnobiles pagi, ac frigidiſſima oppida; indigna quæ Geographis in tabulis locarentur; qui tamen ſuum Epiſcopum habuerunt, Nazianzon oppidu- um licet Cæſareæ vicinum celebris tamen fuit mag- ni illius Theologi Gregorii Nazianzeni Epiſcopatu. Chryſoſtomi quoque tempore obtinuit ut Epiſcopi Diœceſis non plures una civitate contineret. hom. 3. in acta Apoſtolorum. Nonne terrarum orbis im- perium tenet imperator? hic autem unius civi- tatis eſt Epiſcopus. *Sozomenus hiſtor. eccleſiaſt. lib. 7. cap. 19. dicit*, ſe comperiſſe in pagis E- piſcopos ordinatos apud Arabes & Cypros. *Verum quidem eſt invaleſcente ambitione, (quæ fa- cit ut ſemper magis elaborarent homines late quam bene præ-eſſe) & typho ſæculi, vetitum fuiſſe ne in villis conſtituerentur Epiſcopi, mutationis hujus cauſam nullam aliam proferunt Canones & Cano- num expoſitores, quam ne vileſceret nomen & au- thoritas Epiſcopi, quia ſcilicet tenuiores pagi non tan- tum ſuppetebant, quantum ſufficeret ad pompam quam affectabant: Quaſi vero pluris faciendus eſ- ſet ſplendor & ſecularis unius Epiſcopi magnifi- centia quam eccleſiæ ædificatio: Eraſmus antiquita- tis ſedulus indagator late extenſas has Epiſcoporum pontificiorũ Diœceſes ſic taxat lib. 1. Eccleſiaſt.* Mul- torum præſulum ditio tam late patet, ut ſi quam maxime forent expediti omnibus munda- nis negotiis, non poſſent tamen in omnibus op- pidis concionari, cum hodie una civitas com- plures requirat eccleſiaſtas. *Et ſi cui minus*

arrideat Eraſmi cenſura, ſaltem audiat illud Hooperi Epiſcopi Glouceſtrienſis, & martyris, in explicatione Decalogi ad præceptum. 8. Si jam inquit vigeret antiquus ille erga populum amor, agnoſcerent ipſi plus in una civitate negotii eſſe, quam quod facile ab optimis expediri poſſit: Satis norunt primitivam eccleſiam nullos ejuſmodi Epiſcopos habuiſſe ante Sylveſtri primi tempora. *Addit*, Epiſcopum uni civitati tantum præfici debere. Et dum magiſtratus (*inquit*) in hunc ordinem eos redegerit, tam impoſſibile erit Epiſcopo piè & ſobriè in omni religionis ſcripturam tranſvadere quam Camelum adigi per foramen acus.

13.

Veteres. *&* *Hodierni.*

Veteres.

Verbi prædicationem inter præcipua officii ſui munia collocabant, memores illius Pauli ad Tim. 1. 5. 17. *in eaque ſtrenue ſeſe exercebant,* ἀκαίρως εὐκαίρως.
Docendi officium omnium præcipue ut inſit Epiſcopis eſt neceſſe, *Theophyl. in* 1 *Tim.* 3. *Quod non negant patres in conciliabulo illo Tridentino. Uſquè adeo manifeſtum hoc eſt, ut proba-*

Hodierni.

Raro concionantur: ac munus eccleſiaſtæ tanquam faſtigio ſuo indignum in alios rejiciunt, plebem vid. per deputatos paſcentes, nullo linguæ vitio aut ſenio impediti, ſed faſtu corrupti & verbi divini faſtidio correpti, cujus mali fontem ſubſequens antitheſis aperiet,

probationibus inſiſtere, eſſet Soli lucem fœnerari.

14.

Eſt in vitæ habitu.

Veteres. & *Hodierni.*

Craſſè ignarum eſſe oportet aut gnaviter impudentem, qui negabit hæc non quam longiſſimè abfuiſſe ab antiquis illis Epiſcopis: vide quæ infra tractanda erunt ad ſeſſionem 25. ex Canonibus Apoſtolicis, Clemente Romano, Cypriano, Syneſio, Hilario & cæt. in hanc rem fuſe, quibus adde teſtimonium Ammiani Marcellini. lib. 27. de habitu vitæ, beatorum quos vocat Epiſcoporum, ipſe licet ethnicus: Tenuitas edendi, potandique parciſſimè, indumentorum vilitas, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo numini, veriſque ejus cultoribus eos ut puros commendat & verecundos. *Damnatum etiã*

Omnium oculis ſe ingerit pompa illa ſæcularis merum typhum & faſtum redolens; nullo alio nomine ſalutari volunt quam quo majores Barones parliamentarii. *My Lord.* In omnibus privatis & publicis congreſſibus, imò in ipſis comitiis parlamentariis Archiepiſcopus Andreapolitanus ut regni Scotiæ Primas, vendicat ſibi ſecundum à Sereniſſ. rege locum, Archiepiſcopus Glaſguenſis ſupra omnes Comites, & cæteri Epiſcopi ſupra Dominos Barones. Palatia inhabitant: Ampliſſimarum Baroniarum ſunt Domini: Sæcularibus adminiſtrationibus publicis ſe mancipant, ſunt Cancellarii regni, aucupantur eſſe Theſaurarii. Sunt ordinarii ſenatores regii, ac ſupremæ curiæ quam vulgo Scoti

in Paulo Samoſateno, *maximo licet Epiſcopo* quod mundanas dignitates uſurpaverit, & Ducenarius magis quã Epiſcopus vocari voluerit, quod per forum Collegium Iuſtitiæ vel ſeſſionem vocant: & in Camera rationum regiarum plures adoptantur. Quid memorem profuſi luxus oſtentationem in veſtitu, famulitio & ſimilibus. incedens numeroſam catervam ſatellitum partim præcedentium, partim ſubſequentium, circa ſe habuerit, ita ut fides noſtra, invidiæ & odio propter faſtũ & ſuperbiam cordis illius, facta eſt obnoxia. *Euſeb. li. 7. ca. 29. Vide Canonem Synodi Carthaginenſis* 4. *Canonem hunc in corpus Decreti retulit Gratianus. Diſt.* 41. *Can. Epiſcopus & Clericus.* Epiſcopus (*inquit*) non longe ab Eccleſia hoſpitiolum, vilem ſuppellectilem & menſam ac pauperem victum habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem fide & meritis quærat. *Videatur Poſſidonius in vita magni Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi.* Menſa (inquit) frugali uſus eſt & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites vel quoſque infirmiores continebat: cochlearibus tantum argenteis utens, cætera vaſa quibus menſæ inferebantur cibi, vel teſtacea vel lignea vel marmorea erant. *Item.* Teſtamentum nullum fecit, quia, unde faceret, Chriſti pauper non habebat: *& de Baſilio magno Cæſareæ Epiſcopo refert Sozomenus lib.* 6. *cap,* 16. *reſpondiſſe imperatoris*

toris præfecto interminanti bonorum publicationem : Horum nihil me cruciare poteſt ; equidem opes non habeo præterquam laceram veſtem & paucos libros : *Complures paginæ replendæ eſſent ſi teſtimonia patrum adjicerem qui acriter invecti ſunt in ſæcularitatem , luxuriam , typhum Epiſcoporum. Vide præſertim Bernardum. lib. 2. 3. 4. ad Eugenium & ſermone 76. & 77. ſuper Cantica. Sæculo corruptiſſimo : Quod ſi objiciat equeſtre illud & heroicum ſacerdotum genus , uti Lutherus feſtive eos vocat. Non ad ſuperbiam aut pompam hæc à ſe fieri , ſed ut ſic ornetur in ſuis miniſtris eccleſia , & ſic honorata creſcat in ſua authoritate , prout Epiſcopi Gerſonis ſæculo ſe tuebantur ; Reſpondebit idem Gerſon , in tractatu de temperantia citato & approbato ab Archiepiſcopo Spalatenſi acerrimo Hierarchico , de repub. eccleſiaſt. lib. 9. cap. 5. parag. 44. cujus verba non pigebit tranſſcribere , nam valde intereſt qua manu vibretur telum :* Vel enim (*inquit*) pompam in veſtibus, in ferculis, in ſervitoribus, & cæt. quærunt eccleſiaſtici ad placendum Deo, vel ut proficiant proximo , vel ad eccleſiæ honeſtatem & authoritatem. Non primum , quia ex Hieronymo, non tenera veſtis , ſed munditia mentis facit ornatum clericorum ; & quia plus placent Deo opera pietatis , in quibus poſſent expendi ea quæ

 talis

talis pompa requirit. Non ſecundum, quia plus ſcandalizat laicos pompa hæc clericorum quam ædificet, plus ad indignationem, invidiam & murmur eos excitat, quam ad amorem, & plus auget in eis avaritiam & ſuperbiam quam extinguat, neque poteſt ſacerdos pompaticus verbo & exemplo humilitatem, frugalitatem, & ſobrietatem aliis perſuadere. Non tertium,quia honor debet dari in teſtimonium virtutis, non propter exteriores divitias & ornatum. Sicque populum inducunt in errorem dum ille ab eis diſcit honorare eccleſiam propter temporalia iſta, & non propter bona futura & ſpiritualia: Alioquin Chriſtus & ejus Apoſtoli non ſufficienter ornaſſent eccleſiam & honoraſſent, quando talia in ſe contempſerunt, & aliis ſpernenda ſuaſerunt. *Addit Spalatenſis, ejuſdem cap. parag.* 39. Reverentia quam nobis exhibet populus ob ſplendorem ſolum externum, eſt popularis, plauſibilis, tota vana & ſpiritui nihil proficua, & ſplendor hic, ut dicebat Bernardus, admirationem non devotionem excitat: Si itaque collapſa jam ſpirituali reverentia, quæ ad ſpiritualem populi profectum plurimum valet, quid ad ſpiritum, ſi populus me tanquam divitem & in mundo potentem ac honoratum mundano ſolum honore revereatur? Pereat & hæc reverentia; ne ex ea & per illam populus etiam in errorem inducatur, ut ex carnali etiam carnalior fiat. Unde (*inquit Bernardus ſerm.*

77.

77. *in Cantica.*) hanc illis (*videl: præſulibus ſeu epiſcopis*) exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum, & aureorum, niſi de bonis ſponſæ, id eſt, eccleſiæ. Inde eſt quod illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exangui. Non eſt hoc ornare ſponſam ſed ſpoliare, non eſt cuſtodire ſed prodere; non eſt defendere, ſed exponere; non eſt inſtituere ſed proſtituere, non eſt paſcere gregem, ſed mactare & devorare: *Atque hæc ſufficiant retundendæ importunæ jactationis Scoticorum Epiſcoporum, qui per ſuum latus .lancinari veteres illos Epiſcopos magnis clamoribus ingeminant. Claudo digreſſiunculam hanc verbis Iſidori Peluſiotæ qui patrocinium Hieracis ad Epiſcopatum electi, ſed eum detrectantis ſic peragit, epiſtol.* 223. *floruit vero ſub Theodoſio Iuniore anno* 482. *cum primatus ille ordinis nondum lege lata in principatum poteſtatis & κατακυριεύσιν degeneraſſet.* Illud (*inquit*) fortaſſe ignorare videmini lenitatis & manſuetudinis dignitatem in tyrannidem tranſiiſſe. Nam ſi oſtendere poſſitis veterem paſcendi gregis rationem nunc quoque vigere, maximè quidem eum qui ſe huic negotio imparem eſſe arbitratus eſt, ac propterea in fugam ſe dedit, à vobis laudari æquum fuerit. Sin vero res in contrarium ceſſit, ab eo pœnæ minimè expetantur: Tunc enim ſalutis omnium cauſa mor-

tem oppetebant, nunc autem paſtores ovibus mortem inferunt, non corpora jugulantes (levius enim hoc malum eſſet) verum animis oſfenſiones afferentes. Tunc jejuniis corpus caſtigabant, nunc autem ut luxu ac delitiis exultent, efficiunt. Tunc bona ſua egentibus diſtribuebant, nunc autem pauperum bona in rem ſuam vertunt. Tunc virtutem colebant, nunc virtutum cultores proſcribunt & eliminant. Verum cum oſtendam quantum inter vetus miniſterium, & præſentem tyrannidem interſit, quæ tandem cauſa eſt, quamobrem æqualitatis amantes, coronis non redimitis. *Sed redeamus tandem ad Synodi progreſſum.*

29. *Novemb. Seſſ.* 8. *Die Iovis.*

PRæſes, cum Nobiliſſ. Comitem Argathelium, ſenatorem regium ſynodo adeſſe conſpiceret, omnium nomine impenſe rogat, ut actionibus ſynodicis oculatus ſpectator intereſſe dignaretur, quo teſtari poſſet quam legitime omnia procederent.: Ad quod ſe perſuaderi paſſus eſt: non ſine ingenti multorum gaudio, non tam quod ille inter potentiſſimos regni nobiles, & prudentiſſimos ſenatores emineret, quam quod hujus conſilii tum regem tum Deputatum regium non ignarum fuiſſe ſuſpicarentur; ſed vanam hanc fuiſſe conjecturam protinus patuit, nam apertis indiciis declarabat ſereniſſ. Rex Comitis in Synodo præſentiam ſibi admodum diſplicere, neque quidquam deputato regio ingratius accidere potuit; cum in hoc lubrico rerum ſtatu à primariis quibuſdam, regni ſenatoribus ſe derelictum cerneret; quorum octo Comites

Arga-

Argathelius, Marrius, Wigtomenſis, Kingornius, Gallovidianus, Naperus, Almonius, Blackhalius, ſynodo declarant; ſubſcripſiſſe ſe Confeſſioni à rege imperatæ, ſecundum ſenſum & praxin anni 1580 cujus declarationem genuinam ex ſolis ſynodalium regiſtris promendam eſſe cenſebant.

Porro quia paſtores quoſdam ad Synodum deputatos, eccleſiaſticis cenſuris notatos in Hibernia, aut in Scotia objiciebant Epiſcopi, de iis agi cœptum eſt; quatuor qui ex Hibernia profugi in Scotia ſedes ſuas fixerant, fuſe coram ſynodo demonſtrant, cenſuris illis ſe notatos eo ſolum nomine fuiſſe, quod puritati diſciplinæ adhærerent: nec probarent multi-formes illos ritus quibus eccleſiæ Hibernicæ onerentur: Cenſuras etiam ipſas illegitime inflictas. Tres alii cenſura celſæ commiſſionis in Scotia notati ab eadem ita ſeſe perſpicue expediverunt; ut omnibus abunde ſatisfactum eſſet: cenſuras illas injuſtas, & illegitimas fuiſſe. Deinde à ſynodo ex omni ordine delecti fuerunt, quibus mandatũ fuit ut ſumma diligentia expenderent verum & genuinum ſenſum confeſſionis anni 1580: an novi illi ritus, & mutatio quam diſciplina paſſa eſt, cum eadem Confeſſione conſiſtere poſſint, an vero eandẽ evertant: aliis verò mandatum ut libros Canonum, Liturgiæ, ordinationis penitius excuterent; utriſque, ut diligentiæ ſuæ rationem mature ſynodo redderent. Denique aliis commiſſum ut eccleſiarum ad ſynodum gravamina colligerent, diſponerent, ac ſuo quæque loco publice agitanda proponerent.

Urgebant Epiſcoporum accuſatores ut tandem aliquando liceret litem Epiſcopis intentatam conteſtari. Initium factum eſt ab Epiſcopo Gallovidiano, cujus accuſatio prælecta, continebat, præter ea quæ ipſi communia erant cum cæteris Epiſcopis (violationem conditionum ſtipulatarum in ſynodo

1600 ad Montis Roſarum, & uſurpationem libertatis eccleſiaſticæ:) perſonalia plurima crimina, tam in moribus quam in doctrina: inter quæ fuerunt, Aperta & ordinaria diei Dominicæ profanatio; negligentia paſtoralis muneris, ſupina tyrannis in paſtorem & alios inaudita, quod papiſtas pertinaces ab Eccleſiis excommunicatos in intimæ familiaritatis ſocietatem admiſerit, in reformatæ religionis odium, profeſſus Pontifitios illos licet excommunicatos multo ſibi chariores puritanis (quo nomine traducere ſoliti ſunt hierarchici eos qui puritati reformationis adhærent.) Plurimorum pontificiorum & omnium Arminianorum dogmatum publica & privata defenſio, quorum ſpecialem deſignationem literæ illæ accuſatoriæ continebant. Cauſæ hujus proſecutio & determinatio ad ſubſequentes ſeſſiones dilata fuit.

Verebatur interim ſynodus ne ſicut heri in ſynodo, ſic hodie, ſolemniter & publice diſſolutionem ejuſdem imperaret deputatus Regius; Nec fruſtra: nam 29. Novemb. Edictum Regis nomine publicari juſſit, quo terrore pœnæ læſæ majeſtatis in pertinaces, abſolutam ſynodi diſſolutionem imperabat: cujus edicti typis poſtea excuſi, & 18. Dec. cũ multis additamẽtis, denuo promulgati hæc fere ſumma fuit.

Mandati regii de diſſolvenda ſynodo ſumma.

Poſt prolixam omnium quæ hactenus à Sereniſſ. rege conceſſa fuere commemorationem; ut omniũ animis ſuſpicionum radices penitus evellerentur, omnibuſque conſtaret quam ſingulari conſtantia religionem amplecteretur; Regem Synodum nationalem indixiſſe, eamque liberam. Conventum tamen hunc pro ſynodo legitima non agnoſcere. 1. Quia ex iis conſtet qui auſi fuerunt publice proteſtari contra edictum regium. 22. Septemb. promulgatum, quo tamen omnia concedebantur quæ ad pacem

pacem ſolidam eccleſiæ & regni ſtabiliendam excogitari potuerunt, 2. Quia non deſtiterunt arces regias uſque adeo ſollicitè cuſtodire ut nihil apparatus bellici, aut alterius cujuſlibet neceſſarii, inferri permittant. 3. Quia illicitos conventus cogant, ac novum tribunal Edenburgi erexerint, in manifeſtum ſummæ authoritatis ac legum contemptum. 4. Quod ex deputatis fuere quidam in Hibernia, & Scotia cenſuris eccleſiaſticis notati, alii à miniſterii functione legitimè ſuſpenſi, alii ad miniſterium illegitimè promoti, omnes denique juramento conſtricti ad regiminis Epiſcopalis ſubverſionem. 5. Quia liberæ delegandorum ad ſynodum electioni præſcripſerunt; privatim ubique monentes & jubentes, ut prætermiſſis iis qui animitus non faverent omnibus ipſorum conſiliis ii ſoli deputarentur; de quorum zelo conſtaret. 6. Quia Glaſguam advenerunt locum Synodo præſtitutum armis lege vetitis accincti, ac comitatu frequentiſſimo, nulla habita edicti illa ſpecialiter vetantis ratione. 7. Quia peremptoriè abnuerint ſex aſſeſſoribus à rege deſignatis, jus ſuffragii definitivi. 8. Quia obſtinatè renuebant ne Epiſcoporum proteſtatio prælegeretur, ante præſidis electionem & literarum fidei examinationem. 9. Quod regia declaratione regiſtris Synodicis ad perpetuam memoriam inſerta, non contenti, eo collimarent omnia ipſorum conſilia, ut Epiſcopatum ipſum penitus everterent, adeoque tertium ordinum regni membrum amputarent: & fundamentales regni leges refigerent: Quæ cum manifeſtum Monarchici regiminis damnum ſecum trahant, ejuſmodi conventui non potuiſſe Deputatum Marchionem diutius intereſſe; ideoque inde diſceſſiſſe, 28. Novemb. quando licet anxie rogitaſſet, ut actionem illam precibus clauderent, pollicitus, ſe die craſtino rediturum ut reſponſum eo-

rundem

rundem ad hæc objecta audiret , & examinaret. 10. Æquum tamen hoc poſtulatum obtinere non potuit , quin contra inauditam proteſtationem prælegi curaverint, qua auſi fuerunt regiis ſenatoribus, qui ſuffragiis ſuis conventus hujus illegitimi diſſolutionem ratam habuiſſent , diem dicere , ut coram parliamento ejuſdem rationem redderent : 11. ac poſthabito deputati regii peremptorio mandato, ſeſſiones ſuas continuaverint; in quibus injuſta plurima ſanciverint. Quare. 1. Regem non ſolum illegitimam pronunciare hanc ſynodum, verum etiam ſubditos omnes ſerio admonere ingentis periculi in quod ſe præcipitaturi ſunt, qui ſynodum hanc ſibi probari ſeu ſermonibus ſeu factis declarabunt: Quod ſi cuilibet damni quidpiam ex recuſatione ſynodi hujus creatum fuerit , ſe (regem) id præſtiturum , eorumque perſonas , famam , bona protecturum. 2. Præciſe omnibus imperare ut confeſſioni & fœderi ſubſcribant , ſecundum declarationem & expoſitionem à Marchione, ſuo nomine publicatam. & cæt.

Reſponſio Synodi & proteſtatio contra illud mandatum.

Edicto huic proteſtationem objecerunt Synodici , primum Glaſguæ, dein Edenburgi, quam prælo commiſerunt ; Qua ad ſingula capita fuſe reſpondent , quorum plurima hactenus, præſertim in reſponſo ſynodi ad Epiſcoporum proteſtationem pertractata ſunt, quo remittendus eſt lector , ne repetitionibus nobis labor non neceſſarius , tibi vero tædium creſcat.

Ad 1. Fuſe ſe oſtendiſſe dicunt æquitatem & neceſſitatem proteſtationis illius contra edictum, Septemb. pag.

Ad 2. Ex omnibus arcibus regiis , ſolam eſſe Edenburgenam , extra quam cuſtodias & vigiles poſue-

poſuerunt, quibus impediebant apparatus bellici ſubmiſſionem; ne terrore arcis bene munitæ, civium Edenburgenſium animi à cauſæ communis proſecutione abalienarentur, ac reliquorum libertatis vindicum perneceſſarii conventus in loco tam opportuno impedirentur, quæ ſubvectione bellici hujus apparatus, ſe effecturos olim jactitabant religionis hoſtes: Naturæ leges ab omni criminis ſocietate eos liberare, qui tam ingens præviſum & impendens periculum amoliri ſtudeant: Ac ratione omni abhorrere ut arces in regni ſecuritatem contra externos hoſtes exſtructæ, in civium regni præſentem perniciem converterentur: Salutem reipub. & populi ſupremam legem eſſe: Legibus etiam municipalibus quicquid à ſe factum ſit approbari. nam Iacobi 2. parliamento 2. ſtatuto 3. provinciarum vice-Comitibus mandatur ut ingruente tumultu omnem operam adhibeant, ne provincialibus damnum aliquod daturi ſint arcium munitarum incolæ; quod ſi neglexerint vice-Comites, quid quæſo iniqui à ſubditis provincialibus fieri dicas, ſi hi, in quorum gratiam & tutelam lex ea ſancita fuerat, ſaluti & tranquillitati ſuæ conſulant, diligenter præcaventes, ne quid ab ejuſmodi munitis arcibus damni accepturi ſint: Quæ coronæ regiæ primitus annexæ fuerunt, in regni totius utilitatē. Iac. 2. parl. 11. ſtatuto. 41. nec ab eadem abalienari poſſunt, niſi regni ordinibus liquido conſtet ingens reipub. commodum ibid. inter quas arx Edenburgena cum facile primas obtineat; de ea magis ſolliciti fuere majores noſtri, quam familiæ Areſtinæ traditam fuiſſe meminerūt, hac lege expreſſâ & Editione, ut nulli niſi conventum ordinum repoſcenti traderent, inquit Thuanus. Cui cuſtodiendæ publici ſumptus ex tertiis beneficiorum eccleſiaſticorum ordinum conſenſu adjudicati ſunt, utpote quod hujus & aliarum omnium

dili-

diligens cuſtodia ad regni utilitatem referatur. Iacob. 6. parl. 1. ſtat. 10. ejuſdem parl. 9. ſtatuto 9. & parl. 12. ſtatut. 121. quo illud referendum quod regni Claves dicantur. Iacob. 6. parl. 7. ſtat. 125. quæ omnia ſatis declarant penes collectivum regni corpus, ejuſque potiorem partem eſſe, providere ne, quod à majoribus ſuis in regni tranquillitatem conſtitutum fuit, in ejuſdem manifeſtam pernitiem tendat, cui jamdudum involveretur, niſi maturè hoc conſilio ſubvectio appparatus bellici in arcem Edēburgenam impedita fuiſſet. Idem ſæpius laudabili exemplo á majoribus ſuis factitatum, ut aliorum regnorum frequentiſſima exempla miſſa faciant, quibus nunquam ab iis vitio verſum fuit, aut crimini datum.

Ad 3. Immerito novi tribunalis erectionem ſibi exprobrari, quaſi in contemptum ſenatus regii, non munera ſolum illius, verum & nomen uſurparent: Etenim licet libertatis vindices ad neceſſariam religionis & puritatis cultus divini tutelam modeſtè conveniant, ut communicatis conſiliis cauſam hanc communem junctim agerent, ſenatu regio non connivente ſolum, verum etiam inſtitutum hoc approbante, menſe Novembri anni 1637. Nunquam tamen ab illis conventibus emanarunt decreta quælibet de rebus eccleſiaſticis aut civilibus; contenti ſcilicet conſilia ſuggeſſiſſe, quibus ſubditorum gravamina Regi, parlamento, & ſynodo præſentarentur commodius: Quod ſi legibus regni municipalibus ſubditorum ad pacis publicæ violationem, & regiæ authoritatis diminutionem conventus prohibeantur, malè iſtis accenſebuntur Conventus hi neceſſarii tum à ſenatu regio, tum à deputato regio approbati ad Dei gloriam, & ſolidam ſubditorum pacem promovendam inſtituti; per quos certè ſecundum Deum ſtetit, quod ingentes hi animorum motus

tus in tumultus jampridem non proceſſerint. Neque oſtendi poteſt vim ullam, aut injuriam, ſeu verbo ſeu facto cuilibet menſibus hiſce retroactis per conventus hos illatam fuiſſe, quicquid quidam conſcientiæ furiis territi cauſentur quo fugam ex patria, ut eccleſiarum malitioſam deſertiònem pallient.

Ad 4. De pauculis Paſtoribus in Hibernia aut Scotia Epiſcoporum & celſæ commiſſionis cenſura notatis, actum ſuperius in reſponſione ad 8 & 9 caput proteſtationis Epiſcoporum.

Ad 5. Prout in Synodo reſponſum fuit Deputato regio, ſimpliciter negant, ejuſmodi mandata quibus præſcriberetur libertati electionis Deputandorum ad Synodum, à conventibus publicis unquam prodiiſſe; ſed ab adverſariis ſuis conficta eſſe; ideoque ut fidei aliquam ſpeciem facerent vera quædam falſis miſcuiſſe; uti ſunt illa; ſerio monita fuiſſe Presbyteria ut quantum commode & legitime fieri poſſet, caverent, ne ad Synodum delegarentur paſtores ii qui praxi ſua novitates obtruſas in libris Canonum & liturgiæ approbarunt, quales fuerunt novi illi Sacellani capellæ regiæ, & qui membra ſunt Capituli Cathedralium eccleſiarum, Item Paſtores eirenarchæ. Quorum tamen quibuſdam cum à claſſibus rite delegarentur, locus in Synodo ſine ullius contradictione conceſſus eſt: Et quid quæſo hic atrocis malitiæ ineſſe poteſt, cum non ſit tutum ut ſedeant judicaturi in Synodo de iis rebus, quas neglectâ eccleſiæ authoritate, (ut nihil aſperius dicatur) ad Epiſcoporum lubitum ſe approbaſſe teſtati ſunt: Alterum verum monitum, ſuppoſitive illis ſcriptis inſertum eſt, quod preſbyteriis ſuggeſtum fuit, ut paſtores ad Synodum deputandi, eſſent ex doctiſſimis, ac diligenter controverſias illas ſtuderent de quibus ſperatum fuit diſceptationes inſtitutum iri, videlicet, de Epiſcopatu, de Senioribus,

Senioribus, de poteſtate ſupremi magiſtratus in Eccleſiaſticis, præſertim in convocandis Conciliis: Immerito hæc oblique perſtringuntur, nomine odioſo *Thematum periculoſorum*: quaſi de omni Themate Eccleſiaſtico non liceret deputatis ad Synodum, modeſte ſententiam proponere; Sed quo plus periculi in controverſiæ alicujus determinatione ineſt, de ea ſententiam publice dicturum, tanto inſtructiorem eſſe convenit: præſertim cum ſpes eſſet Theologos Abredonenſes ad Synodum venturos, ut receptam eccleſiarum ſententiam de prioribus capitibus impugnarent.

Ad 6. Deputatos ad Synodum, Latronum in tractu illo, per quem iter facturi erant, graſſantium metu, armis accinctos Glaſguam veniſſe, exemplo etiam eorum qui in comitatu Deputati regii fuerunt; Quam pacifice ſeſe geſſerint, experientiam ſatis edocuiſſe.

Ad 7: Aſſeſſoribus à rege deſignatis non potuiſſe ſynodum jus definitivi ſuffragii concedere; niſi cum manifeſto Eccleſiaſticæ libertatis damno: Cum in nulla legitima Synodo nationali hujus eccleſiæ unquam admiſſi fuerint Aſſeſſores ad jus ſuffragii; & literæ Illuſtriſſ. Deputati regii, Marchionem ſolum & unicum regis Nomine Deputatum nominaverint:

Ad 8. Ante præſidis electionem, & examinatas Delegatorum literas fidei; concedi non potuiſſe Proteſtationis Epiſcoporum nomine exhibitæ prælectionem; quibus peractis & ſynodo tum primum formaliter in membris ſuis conſtituta, ſtatim prælecta fuit;

Ad 9. Regiam illam declarationem non eſſe ſatisfactoriam, nec à ſe probari poſſe tanquam ſufficiens & plenum remedium quod præſentia omnia mala curaret, & à recidiva in hæc aut graviora libe-

liberaret; rationibus plurimis in proteſtatione ad Edictum Septembris demonſtraſſe ſe dicunt: Ad illud quod everſione Epiſcopatus, (quo omnia Synodalium ſtudia collimaſſe dicuntur) amputetur tertium ordinum regni membrum; de eo fuſius & ex profeſſo tractabitur infra ad ſeſſ.

Ad 10. Negant ſe vel leviſſimis indiciis unquam potuiſſe colligere, Propoſitum fuiſſe Deputato regio redire ad Synodum, Cui diutius adeſſe integrum ſibi non eſſe profitebatur; Quare quod unum ipſis relictum fuit; cogebantur proteſtari, non ſolum contra diſceſſum Deputati è ſynodo, & mandatum de ſynodo diſſolvenda, verumetiam contra Senatores eos qui ſuffragiis ſuis mandatum illud approbarent, idque ſecundum leges regni municipales: nam Iacob. 4. parl. 2. ſtatut. 12. expreſſe cautum eſt, ut Senatores regii teneantur Conſiliorum ſuorum rationem reddere Regi, ac regni ordinibus in parliamento congregatis, à quibus tum eligebantur: & edicto regio menſis Septembris, anni hujus declarantur omnes omnino ſubditi, judicio nationalis ſynodi, & parliamenti ſubjecti, ideoque nullum eſſe qui ad parliamentum citari non poſſit, ſi criminis alicujus reus habeatur; niſi forte quis putet Conſilium illud crimen non eſſe, quo regnum univerſum omniaque fere ejus membra præſentiſſimo periculo exponuntur; dum conſpicerent, omnium ordinum gravamina de religionis puritate ſtabilienda, eamque corrumpentibus novitatibus, negligi, ac deploratam eſſe omnem ſpem, flagitioſos publica authoritate in ordinem cogendi.

Ad 11. Quod conventum hunc continuaverint, poſthabito diſſolutionis mandato. Reſpondent. Cum liceat, rebus Eccleſiæ ſic urgentibus, in ſynodum vetante licet magiſtratu convenire; prout firmiter à ſe demonſtratum dicunt tum in tractatu, ea

N de re

de re edito menſe Iunio, tum in reſponſione ad præfationem proteſtationis Epiſcoporum, Certe potiori jure licet ſynodum à magiſtratu ſupremo indictam, inchoatam, præſentia Deputati regii ſeptem integris diebus cohoneſtatam, in omnibus ſuis membris legitime conſtitutam; continuare; extrema eccleſiæ neceſſitate id flagitante; præſertim cum nullo Canone Eccleſiaſtico aut ſtatuto parlamentario, aut ſuperioris ævi exemplo oſtendi poſſit, poteſtatem diſſolvendi ſynodum ad lubitum regi conceſſam fuiſſe; quare multo minus concedendum Deputato regio, cui ſecundum commiſſionis exhibitæ tenorem, ſola poteſtas indicendi ſynodum ac in eadem ſedendi ſecundum legem & praxin tradita fuit. Idem à majoribus ſuis factitatum eſſe: uti ex publicis Eccleſiarum regiſtris conſtat: Nam licet Anno 1582. Synodi nationalis Andreapoli coactæ diſſolutio à deputato & ſenatoribus regiis ſevere mandata eſſet, niſi à proſcriptione cauſæ contra Montgomerium Pſeudo-Archiepiſcopum Glaſguenſem protinus deſiſterent, Synodum tamen conſtanter in cauſæ iſtius examinatione progreſſam eſſe, & damnato Montgomerio, regi ac ſenatoribus per literas ſignificaſſe, quam periculoſa eorum conſilia eſſent, qui regia authoritate abutuntur, ad hanc eccleſiarum libertatem ejuſmodi interdictis opprimendam: quam à Chriſto conceſſam, juri regio non derogare declarant ſæpius ſtatuta parlamentaria, præſertim anni 1592. Et cui tutandæ ſolenni ſacramento ſe obſtrinxit Sereniſſ. Rex regnum hoc ante quinquennium initurus: Porro ſi mandato huic morem geſſiſſet Synodus tempore tam importuno, facile judicatu eſt, in quantas malorum myriades eccleſiam & regnum conjeciſſent.

Quod ad illa edicto regio ſubjecta, declaratio videlicet impunitatis, & protectionis eorum quibus ſyno-

ſynodum hanc recuſantibus, damni quidpiam illatum erit, Cum prima (inquiunt) facie tantam iniquitatem præ ſe ferant, non poſſe ſibi perſuaderi, à Rege optimo prodiiſſe, niſi dolo & calumniis adverſariorum prius circumvento, quorum rea conſcientia latebras quærens, tutelam ſæcularis brachii implorat, ut debitas manifeſtis ſceleribus pænas effugiat: Etenim cum jure divino non minus clavium, & juriſdictionis poteſtas, quam prædicandi verbum & ſacramenta adminiſtrandi Eccleſiæ, & Synodo eandem repræſentanti competat, Matt. 8. Dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam audire neglexerit, & cæt. 1. Cor. 5. & Apocalypſ. 2. Reprehenduntur Eccleſiæ Pergami & Theatyræ, quod ſegniores fuerint in exercenda Eccleſiaſtica cenſura contra Baalamitas, Nicolaitas, & Iezabelem: eadem nequit ſuſpendi, multo minus tolli authoritate qualibet humana: Poteſtatem hanc libere exercuerunt Eccleſiæ Apoſtolicæ & Primitivæ, ejuſque exercitium impedientibus, reſponſum. Deo potius quam hominibus auſcultandum. Act. 4. Addunt, lege civili, Canonica, ordinaria praxi regnorum omnium, quæ plane barbara non ſunt, ſancitum eſſe, *ſi quid contra jus & utilitatem publicam impetratum fuerit, ei obtemperandum non eſſe, ſed rejiciendum ut furto ſubreptum, & per mendacium poſtulatum*: quod de Antiocho refert Plutarchus, & de aliis imperatoribus hiſtorici plures. Videantur utriuſque juris Doctores in titulo de Reſcriptis: & cauſa 25. quæſt. 2. ſæpius: Porro citationibus hujuſmodi Iuris Canonici; ſe illud minime approbare dicunt libertatis vindices, quod Antichriſto unde primitus proceſſit, ad cujus hierarchiam ſtabiliendam collimat, relinquunt; verum id à ſe fieri in gratiam Epiſcoporum, quibus impurum illud jus unice in delitiis eſt; & argumento, ut loquuntur, ad hominem: Eandem ſemitam terunt, regni hujus ſta-

tuta municipalia. Iacobi 6. Paral.6. ſtatuto 92. & parlam. 11. ſtatut. 47. Præſertim vero ſtat. 106. parl. 7. Iacobi 6, anno 1581. quibus expreſſe mandatur, ſupremarum curiarum judicibus, ut in omnibus cauſis quæ ad illa fora pertinent dijudicandis, intrepide procedant; eaſdemque ſublata omni cunctatione definiant, latamque ſententiam executioni mandent, non obſtante quolibet Regis mandato aut reſcripto in contrarium: nihilque quotidiana hujus praxi in curiis illis uſitatius: nam niſi ſingula cauſarum genera ad proprium forum referantur, mera obtinebit ἀταξίαν, ac niſi curiis illis ſupremis libertas hæc illibata conſtet, ſub umbra promovendi jus regale, regnaret injuſtitia: Quæ eum locum habeant in ſæcularibus curiis; potiori jure ſynodo nationali legitime convocatæ & formatæ competunt; utpote cui ſupremam poteſtatem controverſias omnes eccleſiaſticas determinandi aſſerant vel ipſi Hierarchici, Theologi videl. Magnæ Britanniæ ad Synodum Dordracenam deputati, in judicio ſuo de Remonſtrantium proteſtatione: qua ſententia non putabant ſe juri regio detrahere, aut Papatū in Synodi perſona renovare, quæ opinionem hanc nunc modeſte tuentibus atrociter objiciuntur, ab iis qui ſtruunt de proprio calumnias innocentiæ; & quod nondum auſi ſunt Antiqui Papatus monſtrum aperta facie omnibus adorandum reponere, ſub velo ſupremorum Magiſtratuum obtrudunt, eorumque ſpiritu beſtiam illam extrema ſpirantem refocillare, ejuſque vulnera mortalia obligare, nequicquam ſatagunt. Denique ad illud quo omnibus mandatur ſubſcriptio fœderis & confeſſionis juxta ſenſum & Declarationem à Marchione Regis nomine publicatam, Reſpondent; Senſum illum non eſſe genuinum, ſed confeſſioni affixum, contrarium publicæ profeſſioni & praxi majorum Confeſſioni

primi-

primitus ſubſcribentium anno 1580 & 1590. prout latius demonſtrabitur ad ſeſſ. ubi declaratio illa diligentius excutietur. Quare Synodus tota tum eccleſiarum omnium Scoticarum nomine quas repræſentat, tum ſuo, proteſtatur. 1. Unicum hunc oculis ſuis objectum fuiſſe ſcopum, ad quem omnia ſtudia collimarunt, videl. ut ſolidam eccleſiæ pacem reſtituerent, cui promovendæ iis ſolummodo legitimis mediis ſe inſtitiſſe, quæ Dei verbum & laudabiles Eccleſiæ hujus conſtitutiones monſtrarunt: Deum etiam cordium ſcrutatorem teſtem eſſe, quam ſincero animo in hoc toto negotio ſe geſſerint, & quam liberæ ſint omnium conſcientiæ ab aliquo criminis reatu in regiam majeſtatem. 2. Sibi licitum fuiſſe & eſſe, Synodum hanc regia authoritate indictam, & in membris ſuis rite conſtitutam continuare; quoad unanimi Deputatorum conſenſu diſſolvetur. 3. Conventum hunc eſſe in ſe, ac ab omnibus habendum eſſe, pro legitima, pleniſſima, & liberrima ſynodo nationali: ejuſque conſtitutionibus æquum eſſe ut omnes, qui ſe hujus eccleſiæ membra haberi volunt, modeſte ſe ſubmittant, ac mediis omnibus legitimis honorem & obedientiam procurent 4. Probris & convitiis atrocibus, quibus ſeu edicto hoc, ſeu alibi ſynodus hæc immerito petitur, ejuſdem honorem non lædi: utpote quæ plena hac reſponſione dilucide abſterſa ſint, præſentibus hiſce citare ſe regios ſenatores, qui edicto huic de diſſolutione ſynodi ſubſcripſerunt, aut quovis modo ratum habuerunt, ut in proximo Parliamento ſe ſiſtant, pernicioſi hujus conſilii rationem reddituri regi ac regni ordinibus, uti cautum eſt expreſſa lege Iacob. 4. Parl. 2. ſtatuto. 12. 5. Si quid incommodi oriatur, violenta impeditione ne ſynodo huic ſua ſarta tecta conſtet authoritas, illud non ſibi imputandum eſſe, ſed præſulibus eo-

rumque aſſeclis, qui ſicut omni conatu Synodi convocationem impediverunt, ſic convocatam aſpernati ſunt, ac portentoſis ſuis proteſtationibus plauſtra convitiorum in eam immerentem jactarunt, ac tandem veriti, ne in apricam lucem omnium oculis ſpectanda prodiret ipſorum impietas & perfidia, falſis & fictis criminationibus obtinuerunt mandatum hoc diſſolutionis: quare eos ſolos eſſe Eccleſiaſticæ pacis turbones, regni incendiarios, libertatis eccleſiaſticæ invaſores, & oppreſſores; omnium denique malorum, ſi quæ conſecutura ſint (quæ avertat Deus) reos, & cæt.

Seſſio 9. Novemb. 30. Die Veneris.

Ad examen revocantur præcedentes aliquot Conventus eccleſiaſtici videl. Limnuchenſes duo, annorum 1606 & 1608. Glaſguenſis 1610. Abredonienſis 1616. Andreapolitanus 1617. Perthanus 1618. An habendi eſſent legitimæ Synodi nationales: Multa tum in medium prolata fuerunt à compluribus paſtoribus veteranis, quibus illegitimas eſſe demonſtrabant: Ac ne rem tanti momenti præcipitaſſe diceretur Synodus; quibuſdam à ſe publice deſignatis provinciam committunt, regiſtra Synodalia diligenter excutiendi; ut quam cito fieri poſſet, ex regiſtris illis excerpta fideliter ſcripto exhiberent, ut mature de iiſdem deſpiceret Synodus.

Decemb. 1. Seſſio 10. Die Saturni.

Deſignati ad Eccleſiarum gravamina colligenda, ſynodi judicio diſcutiendam proponunt Cauſam presbyterii ſeu claſſis Edenburgenæ contra *Davidem Mitchelium*, paſtorem Edenburgenum, in jus vocatum, quod omnes Remonſtrantium heterodoxias, & complures Pontificiorum hæreſes publice pro Concione defenderit, hujuſque eccleſiæ doctrinam in Confeſſionibus publicis contentam petulanter exagitarit: complurium teſtimoniis dilucide proba-
tum

tum fuit, quod novam illam liturgiam, antiquata veteri, eccleſiis inconſultis & repugnantibus prælegerit, Cumque claſſis judicium ſubterfugiens, ad Synodum nationalem provocaverit, eam itidem aſpernatus ſit, Epiſcoporum proteſtationi contra Synodum ſubſcribens: ob quod contumaciæ crimen, licet alia abeſſent, Depoſitionis à miniſterii functione & excommunicationis cenſura notandus eſſet; ſecũdum expreſſam conſtitutionem Synodi nationalis Andreapolitanæ anni 1582. Ex eodem luto factum fuiſſe D. *Pantherum* ſeu *Panitarium*. S S. Theologiæ profeſſorem in Academia Andreapolitana compertum fuit; *Gladſtono* autem Archidiacono Andreapolitano, ejuſque eccleſiæ paſtori præter Contumaciam adverſus Synodum, objectum fuit ordinariæ ebrietatis ſcandalum & vitæ profanitas: Quos tres ſupradictorum criminum reos & convictos teneri liquido probatum fuit:

Seſſ. 11. *Decemb.* 3. *Die Lunæ.*

Poſt doctam & accuratam heterodoxiarum Arminianarum refutationem, inſtitutam per *Davidem Dickſonum* Irwinenſis eccleſiæ paſtorem, ſententia depoſitionis à functione paſtorali in Davidem Mitchelium concordibus omnium ſuffragiis lata eſt: exhibitæ fuerunt literæ Epiſcopi Orcadum ad ſynodum; quibus abſentiam ſuam in ætatem provectam, morbum, itineris difficultates hyberno hoc tempore conjiciebat, pollicitus ſynodi judicio ſe ſubmiſſurum: Deſignati fuerunt quidam quibus tanquam Synodi deputatis commiſſum fuit cauſas paſtorum Edenburgenſium & aliorum in vicino illo tractu cognoſcere poſt ſynodum dimiſſam.

Seſſ. 12. *Decemb.* 4. *Die Martis.*

Poſt nervoſam & ſolidam dogmatum Arminianorum refutationem, per *Robertum Bailum* Kilwininæ eccleſiæ paſtorem; accuſantur paſtores quidam

dam corruptæ Doctrinæ & violentæ compulſionis auditorum ſuorum ad praxin novarum ceremoniarum aliorumque criminum, eorumque cauſa ad Synodi delegatos refertur. Una omnium voce Gladſtono paſtore Andreapolitano, cujus accuſationis capita prælecta & examinata fuerant ſeſſione præcedenti, omni eccleſiaſtico munere prorſus interdicitur.

Quibus provincia commiſſa fuit regiſtra ſynodalia excutiendi, ut conſtaret an ſex præcedentes ſynodi nationales (de quibus ſeſſione 9. mentio facta fuit) eſſent legitimæ; rationes ſynodo proponunt, quibus prælectis, ac perpenſis, uno ore, cum ad ſuffragia ventum eſſet, declarant, eſſe Pſeudo-ſynodos, deſtitutas fere omnibus conditionibus ad liberam nationalem ſynodum conſtituendam neceſſariis: ab initio nullius authoritatis fuiſſe, nec deinceps earum ſtatuta pro Synodi Canonibus habenda: rationes decreti hujus ſynodici hæ fuere.

Synodus illa Limnuchenſis anno 1606 habita, non fuit legitima; 1. quia juſtum tempus non interveniebat inter ejus indictionem & aperturam; utpote, indicta 3. Decemb. & aperta 10. ejuſdem menſis, cujus defectu nec potuerunt à ſingulis claſſibus deputati delegari præſertim longius remotis; nec debite à propinquioribus gravamina formari. 2. quia multi admiſſi fuerant ad jus ſuffragii, qui ab Eccleſiis minime delegati fuerant, ſed literis regiis de epiſcoporum conſilio, evocati. 3. Quia literæ regiæ, quibus evocabantur qui iſti conventui intererant; nullam faciunt Synodi nationalis mentionem: verum privati conventus in quo deliberandum ſolum eſſet de rebus ad Eccleſiæ commodum pertinentibus. 4. Ideoque Presbyteria deputatis ſuis hos limites poſuiſſe; videlicet, ne ſuffragia ferrent tanquam in nationali ſynodo. ne aſſenſum præberent cuilibet

cuilibet propoſitioni, cujus deciſio ad Nationalem ſynodum pertineret; aut quæ damnum quodlibet diſciplinæ receptæ afferret; 5. quia ejus acta in libris ſynodicis non ſunt inſerta. 6. ideoque ſequens ſynodus hanc pro nationali minime habuit; verum pro Colloquio ad deliberandum inſtituto.

Limnuchenſis iſta altera anno 1608. Ad jus ſuffragii admiſit 42. nobiles ab eccleſiis, liberis civitatibus, ac Academiis non deputatos; ut pluralitate ſuffragiorum quod vellent tunc primum Epiſcopatuum exuviis onuſti, impetrarent: 2. quia, licet ſecundum Canonem ſynodicum Taodunenſem anni 1597. à ſingulis presbyteriis tres paſtores cum ſeniore delegandi eſſent; hic à quibuſdam quatuor, ab aliis plures mittuntur paſtores, abſentibus omnibus ſenioribus, utpote non vocatis.

Glaſguenſis anno 1610. non fuit legitima nationalis ſynodus. 1. quia deputatorum electio non fuit libera, ſed reſtricta ad eos quos rex per literas nominatim deſignabat: 2. quia nulli ibi vocati fuerunt ſeniores eccleſiarum. 3. quia à quamplurimis preſbyteriis plures paſtores deputabantur, quam Canones eccleſiaſtici ſtatuunt. 4. quia ad jus ſuffragii admiſſi fuerunt 30. Nobiles ab Eccleſiis non deputati, ſimul cum novis iſtis Pſeudo-epiſcopis. 5. quia ſuffragia non fuerunt libera; ſed extorta ſpe præmii liberaliter promiſſi; aut terrore indignationis regiæ.

Abredoniana anno 1616. 1. quia præſidem non habuit ſuffragiis deputatorum electum: 2. quia defectu legitimæ præmonitionis non aderant omnes quorum intererat. 3. quia 24. Nobiles à Rege evocati, paſtores quidam à presbyteriis non delegati, ſuffragia tulerunt. 4. quia excluſi fuerunt Eccleſiarum ſeniores. 5. quia conventus iſtius decreta Pſeudo-Archiepiſcopi Andreapolitani manu propria, aucta, deleta ac interpolata fuerunt.

Andreapolitana anno 1617. 1. quia nulla illius mentio habetur in libris ſynodicis. 2. quia rex ipſe in literis ad ſubſequentem Perthenſem ſynodum; Cœtum ſolummodo vocat, 3. quia informalitates & defectus omnium præcedentium Pſeudo-ſynodorum hic concurrebant.

Perthenſis anno 1618. Legitima non fuit. 1. quia defectu tempeſtivæ præmonitionis, multi adeſſe non potuerunt: utpote viginti ſolum dies indictio præceſſit aperturam. 2. quia præſidis officium ſibi arrogaverat Pſeudo-archiepiſcopus Andreapolitanus; 3. quia illegitime electus fuit Synodi ſcriba. 4. quia quinque integræ Diœceſes aberant, videlicet, Orcadum, Cataneſiæ, Roſſiæ, Argatheliæ, Inſularum: 5. quia 19. Nobiles ſuffragia tulerunt, Item 11. Epiſcopi, ab Eccleſiis neutri deputati: cumque ſtatuto ſynodico cautum eſſet ut ſingulæ civitates liberæ unum ſolummodo deputatum delegarent; & Edenburgum duos; hic tamen 36. civitatum deputati aberant, & ab aliis, quæ Epiſcoporum gratiā venabantur, duo aut tres mittuntur. 6. quia nulli ſeniores à presbyteriis deputati aderant. 7. quia ſuffragium tulerunt paſtores quidam nulla legatione legitima inſtructi, vel ſupra juſtum deputandorum numerū emiſſi. 8. quia paſtores quidam à preſbyteriis legitime deputati, excluſi fuerunt à ſuffragio ferendo. 9. quia ſuffragia non fuerunt libera ſed vel graviſſimis extorta interminationibus carceris, exilii, abdicationis à miniſterii functione, ni articulis iſtis quinque, quos rex obtrudebat, aſſenſum protinus præberent vel ſpe lautioris ſtipendii expreſſa; alii vero deputatorum, fallacibus Epiſcoporum promiſſis circumducti fuerunt; ſi in decretum conſentirent, praxin illorum articulorum liberam permanſuram. Adde, quod publice tum profitebantur Epiſcopi, nec rationibus quibuſcunque contra-

riis

riis, nec ſuffragiorum numero locum futurum, ſi articuli iſti non probarentur, utpote quos rex propria authoritate, inconſultis omnibus, imperaret. 10. Denique poſthabito Dei verbo, Confeſſionibus fidei publicis, & legitimarum præcedentium ſynodorum canonibus, unicum ferendorũ ſuffragiorum fundamentum & regula proponebatur, Mandatum, videlicet, regium; quod tum ex formali quæſtionis tum propoſitæ ſtatu, tum ex decretorum ipſorum formula conſpicuum eſt:

Seſſ. 13. Decemb. 5. Die Mercurij.

Quandoquidem præcedentis ſeſſionis decreto, conventibus iſtis Synodi nationalis Authoritas adempta eſſet; immediata & evidenti conſequentia oſtendebat præſes, corruere novitates omnes quibus eccleſia onerata fuit iſtarum Pſeudo-ſynodorum prætextu: & juramentum illud in miniſterii ſolennibus à paſtoribus præſtitum, quo ſe obſtringebant ad novitates illas tuendas: & cæt. Cumque ad ſuffragia ventum eſſet, unanimiter reſpondent omnes, Iuramentum illud non obligare: cum certum ſit paſtores qui in juramentum illud à Pſeudo-epiſcopis adacti fuerunt, ſuppoſuiſſe aliquod factum quod revera ſe ita non habeat, videlicet; Eccleſiam commiſiſſe Epiſcopis poteſtatem adigendi in tale juramentum initiandos miniſterii functione; ac novitates illas legitimarum ſynodorum authoritate introductas fuiſſe; ac niſi hæc ita ſe habuiſſe crediſſent non fuiſſe jeraturos: Nunc autem cum conſtet dolo malo elicitum fuiſſe ab Epiſcopis; quibus poteſtas hæc nunquam ab Eccleſiis conceſſa fuit, & vero conſtet ſynodos iſtas illegitimas eſſe; declarat ſynodus juramenta illa eſſe irrita, neque præſtanda eſſe. Declarat etiam licitum ſemper fuiſſe presbyteriis, ſynodis provincialibus, omnes juriſdictionis Eccleſiaſticæ actus, præſertim in admiſſione,

&

& abdicatione paſtorum, exercuiſſe; quandoquidem nullius legitimæ ſynodi authoritate poteſtas hæc iis adempta ſit: aut circumſcribi poſſit.

Dein examinata fuit cauſa D. *Roberti Hammiltonij*, paſtoris Glaſſordenſis; quem cauſæ ſuæ procuratorem ſtatuerant Epiſcopi: Objectum ei præter ſynodi declinationem, quod eccleſia ſæpius deſerta, quatuor aut quinque menſibus apud aulam regiam in Anglia hæſiſſet, quod diem Dominicum publice & ordinarie profanaſſet, quod juramentis tanquam floſculis ordinarii ſermonis uſus fuerit, quod alios auditorum ſuorũ ſententia excommunicationis violentia ſumma perſecutus fuiſſet, aliis negaverit obſtinatius matrimonium, & quorundam liberis baptiſmum; quia genuflexionem in S. cœna non probabant: & cæt. Quæ cum liquido probata eſſent, functione miniſterii indignum declarat Synodus.

Seſſ. 14. Decemb. 6. Die Iovis.

Quibus commiſſum fuit libros Canonum, liturgiæ, Ordinationis diligentius excutere, ſuſcepti muneris rationem ſynodo reddunt, ſingulorumque animadverſiones prælegunturː ex omnibus unam tantum ſubjungam quæ ſic ſe habuit.

Animadverſiones in librum liturgiæ ab Epiſcopis obtruſum eccleſiæ Scoticę.

Rejiciendus eſt hic liber. 1. quia obtruditur ſine ullo prævio eccleſiæ hujus conſenſu & approbatione in ſynodo nationali, penes quam proprie hujus generis negotia definiuntur. 2. quia legitimam & longo uſu receptam cultus divini externam formam prorſus abolet, ac in ejus locum ſubſtituit aliam a Pontificiis mutuatam, ac ex Miſſali, Rituali, Breviario Romano deſumptam, quæ plurima ſuperflua & ridicula ac ſuperſtitioſa continet, ſemina etiam graviſſimorum errorum ac Idololatriæ, ac in multis Anglica liturgia deterior eſt.

Inter

Inter alia ridicula ac ſuperſtitioſa quæ à Pontificiis mutuatur, hæc ſunt. Nam 1. *Presbyteri tenentur matutinas & veſpertinas illas preces ſingulis diebus publice vel privatim prælegere*, pag. libri illius. 7. Porro ſi privatim & ſolus prælegat, quis uſus reſponſionum per populum: niſi forte intelligendum ſit, debere presbyterum ſibi reſpondere nomine eccleſiæ quam repræſentat, & ſic preces hæ cum ſint publica authoritate inſtitutæ, & prolatæ à publica perſona, deputata ab eccleſia ad orandum nomine ſuo, & hac intentione ut expleat munus ſuum, quid aliud erunt quam preces illæ Papiſtarum publicæ, ſeu horæ Canonicæ, quarum duæ ex ſeptem reponuntur. vide Bellarm. tom. 4. Controverſ. lib. 1. De bonis operibus in particulari. cap. 10. 2. Nullus certus locus deſtinatur matutinis & veſpertinis precibus publicis; ſed remittitur arbitrio Epiſcopi, qui ſedulo ſtudebit templorum formam ad tempora præcedentia revocare, hoc eſt, quando Papiſmus regnabat, ad ſimilitudinem ſcil. templi Salomonis, diviſi in porticum, navim, & ſacrarium. 3. *Quædam alta voce à presbytero proferenda ſunt*, alia vero voce ſubmiſſa, quæ forma pontificiis conſueta eſt in myſterio Miſſæ, preces etiam quædam, confeſſio fidei, & alia jubentur legi *aut cani*, cum tamen in metrum non redigantur. 4. licet ſitus corporis indifferens ſit, in quibuſdam tamen precibus indicitur, ut genibus flexis precemur; in aliis ut ſtemus; in aliis vero nullus omnino corporis ſitus imperatur; Et aliquando populus jubetur orare non presbyter, & vice verſa, aliquando populus jubetur comprecari cum presbytero, quandoque repetit, quandoque reſpondet, & alias orationem inter ſe dividunt, jubetur preſbyter aliquando faciem ad populum convertere, aliquando ergo avertit: ſtare

cum

cum legitur Euangelium, ſedere cum prælegitur epiſtola, genuflectere cum Decalogus: Quam frequentem oportet eſſe libri revolutionem à Pſalmis ad collectas, ab iis ad hymnos, inde ad Pſalmos, ad lectiones, ad Litaniam. 5. Exotica prorſus phraſeologia Papiſmum redolet; etenim plurimas habet voces Scotis penitus barbaras à Romanis ſacris omnes mutuatas: v. g. *Matutinas, veſpertinas, Adventum, Epiphaniam, ſeptuageſimam, ſexageſimam, quinquageſimam, Dominicam, rogationes, loci ordinarium, collectas, litanias, Venite, Te Deum, Benedictum, Magnificat, Nunc dimittis, ſabbatum cantate, Dies cinerum, oblationes, antiphonias, puerperarum purificatio. Actorum Apoſtolicorum & Prophetarum veteris teſtamenti capita quædam dicuntur Epiſtolę, offertorium, Annunciatio Dominæ noſtrę, officiare, corporale, utraque ſpecies, & cæt.* Inſolitæ & exoticæ hæ voces, quibus perſtringuntur populi aures, metus haud injuſti anſam præbet, ne ſub Latinorum illorum verborum involucro lateant etiam Sacra Latina. 6. In Calendario, ſanctorum numero aſcribuntur quidam, cum, an atri fuerint an albi, ignoretur: v. g. Lucianus, Rex David, Kentigernus, Fabianus, Agneta, Uincentius, Blaſius, Valertinus, Colmannus, Patricius Epiſcopus, Cutbertus, Benedictus, Gilbertus, Serfius, S. Georgius, Dunſtanus, Suithinus, Nomen Ieſu. Ægidius, Ninianus, Adamannus, Sapientia, Criſpinus, Hugo Epiſcopus, Sylveſter & cæt. 7. Confeſſio peccatorum & abſolutio ante orationem prælegi jubetur. pag. 35. quaſi vero confeſſio non eſſet precatio, & in ea, multa à Deo non peterentur. 8. Verba illa concluſoria orationis Dominicæ, *quia tuum eſt regnum*, & cæt. aliquando omitti jubentur, aliquando recitari; & cui bono? 9. Singulis diebus, Te Deum laudamus, prælegi aut cani jubetur, quaſi hymnus ille ab hominibus compoſitus,

Pſalmis

Pſalmis omnibus à ſpiritu S. dictatis ſanctior eſſet. 10. *Presbyter, clerici, & populus alta voce ſimul omnes repetant orationem Dominicam.* pag. 42. quam hóc confuſum, & annon presbyteri ſunt ex clero? 11. In litania, complurima nomina & titulos Deo aſcribunt, & multoties unam eandemque orationem repetunt, octies *libera nos Domine*, vicies & bis *Te rogamus audi nos*, presbyter deſignat ſolum mala, quæ populus orando deprecatur; bona itidem, quæ populus orando petit. 12. Per myſterium ſanctæ incarnationis, nativitatis, circumciſionis, baptiſmi, jejunii & tentationis tuæ, per agonem & ſanguineum ſudorem, per crucem & paſſionem, per pretioſam mortem & ſepulturam, per glorioſam reſurrectionem & aſcenſionem tuam in cælum libera nos domine; quid hoc eſt aliud quam mera adjuratio? 13. Poſt 44. orationes, inter quas una eſt oratio Dominica, dicunt, *precemur*, quaſi præcedentia omnia in orationum cenſu non veniant. 14. Obſervandum quod in lectionibus S. cœnæ deſtinatis, epiſtola ponatur ante Euangelium, quod eſt contra ordinem Biblicum; & quod gratiæ non referantur Deo poſt lectionem epiſtolæ, cum tamen ſollicite cautum ſit ut Euangelii lectionem clauderet ſemper doxologia. 15. Dicitur, *innocentes illos*, infantes ab Herode crudeliter necatos, *teſtes fuiſſe Chriſti*, ſeu martyres, *et Dei laudes expreſſiſſe non loquendo ſed moriendo.* Ubi varia ſeſe produnt, tum quod infantes illi ſine ulla explicatione dicantur Innocentes, quod Pelagianiſmum redolet. Et quod *omnes in genere teſtes ſeu martyres Chriſti* dicantur, cum tamen nec habitu nec actu martyres dici poſſint: non habitu, ſeu animi reſolutione, multo minus actu, cum nec pro fide quam ignorarunt, nec in fide omnes mortui vere & firmiter dici poſſint. 16. In collectis tertiæ & quartæ dominicæ poſt Epiphaniam, & in ſeptuageſima

ſima prælegitur deprecatio quorundam periculorum quaſi dies illi magis fatales eſſent aliis: 17. In collecta tertiæ dominicæ Quadrageſimæ petitur tutela contra hoſtes; quaſi dies illi huic periculo magis ſubjiceretur aliis, aut quaſi preces illo die prælectæ ad malum illud præcavendum ſufficerent. 18. dies paſſionis tres habet collectas, cum alii unam, alii vero nullam prorſus habeant. 19. In collecta duodecimæ dominicæ poſt trinitatem, petitur, *ut ea lagiri velit Deus, quæ precibus rogare non audent*: an hæc eſt Chriſtianorum πληροφορία? 20. Notandum, omnes fere collectas de verbo in verbum tranſlatas eſſe ex Miſſali Romano. 21. In rubrica S. cœnæ præfixa, *Sacra menſa inſtrui jubetur tapete, et mundo panno lineo, et aliis decoris utenſilibus*, in quorum numero quin veniant ſuperſtitioſa illa omnia quibus altaria ſua ornant Papiſtæ, vid. crux, candelæ, phylacteria, ſubſtratoria, quid impediet? præſertim cum hæc ſibi diſplicere nullibi oſtenderint libri hujus architecti. 22. Iubetur *Presbyter officiaturus ſtare ad ſeptentrionalem altaris partem ſeu latus*, quem veſtitu miſſatico indui oportebit ſi ita Epiſcopis viſum fuerit: nam anno 1633. nihil ad ſummam diligentiam reliqui fecerunt, ut Regi ſereniſſ. concederetur facultas, quem vellet paſtoribus habitum in ſacris imperare. 23. Poſt repetitam orationem Dominicam jubetur presbyter facie ad populum converſa clare & diſtincte recitare Decalogum; & populus jubetur ſeſe interea in genua provolvere; unde ſatis innuitur averſa à populo facie recitandam eſſe à presbytero orationem Dominicam, & ſubmiſſa etiam voce; quærendum porro cur populo genuflectendum ſit dum prælegitur Decalogus, & idem ſitus corporis non urgeatur dum precatio Dominica recitatur. 24. Eccleſiæ œconomo vel Diacono mandatur, *ut pelvim cum fidelis populi oblationibus ſumma cum reve-*

reverentia presbytero officianti offerat, qui eandem ſubmiſſa genuflexione altari imponet, ac Domino offeret. Ubi latet. 1. Iudaiſmus, dum Deus præſens ſupponitur magis in altari ante conſecratam euchariſtiam, quam alibi, quod commentum nequeunt vel ipſi Pontificii deglutire: 2. Papiſmus, tum dum populi oblatio præcedit ſacrificium, tum dum duæ oblationes ſtatuuntur, altera pecuniæ, altera panis & vini. 25. Sæpius imperatur genuflexio, cum nullibi tamen reperiatur mandatum præparationis ſeriæ ante communionem, & ſpiritualis ac interni cultus in ipſo actu. 26. Permittitur uti pane illo azymo rotundo, hoſtias nummularias vocant alii. 27. Iubetur presbyter pro rege orans ſtare, duæ item ponuntur orationes pro rege, nulla pro regina & regiis liberis. 28. Feſtos dies ſeptimanæ ſubſequentis inter celebrandam cœnam ſignificet presbyter. 29. Si infrequentius aut negligentius ad communionem acceſſerit populus, inter ipſa cœnæ Sacra ad communionem eundem hortari jubetur presbyter: Porro cum eum certiorem fecerit populus de acceſſu ſuo, uti in alia rubrica tenentur, quo fine adhibetur hæc adhortatio? quod ſi nomina ſua communicaturi non deſignarint, neque iis ſtatutum fuiſſet communicare, niſi forte per eam adhortationem animi propoſitum mutaverint, an ſtatim admittet presbyter, etiamſi de ſcandalis eccleſiæ non ſatiſfecerint? & ſi tunc admittantur, an licebit cenſuram ullam illius ſcandali nomine poſtea illis infligere? 30. Quidam dies ſacri proprias præfationes habent, quidam non, & quare? 31. Mandatur presbytero officianti ſtare, non genuflectere, cum orationem conſecrationis recitat: & in eo loco conſiſtere quo facilius & majori cum decoro utraque manu uti poſſit, cum interim ſolus ad altare ſtet. pagina 207. Quærendum

merito, quid illud ſibi velit; ut utraque manu uti, vel utramque exercere poſſit? an ut imagines crucis in aëre formet? an ut patinam & calicem in altum elevet? & an non diſerte rubrica hac ſtatutum ſit, ut ad occidentalem altaris partem conſiſtat, facie à populo averſa & ad orientem converſa? Deliramenta & nugæ hæ theatricæ ſacroſanctam Domini cœnam in comœdiam tranſmutant, & Dei cultum infidelium ludibrio ac piorum dolori exponunt. 32. In oratione conſecratoria, verba inſtitutionis per modum orationis ad Deum diriguntur, non ad populum prout conſtituit Chriſtus. 33. Licet liturgia cœnæ ab oratione Dominica inceperit, nunc tamen poſt oblatum Chriſtum. pag. 209. repetitur, præmiſſa notabili hac clauſula, *Audemus dicere*, qua innuitur abſque confidentia prius prolatam fuiſſe, quia ſcil. nondum oblatus fuit Chriſtus; nugæ meræ papales. 34. Iubetur presbyter pecuniam oblatam dividere, & ſemiſſem ſibi ſumere, ut eſca ſcil. hac facilius capiatur & hamum opertum deglutiat. 35. Dicitur expedire ut lingua Anglica celebretur baptiſmus, & cur idem non notatur in reliquis cultus divini partibus? & annon alicubi in regno Scotiæ magis expediat ſacra omnia celebrare lingua Hibernica, quæ ſola multis cognita eſt? 36. Dicitur veteres baptiſmum adminiſtraſſe tantum in Paſchate & Pentecoſte, & conſuetudinem hanc imitandam nobis eſſe quam prope fieri poſſit, licet in ſolidum revocanda non ſit. pag. 215. Quærendum cur hic facta mentio vetuſtæ illius conſuetudinis; an ut oſtendatur patres non judicaſſe baptiſmum ſimpliciter eſſe neceſſarium? quod libri hujus authoribus in mentem venire non poteſt, quandoquidem ſatis diſerte poſtea affirment baptiſmi neceſſitatem: An vero ut patres illi accuſentur deſidiæ & negligentiæ ſalutis infantium? ſed cur quæſo tum monent

nent patrum veſtigia, quam preſſe fieri poterit,premenda eſſe? Turpe eſt doctori, & cæt. 37. In celebratione baptiſmi: pag. 215. Suſceptores non vero parentes monentur ut fonti adſint: & miris elogiis fontis illius baptiſmalis ſanctitas celebratur: quæ quæſo major efficacia fontis quam pelvis? 38. Licet curato ſignificatum ſit infantem eſſe Baptiſandum, rogare tamen debet, an hactenus baptizatus fuerit. 39. Fontis baptiſmalis peculiaris inſtituitur conſecratio & ſingulis menſibus mutanda eſt bis aqua, & conſecranda. pag. 216. 40. Ad imitationem veterum, qui adultioribus baptizandis interrogata quædam propoſuerunt ante baptiſmum, vid: An credis? an renuncias diabolo & omnibus operibus ejus, ac inani pompæ mundanæ? an baptizari vis? & cæt. Eadem interrogata infantibus hic ſatis ridicule proponuntur; quorum vice reſpondere jubentur ſuſceptores; Ego credo firmiter, volo baptizari, & cæt. 41. Suſceptores, non vero parentes, tenentur infantem in fide inſtituere. 42. Dicitur duo in baptizandis requiſita eſſe, pœnitentiam & fidem; quæ præſtant infantes per ſuſceptores & ſponſores ſuos: an hæc ſatis ſana? Nam cum baptizentur infantes, quia in fœdere ſunt, quo Dominus promiſit ſe fore Deum parentibus & ſemini eorum, & infantes non ſint ſuſceptorum ſeu patrimorum ſemen & liberi, quomodo poterit ſuſceptorum illorum fides & pœnitentia infantibus illis prodeſſe? 43. In liturgia matrimonii. pag. 242. In peragendis matrimonii ſacris, ſponſus annulum habet, quem ſponſæ non tradet, priuſquam presbyteri libro imponatur: hoc ſcilicet ſupplet vicem pontificiæ benedictionis per aquam luſtralem: Annulum hunc presbyter tradit ſponſo, qui digitum annularem ſeu medicinalem ſiniſtræ manus ſponſæ eo exornabit, dicens. Ego te hoc annulo ſpondeo, & corpore meo colo, vel adoro, vel

honoro, nam verbum illud quo utuntur, *I Worſhippe*, in ſacris adorare vel colere ſignificat. 45. In ordine viſitationis infirmorum, pag.249. una & eadem oratio præſcribitur in omnium ægrorum uſum, eædem exhortationes & conſolationes abſque ulla variatione. 46. In liturgia ſepulturæ prælegitur, precatur, canitur. 47. Puerperarum purificatio Iudaiſmum redolet, & cæt.

Inter ſemina errorum quæ diſperſa latent, ſunt. 1. Quod libri apocryphi, veteris teſtamenti partes dicantur. pag. 11. & quod libri quidam ac capita Canonicæ ſcripturæ dicantur minus conferre ad ædificationem, & melius omitti poſſe quam Apocryphorum capita, quæ prælegi mandantur; Plurimum etiam Canonicæ ſcripturæ nunquam publice prælegitur, ut Canticum Canticorum & univerſa Apocalypſis, duobus tantum capitibus exceptis, & parte capitis deciminoni: An non ortus inde error Pontificiorum, quo Apocryphi libri ſtatuuntur eſſe Canonici, ex eo quod in eccleſia legerentur? 2. Obſervatio feſtorum ſanctis dicatorum, pag. 31. & Angelis: Imo plures ſtatuunt dies ſanctos quam Dominus in lege veteri determinavit Iudæis: An non hinc ſuccrevit ſanctorum cultus religioſus apud Pontificios? 3. *Devicta mortis acerbitate, aperuiſti regnum cœlorum omnibus credentibus*, pag. 38. & in epiſtola prælegenda ad veſperam Paſchatis, applicatur 1. Pet. 3. 17. Annon ſapiunt hæc limbum patriarcharum? 4. In ordine ſepulturæ, pag. 262. orant, ut nos una cum fratre demortuo & aliis omnibus in vera fide & confeſſione nominis tui vita defunctis, conſequamur perfectam abſolutionem, & conſummata corporis & animæ benedictione fruamur. Nonne hinc facile pullulabit precatio pro mortuis? 5. A ſcortatione & omnibus mortalibus peccatis libera nos Domine. Diſerta

hic

hic eſt diſtinctio peccatorum in mortalia & venialia. 6. Recurrente nativitatis Chriſti feſto, orantes dicunt; hodie natus eſt Dei filius: unde ſequitur, toties natum fuiſſe Chriſtum, quoties anni à nativitate numerantur, hoc eſt, 1637. Aut ſi per diem illum intelligant, menſis non anni diem, oratio illa non erit ex fide, nam ex quo ſacræ Scripturæ fundamento colligi poterit illo menſe natum fuiſſe Chriſtum? Idem etiam de circumciſione, Epiphania, & aliis feſtis. 7. In collecta tertiæ Dominicæ poſt paſcha, dicitur, Deum omnibus in errore verſantibus veritatis ſuæ lucem monſtrare; quod adverſatur Pſal. 147. 19, 20. Indicat verba ſua Iacobo, ſtatuta ſua Iſraeli, Non fecit ita ulli genti, ideoque jura iſta non noverunt. 8. In collecta ad feſtum S. Michaelis, Michael ille Angelorum princeps, Apocalypſ. 12. 7. refertur inter Angelos creatos, cum tamen ſit Ieſus Chriſtus. 9. In rubrica ante communionem, præparatio in eo ſita eſſe videtur, ut communicaturi veſpera præcedente nomina ſua presbytero ſignificent, aut eo ipſo mane quando adminiſtratur S. cœna: licet tum impoſſibile ſit Paſtori de vita & moribus communicaturorum inquiſitionem inſtituere, aut tam ſubito ſcandala & controverſias ac rixas componere. 10. Eadem rubrica, flagrantis ſcandali reus admittitur ad S. cœnam, modo apud ſe ſtatuat & profiteatur, ſe poſtea ſatiſfacturum, annon Chriſti inſtituto directe hoc adverſatur, jubentis, prius conveniendum eſſe fratrem læſum, & illi reconciliandum eſſe? 11. Sicuti liber hic omni prorſus authoritate eccleſiaſtica deſtituitur, ſic pag. 29. jubet homilias publica authoritate componendas recipere: unde ſequitur, verbi prædicationem & preces à publica illa authoritate civili in univerſum dependere, & in omnibus religionis negotiis

eccleſiam hanc ad cæcam obedientiam aſtringi, ac fundamentum fidei eſſe edictum ab aula procuratum, aut procurandum. 12. Oratio offertorii contradicit titulo præfixo: qui ſic ſe habet; Oremus pro univerſa Chriſti eccleſia, hic in terris militante: In oratione vero eſt commemoratio mortuorum, & reſtrictio Nomenclaturæ *Sanctorum* ad eos qui gloria nunc fruuntur. Atque ſic via ſternitur ſanctorum Canonizationi & invocationi. Adde quod ibidem preces fiant pro mortuis qui vitæ ſuæ curſum in fide tranſegerunt, & nunc à laboribus ſuis quieſcunt, quomodo optime deſcribi animas in purgatorio, fatetur Bellarminus. 13. Auricularis confeſſio obtruditur conſcientiis populi; pag. 204. & abſolutio diſerte offertur. 14. Modo tres aut quatuor adſint, celebrari poterit communio; pag. 214. qui fortaſſe erũt, diaconus, ſubdiaconus & clericus, licet nullus ex populo adfuerit, quid quæſo magis refert privatam pontificiorum miſſam, 15. Ibidem imperatur, ut omnes ter accedant ad communionem annuatim, præſertim vero in Paſchate. Iudaicum hoc eſt, neque legitur Chriſtum alligaſſe ſacramentum hoc cuivis ſpeciali tempori, ſed dixit, hoc facite *quoties* ederitis & cæt. 16. Ut perſuadeant populo neceſſitatem baptiſmi, pag. 216. citant verba illa Chriſti; niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, & cæt. quæ tamen de baptiſmo aquæ non intelligẽda ſunt, & ibidem dicitur, Deum ſanctificaſſe fontem, prorſus ſine ullo ſcripturæ teſtimonio. 17. In exhortatione poſt conſignationem crucis in baptiſmo, fundamentum hoc ut indubitatum ponitur, Omnes baptizatos eſſe regeneratos. & pag. 224. Infantes baptizatos omnia habere quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt; Quod eorum eſt axioma qui totalem & finalem vere ſanctorum Apoſtaſiam tuentur. 18. Interrogata ad privati baptiſmi examinationem propoſita, pag. 223. præſup-

ſupponunt eos baptizare poſſe, qui tum formam tum materiam baptiſmi prorſus ignorant. 19. Dicitur pag. 231. Chriſtum redemiſſe me & totum genus humanum, quæ phraſis cum nullibi per totum librum commoda aliqua explicatione leniatur, univerſali redemptioni tam reproborum quam electorum viam præſtruit. 20. Dicitur pag. 235. duo eſſe ſacramenta in genere neceſſaria ad ſalutem: quo innuitur alia eſſe licet minus neceſſaria, & in horum numero poſtea oſtendetur collocari ordinem, matrimonium, pœnitentiam & confirmationem. 21. Internæ partes ſacramenti S. cœnæ dicuntur, pag. 236. eſſe, Corpus & ſanguis Chriſti, quæ vere ſumuntur in S. cœna, neque ullibi ſeu in liturgia euchariſtiæ, ſeu in Catechiſmo, ulla vocula extat, qua phraſis hæc explicetur, aut à commento tranſubſtantiationis diſtinguatur. 22. Confirmatio, pag. 237. 238. ſecundum definitionem ſacramenti in Catechiſmo inſerto propoſitam, erit ſacramentum; videl. externum & viſibile ſignum internæ & ſpiritualis gratiæ in nos collatæ, inſtitutum à Chriſto ut medium quo gratia recipitur, & arrha qua de eadem gratia certi reddamur. Atque hic eſt ſignum externum & viſibile, manuum impoſitio per Epiſcopum, qui ſolus confirmare poteſt: Gratia interna & ſpiritualis, eſt defenſio & vires contra omnes inſultus Diaboli, peccati, & mundi, & in precatiuncula poſt impoſitas manus dicit Epiſcopus; *Supplices tibi preces fundimus pro his pueris, ſuper quos ad exemplum Apoſtolorum tuorum manus impoſuimus, ut certiores eos hoc ſigno redderemus tuæ in ipſos benignæ voluntatis*: unde ſequitur, Impoſitionem manuum Epiſcopi eſſe ſignum obſignatorium & medium per quod gratia confertur. Adde quod ratione miniſtri, qui eſt ſolus Epiſcopus, duobus Genuinis ſacramentis præferatur, & ſæpius neceſſaria dicitur hæc confirmatio: quid hæc à pon-

tificiis differunt? 23. Matrimonium etiam tacite inter ſacramenta numerari quid vetet? nam annulus contactu libri presbyteri ſanctificatus ſacrum erit gratiæ ſymbolum, ſignificans, vivendum eſſe matrimonio conjunctis in mutuo amore & pace, & juxta præcepta Chriſti. 24. In celebratione matrimonii: pag. 242. Sponſus à presbytero inſtruitur dicere ſponſæ: *Bonorum omnium meorum te participem facio, ſeu omnibus meis fortunæ bonis te amplifico, In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, quibus verbis tenetur maritus bona omnia ſua mobilia & immobilia ſponſæ communicare, niſi perjurus eſſe velit, ac ſacro ſancto Dei nomine abuti. 25. In ordine viſitationis infirmorum, pag. 253. ægrotus jubetur coram presbytero particularem peccatorum confeſſionem edere, à quibus à presbytero abſolvetur; quam hoc inclinat ad auricularem confeſſionem. 26. *Graſſante peſte aut quovis alio morbo contagioſo permittitur miniſtro S. cœnam cum ſolo ægroto celebrare*, & ſi cum uno ægro, cur non cum uno quovis alio? 27. Dicitur, pag. 267. *In primitiva eccleſia piam fuiſſe diſciplinam, ut initio quadrageſimæ manifeſti peccatores ad publicam pœnitentiam cogerentur, eoſque humiliter ſe ſubmiſiſſe ad ſubeundam in hoc mundo pœnam, qua eorum animæ ſalvæ fierent in die Domini: in cujus locum, donec eadem diſciplina reſtitui poſſit (quod maxime optandum eſt) viſum eſt ut hoc tempore coram vobis legerentur generales maledictionis Dei ſententiæ adverſus impœnitentes peccatores*: quid hoc aliud eſt, quam optare ut opera pœnalia ſatiſfactionum reſtituerentur? & falſum eſt ullam talem fuiſſe in primitiva eccleſia conſuetudinem, niſi forte corruptam eccleſiam Romanam eo elogio cohoneſtare velis. Nonne vel hoc ſatis indicabit, authores hujus libri ad eccleſiam præſentem Romanam inclinare?

Semina

Semina etiam idololatriæ libro hoc continentur. Nam 1. Calendarium catalogum habet quorundam virorum & fæminarum, quos ſpeciali ratione ad *ſanctorum* honorem evehit, quid hoc aliud eſt quam ſanctorum Canonizatio, quæ ſanctorum invocationi viam ſternit? 2. Eodem collimat dedicatio dierum in honorem ſanctorum, quæ ab hac eccleſia ſemper poſt reformationem judicata fuit Idololatria papiſtica. 3. Beata virgo Maria vocatur Domina noſtra, pag. 14. 4. In oratione conſecrationis elementorum S. cœnæ ſic habetur. *Benedicito & ſanctificato verbo tuo & S. ſpiritu has tuas creaturas panis & vini, ut ſint nobis corpus & ſanguis dilecti filii tui*: quæ ſunt formalia verba Canonis miſſæ pro tranſubſtantiatione. Dicit quidem Apoſtolus creaturas Dei ſanctificari verbo & precibus, ſed an unquam auditum, res ſpiritualis gratiæ incapaces ſanctificari per ſpiritum. Interim libri hujus architecti ſatis ſenſum ſuum prodiderunt; vid. ut Deus omnipotentia ſui ſpiritus miraculoſe efficere velit, ut panis ille & vinum mutetur in verum corpus & ſanguinem Chriſti. Nam ſanctificatio hæc, quæ verbis illis petitur, eſt mutatio quædam, eaque vel ſacramentalis, vel ſpiritualis, vel per tranſubſtantiationem: Non eſt ſacramentalis, quia tum non opus eſſet aliis verbis, quam inſtitutionis Chriſti: neque ſpiritualis, nam ſic potius cum Anglica liturgia dicendum eſſet: Sanctificato nos verbo tuo & ſpiritu, ut participes eſſe poſſimus corporis & ſanguinis Chriſti: Reſtat itaque intelligenda eſſe de mutatione per tranſubſtantiationem, & in hunc finem mentionem facit liber *Corporalis*, qua voce notandum eſt quod non utantur, niſi poſt conſecrationem. 5. In margine ponitur, pag. 208. cum ad verba illa inſtitutionis, *panem accepit*, presbyter officiaturus devenerit, ſumet tũ patinam in manus. Et in miſſali Romano ſic habetur.

Dum repetit ſacerdos, hoc eſt enim corpus meum, hoſtiam ſupra caput elevet, ut ab omnibus conſpici & adorari poſſit. Neque dubitandum quin idem hic ſit ſenſus, præſertim ſi locus & ſitus presbyteri & populi attente conſideretur, nam presbyter à populo longe remotus ad occidentalem altaris partem facie à populo averſa ſtat, & populus extra ſacrarii cancellos in genua provolvitur: quare neceſſe eſt ut patinam & calicem in altum elevet, ſi à populo conſpici velit, alioqui fruſtra ſpecies (uti hic liber loquitur) in manus ſumeret. Adde quod ab hoc presbyteri & populi ſitu ſequatur, utrumque facie ad orientem converſa precari. Vah quam ſubdole ſubrepat idololatria. 6. Pontificii duplicem habent in miſſa oblationem, alteram præparatoriam, panis & vini conſecrandi, alteram hoſtiæ poſt conſecrationem: utramque liber hic continet. Prior eſt in offertorio diſerte: ſecunda in memoriali oblationis poſt orationem conſecrationis; nam præterquam quod titulus ipſe illud clamet, verba etiam memorialis ſatis demonſtrant: & licet mentionem faciat ſacrificii laudis ſeu gratiarum actionis, non tamen per vocem illam intelligi debet ſpirituale aliquod ſacrificium, quod in laude & gratiarum actione conſiſtit, ſed corporis Chriſti ſacrificium, ſic dictum, quia per illud Deus laudatur, Bellarmino interprete de miſſa. lib. 2. cap. 21. 7. Licet presbyter ante conſecrationem ſteterit, nunc tamen peracta conſecratione genu flectit: & pag. 104. dicit; Comeſam eſſe Chriſti carnem, & ebibitum ſanguinem, ac precatur, ut corpora noſtra per ejus corpus mundentur, ac animæ in ſanguine ejus laventur; phraſes admodum craſſæ ſunt hæ, cum tam crude ſine ulla omnino explicatione aut diſtinctione à Pontificiis erroribus, proponantur. 8. Epiſcopus aut presbyter officians jubetur in utraque

ſpecie

ſpecie communionem primum recipere priuſquam populo tradat, pag. 210. Ubi primum, Papiſmum redolet vox *Species*; quaſi elementorum materia, panis vid. & vini vere non manerent poſt conſecrationem. 2. Videtur etiam redolere conſumptionem ſacrificii, in qua formam ejus poni contendit Bellarminus. De miſſa lib. 1. cap. 27. nam hic peragitur ſacrificium & à presbytero conſumitur, priuſquam admittatur populus. 9. In liturgia baptiſmi infans baptizatus cruce ſignatur; nonne hoc eſt additamentum mere humanum, & ritus ſymbolicus nullo Chriſti mandato, inſtitutis ejus ſuperadditus? ſemen etiam eſt horrendæ idololatriæ inter Pontificios, quam eccleſia hæc hoc nomine expreſſe abjuravit. 10. Qui matrimonii vinculo conjunguntur, jubentur pag. 244. genu flectere coram menſa ſeu altari Dominico; quid, quæſo, hoc aliud eſt quam quod in ſolennibus matrimonii jubet Rituale Romanum?

Denique liber hic nobis obtruſus in multis Anglica liturgia pejor & corruptior eſt. Nam. 1. multo plures ſancti in Calendario noſtro ponuntur, quam in Anglico. 2. Ante communionem liber Anglicus hortatur omnes præſentes ut pauperum memores ſint, cujus exhortationis loco, ſententias quaſdam ex offertorio Romano deppromptas recitari jubet noſter. 3. Licet quædam ſint in Anglico ſententiæ, quibus ad eleemoſynam excitetur populus, omnes tamen ſunt ex novo teſtamento fere deſumptæ, & de eleemoſyna tantum loquuntur, ita ut nihil periculi ſit, ne ad alienam oblationem detorqueantur; noſter vero multas profert veteris teſtamenti ſententias, quæ tantum intelliguntur de ſacrificiis & oblationibus Leviticis. 4. In Anglico jubetur populus precari, ut Deus eleemoſynam hanc ſui populi ſibi acceptam eſſe velit; & cæt. Noſter vero ſuper-

ſuperaddit gratiarum actionem pro iis qui in fide mortui ſunt, & cæt. & ſic magis accedit ad miſſam pontificiam, prout ſupra obſervatum fuit. 5. In Anglico menſa Dominica in medio navis templi aut ſacrarii ponitur, noſter vero jubet locari ſitu altaribus conſueto, intra ſacrarii cancellos quibus removetur populus, ita ut orientalis ejus pars ſacrarii extrema contingat. 6. In Anglicana liturgia poſt orationem conſecrationis elementorum S. cœnæ, jubetur presbyter communicare & populo ſtatim tradere: at in hac noſtra, poſt orationem conſecrationis, (longe diverſam ab Anglica) ſecundæ oblationis oratio ſequitur, ad ideam Miſſæ. 7. In Anglica presbyter panem populo tradens jubetur dicere: Accipe & ede in memoriam quod Chriſtus pro te mortuus ſit, fide illum edito in corde tuo cum gratiarum actione; quæ aurea ſententia tranſubſtantiationis jugulum ſecans, hic in noſtra prorſus omittitur, quia ſcil. in Canone miſſæ non exſtat: idem obſervandum etiam in traditione poculi: Liturgia Anglica habet; Bibe hoc in memoriam ſanguinis Chriſti pro te effuſi & gratias agito: Quæ verba in noſtra non reperiuntur, quia non in miſſa Romana. 8. Anglica jubet elementa tradi in manus populi, noſtra illud delet, & ſic quid vetabit, quin communicantium ori ingerantur? 9. Anglica jubet utrumque elementum in populi manus tradi: noſtra vero nihil prorſus loquitur de utriuſque elementi traditione, contenta dixiſſe, populus ſuo ordine communicet: hoc eſt, removeri oportet laicos ut vulgus profanum extra ſacrarium, ea de cauſa cancellis ſeptum; ac quid ſi innuatur alium eſſe ordinem populi communicaturi à clericis non ſolum ratione loci, ſed ratione communicationis ſub utraque ſpecie, ut Pontificii loquuntur: Non ſine cauſa tale quid propoſitum fuiſſe libri noſtri architectis ſuſpicamur; nam diſer-

re

te hactenus declararunt, fundamentum nullum eſſe in ſacra ſcriptura quo ſuperſtrui poſſit participatio in cœna Domini ſub utraque ſpecie: ad traditionem refertur ab Elienſi epiſcopo Whito, libro nuper impreſſo, de Sabbato. pag. 97. & expreſſe Montacutius epiſcopus, in originum libro pag. 396. Ubi (inquit) jubentur in Scripturis infantes baptizari, aut in cœna Domini ſub utraque ſpecie communicantes participare? de his poſſumus profiteri, nihil tale docet ſcriptura, ſcriptura hæc non prædicat. Nonne merito metuendum nobis eſt, ne ex conſulto utriuſque elementi traditionem omiſerint, ut immani huic ſacrilegio in poſteriori libri hujus editione viam parent? 10. In noſtra liturgia, reliquiæ panis conſecrati operiendæ ſunt *Corporali*, & menſa Dominica decoro tapete inſtruenda eſt: horum vero in Anglica nulla prorſus mentio. Neque vox *Corporale*, quæ lintea quibus elementa teguntur, ſignificat, unquam in eccleſia audita ante natam tranſubſtantiationem. 11. In Anglica liturgia univerſa fidelis populi eleemoſyna pauperum ærario imponi jubetur at in noſtra jubetur dividi, cujus altera ſemiſſis cedit presbytero. 12. Noſter liber mentionem facit, oblationis panis & vini, de qua in Anglico altũ ſilentium. 13. Noſter panem azymum rotundum probat, cum Anglicus fermentato & ordinario uti jubet. 14. Anglicus liber jubet reliquias elementorum ad Curati ædes deferri, eaſque pro ordinario & vulgari pane & vino habet: noſter vero vult reliquias illas ut ſacras in ipſo templo conſumi. 15. Quod ſi elementa conſecrata populo communicanti non ſuffecerint, noſter jubet alia de novo conſecrari, non ſic Anglicus. 16. In prima oratione baptiſmi hæc ſentẽtia exſtat in libro hoc nobis obtruſo, *fontem hunc baptiſmalẽ ſanctifica*, quæ in Ang. deeſt. 17. Ibidẽ in margine libri noſtri, jubetur aqua fontis baptiſmalis ſingulis mẽſibus bis renovari,

&

& tum ſolenni verborum formula conſecrari : utrumque in Anglico deeſt.

Animadverſiones in librum Canonum ab Epiſcopis obtruſum eccleſiæ Scoticæ.

1. Liber hic Canonum obtruditur ſine ullo eccleſiæ conſenſu & approbatione in ſynodo nationali, cum tamen hierarchici ipſi fateanturCanones eccleſiaſticos nullibi unquam conditos fuiſſe quam in ſynodis eccleſiaſticis. D. Lancelotus Andreas Epiſcopus Wintonienſis, in concione de tubis, edita & reviſa ac cum cæteris ejuſdem concionibusRegi Sereniſſimo dedicata per Gulielmum Epiſcopum Londinenſem, nunc Cantuarienſem: & ordinaria praxis eccleſiæAnglicanæ in domo Convocationis,quæ ſynodi nationalis apud eos vicem ſupplet, idem docet. 2. Vno ictu univerſam eccleſiæ hujus diſciplinam,& acta ac decreta octoginta plus minus ſynodorum nationalium penitus ſubvertit: ac in ejus locum novam diſciplinam ſubſtituit,ab epiſcopis ſolis, remotis omnibus presbyteris, formatam, qua mera tyrannis Epiſcoporum Diœceſanorum in omnes eccleſias ſtabilitur, & quibus conceditur facultas irrefragabilisomnia in eccleſia pro arbitrio circumagendi. Adde quod libro hoc aperte contradictoria contineantur, ac quædam municipalibus regni legibus diſerte adverſantia, ac errores quoſdam graves.

Diſciplinam receptam & canonibus ſynodalibus, ac legibus regni ſancitam ſubvertit. 1.Dum interdicit presbyteris, & Laicis ne cauſas ullas eccleſiaſticas tractent; cap. 8. parag. 4. unde ſequitur, abrogandas eſſe ſeſſiones ſeu conſiſtoria, presbyteria ſeu claſſes; neque concedendum eſſe laicis quibuſlibet, licet eccleſiarum ſenioribus, & ab eccleſiis ad ſynodos rite ac legitime deputatis, jus ſuffragii in

in ſynodis. 2. Nullam prorſus mentionem facit cujuſlibet ſynodi, præterquam Diœceſanæ,in qua tantum regnabit Epiſcopus , & pro cujus arbitrio indicenda eſt : Exercitium etiam ſpiritualis juriſdictionis in commiſſarios ſeu officiales Epiſcopi, in ſolidum tranſfert, quaſi vero officiales illi eſſent à Chriſto inſtituti miniſtri eccleſiaſtici cap.19. para.1. 3.Interdicit aliis omnibus eccleſiaſticorum conventibus pro rebus eccleſiaſticis.cap.8.para.2. 3.Semel quidem ſed ex obliquo, quaſi authoribus incogitantibus excidiſſet, mentio fit Nationalis ſynodi;ſed altum eſt ſilentium, quænam ejus membra ſint, unde haud male quis colliget, Epiſcopis ſtatutum ſe ſolos eſſe legitima ſynodi illius membra : nam ſynodus nationalis eccleſias illius nationis repræſentat, & Epiſcopi ſe hactenus exornarunt elogio eccleſiæ repræſentativæ. 5. Ordinem Diaconorum próut à Spiritu S. inſtituitur, & ab hac eccleſia receptus fuit, penitus rejecerunt, & in eorum locum œconomi quidam ab Epiſcopis eligendi, (ſtirps prorſus novella, Scotis ne vel de nomine cognita) aſſumuntur.

Poteſtatem omnem, imo & tyrannidem Epiſcopis largitur. Nam. 1. eis ſolis, aut eorum capellanis attribuitur facultas examinandi promovendos ad S S. miniſterii functionem. cap.2.parag.3. 2. Epiſcopi eſt literas dimiſſorias concedere paſtoribus. cap. 2. parag.5. 3. Ejus ſolius eſt ordinare paſtores. cap.2.parag.7.4. poteſt Epiſcopus concedere facultatem paſtoribus non reſidendi ad eccleſias ſuas. cap.3.parag.1. cum tamen reſidentia ſit de jure divino. 5. interdicit paſtoribus ne alibi quam in ſuis eccleſiis concionentur, quæcumque demum extraordinaria occaſio ſeſe offerat, aut neceſſitas urgeat, niſi primum facultatem ab ordinario loci (ſic Epiſcopum vocant) obtinuerint. cap.2.parag.2. 6.Epiſcopus

ſcopus poteſt diſpenſationes concedere paſtoribus, qua liberentur à catechizandis rudibus eecleſiæ ſuæ. cap.3. pag.6.7. Interdicit paſtoribus, ne hæreſes & errores quoſlibet, ab aliis paſtoribus publice licet propoſitos,refutet, niſi facultatem a Diœceſano obtinuerit.cap.3.parag.7.&quid ſi eoſdem errores foueat Epiſcopus,ſilendum erit orthodoxis paſtoribus, & pereundum populo. 8. Licet ſtatuta civilia, aut eccleſiaſtica ſemel ſancita ſint iniquiſſima, interdicitur tamen paſtoribus,cap.3.parag.8. ne iis contradicat, ſed ſcrupulos ſuos Epiſcopo proponat, ejuſque determinationi modeſte acquieſcat. 9. Nulla demigratio conceditur paſtoribus de eccleſiis ad eccleſias, cap. 4. parag.4. quæcunque demum utilitas & ædificatio populi urgeat,niſi per epiſcopum. 10. Poteſt epiſcopus facultatem concedere celebrandi matrimonium, licet Bannarum trinundina denunciatio non præceſſerit. 11. Epiſcopi eſt indicere locum & tempus ſynodorum. 12. Ejuſdem eſt præceptores ſcholis,& lectores eccleſiis præficere. 13. Typographis interdicit ne quidlibet imprimant ſine facultate viſitatorum, hoc eſt, Epiſcopi ejuſque capellani. cap.12.parag.1. & quid ſi heterodoxias illi foveant, nonne ad perpetuum ſilentium orthodoxa ſcripta damnabuntur? aut ſaltem exſpectandum erit donec fato defunctus Epiſcopus, orthodoxus in cathedram ejus ſuccedat, quod vix ſperandum eſſe præteriti temporis experientia demonſtrat. 14. Catalogum baptizatorum, matrimonio conjunctorum, præſertim vero demortuorum, à quibus ſpes lucri Epiſcopis affulget per approbationem ſeu confirmationem teſtamentorum, ad Epiſcopum quotannis tranſmittere jubetur presbyter. 15.Epiſcopi eſt in ſuæ Diœceſeos eccleſiis jejunia indicere,cap.14.§.1.Ita ut niſi conſentiat epiſcopus nefas ſit publicis jejuniis &precibus graviſſimamDei iram imminentem deprecari.

16.

16. Epiſcopi eſt deſignare ubi & quomodo ponenda ſint templorum pulpita,quæ decora eſſe oportet. cap. 16. §. 5. hoc eſt, Epiſcopo conceditur facultas imperandi lectionem Euangelii de ſuperiori pulpito, quia illud dicunt quidam,aliis omnibus S.ſcript.partibus magis ſacrum eſſe,propter contactum ſcil. oris Chriſti: & de inferiori pulpito alias omnes ſcripturæ partes: & quid ſi per illam pulpiti decentiam, aſtringamur ad ligneum pulpitum, propter ſymbolicam ſignificationem crucis Chriſti, juxta Amularium.lib.3. De divinis officiis.17.Epiſcopi eſt providere de bonis omnibus piis uſibus dicatis, eique tradentur ſcripta omnia quæ ad hæc bona pertinent, cap.17. §.5.6.10. & quis pro fide Epiſcopi ſpondebit, ac nobis Epiſcoporum avaritiam expertis perſuadebit, à ſacrilegio immunes futuros, aut ſi rei agantur hujus ſceleris quomodo convinci poterint, cum facile illis erit ſcripta illa ſupprimere? Itaque ut hic ſibi optime caviſſe videntur, ſic in manifeſto crimine deprehenſis proſpexerunt,nam nullam aliam in ſacrilegos pœnam ſtatuunt.cap.17.parag. 1.quam reſtitutionem.18.Interdicit ne ſententia excommunicationis in quemlibet proferatur, niſi chirographo epiſcopi prius obſignetur,ca.18.parag.3: Aliter certe Chriſtus eccleſiæ ſuæ conſuluit. Matth:18:17. Dic eccleſiæ: Niſi forte Epiſcopus ſolus eccleſiã repræſentet, ut princeps regnum. 19. Interdicitur ne excommunicati ſatiſfaciant eccleſiæ aut abſolvantur niſi ex conſenſu & beneplacito Epiſcopi; quàm oppoſite,nam ejus eſt ſolvere,cujus eſt ligare. 20.Epiſcopus poteſt facultatem concedere converſandi cum excommunicatis;cap.18.§.5. An hoc nõ eſt facultatẽ concedere diſpenſandi cum lege Chriſti? 21. Interdicit ne ſentẽtia depoſitionis contra presbyterũ feratur per ullum aliũ quam Archiepiſcopum aut Epiſcopum Diœceſeos, & ſic cautum eſt profanis

P &

& Heterodoxis, modo epiſcopum benevolum habeant, quem raro adverſarium experientur, ſi acres ceremoniarum defenſores ſe geſſerint, prout eccleſiarum frequentiſſima gravamina hodie clamant. 22. Epiſcopi eſt decernere, quo habitu veſtiendi ſint Decani, doctores, presbyteri, Diaconi & reliquus clerus: quiſnam vero ille futurus ſit, haud difficile eſt divinatu; nam cum urgeant libri hi conformitatem cum eccleſia Anglica, veſtitus ille clericorum idem erit cum eo qui in Canone 74. Anglicarum conſtitutionum imperatur, & ſi quid ad plenum cum pontificiis ſyncretiſmum in veſtitu ſacro apud Anglos deerat, noſtri epiſcopi, in melius ſcilicet indies proficientes, liberaliter addent; & ſicuti miſſam fere totam repoſuerunt, veſtitum etiam miſſaticum cur omitterent? nam turpe eſſet devorato bove in cauda hærere, & camelo abſorpto percolare culicem. 23. Denique quaſi tæderet epiſcopos, poteſtatis ſuæ rapidum torrentem intra ullos omnino limites contineri, cap. 19. parag. ultimo: poteſtatem ſibi aſſumunt pro arbitrio pœnas infligendi eorum canonum violatoribus, qui nulla ſpeciali pœna ſanciuntur: & hunc colophonem ſuperbo huic ædificio ſuperimponunt: ac ſi quid deſit, hoc ſupplemento coronant: Omnium porro ſumma eſt, Epiſcopos poſſe judicare omnes, ſed à nemine judicari.

Tertio. Liber hic contradictoria quædam continet. Nam ſummariam excommunicationem, hoc eſt, quæ citationibus non præcedentibus fertur, damnant, cap. 18. parag. 2. cum tamen cap. 8. § 4. qui ſynodis contradixerint, earumque decretis non acquieverint, qui rubricam, canonem, verba librorum horum, videlicet canonum, liturgiæ, ordinationis, homiliarum; (ex quibus ſolus liber Canonum tum typis commiſſus proſtabat) mutaverint, ipſo

facto

facto excommunicati declarantur: Dein Reſidentiam presbyteris injungunt, & tamen cap. 10. Curati inter legitimos eccleſiæ miniſtros recenſentur: quorum nullus alius uſus eſſe poteſt, quam ut paſtoris abſentis & non reſidentis vices ſuppleant.

Quarto. Liber hic quædam continet diſerte adverſantia municipalibus regni legibus. Nam cap. 7. parag. 6. Parti innocenti poſt legitimum divortium interdicuntur ſecundæ nuptiæ vivente adultero. Cum tamen reditus ad nuptias ſtatuto parlamentari ſanciatur: Dein cap. 17. parag. 7. Paſtores ſine liberis morientes aſtringit, ut magnam bonorum ſuorum partem, licet à majoribus hæreditario jure tranſmiſſa poſſideat, teſtamento leget in pios uſus, quod multi nihil aliud eſſe credunt, quam ut in ærárium epiſcopi conferantur, quippe quod illi ſoli commiſſa ſit ſuprema ejuſmodi bonorum cura; neque ſit qui ad rationes reddendas adigere cum aliquo operæ pretio poſſit: Sed quicquid ſit de adminiſtratione: ipſum illud decretum excedit omnem poteſtatem, quam reges noſtri unquam ſibi in liberos ſubditos vendicarunt, & Epiſcopos conſtituit Dominos bonorum & fortunarum, quæ alii legitime poſſident tanquam propria; in quæ nulli alteri jus quodlibet eſt: ac communi & recepto juris noſtri axiomati repugnat, ſtatuentis, ultimam ingenuorum hominum morientium voluntatem eſſe liberam.

Quinto. Graviſſimos aliquot errores continet, inter quos ſunt hi. Epiſcopum poſſe licentiam concedere converſandi cum excommunicatis; quod adverſatur mandato Chriſti Matth. 18. 17. Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, & Apoſtolorum ſæpius: 2. Poſſe licentiam non reſidendi paſtoribus concedere, cum tamen jure divino, ſi fidi paſtores eſſe velint, reſidere teneantur. 3. Reditum ad nuptias

parti innocenti poſt legitimum divortium quamdiu adulter maritus vixerit, interdicitur contra Chriſti expreſſam mentem. Matth. 5. 32. & 19. 9. quibus locis nuptiæ poſt divortium permittuntur. Nam ſi mæchatur qui novam uxorem ducit, niſi repudiata priore ob adulterium; tum, qui repudiata priore uxore ob adulterium, novam duxerit, non mæchatur: nam vis hujus exceptionis, *niſi ob adulterium*, eſt, ut contrarium ſupponat in eo quod excipitur. Uti omnes reformatæ eccleſiæ diſerte contra Pontificios tuentur, qui eandem matrimonii indiſſolubilitatem in ſynodo Tridentina ſeſſione. 7. cap. 24. decreverunt. 4. Sic loquitur liber cap. 8. parag. 4. quaſi eccleſia hæc Scotica tam in doctrina quam diſciplina nondum reformata eſſet, judicent vel cæci quam poſticam hic ſibi aperiant Epiſcopi, qua impune doctrinam mutare poſſent; ideoque nullam prorſus mentionem faciunt Confeſſionis fidei in publicis regni comitiis olim ſancitæ. 5. Ordinem ſatis aperte inter ſacramenta refert. cap. 2. parag. 7. Nam quæ ad integritatem ſacramenti, (prout ſupra definiviſſe Catechiſmum Liturgicum diximus,) requiruntur, hic invenies, nam ritus externus eſt manuum impoſitio: Adeſt etiam internæ gratiæ promiſſum, quod per impoſitionem manuum confertur accipe, inquit Epiſcopus ordinans, Spiritum S. Et cum Dei gratiam ordinandis precentur, oportet promiſſum extare, ſi preces ex fide eſſe vellent: Divinam etiam inſtitutionem vendicant, quaſi Deus inſtituiſſet ut per manus Epiſcopi gratia illa conferretur. 6. Idem de pœnitentia colligere licet, alias, cur ejus partes uti pontificii vocant, Confeſſionem & Abſolutionem ſacramentalem vocarent, vocemque hanc majuſculis literis depingi curarent. pag. 18. parag. 9? Denique ut fuco ſpecioſiori omnia velarent, Sereniſſ. Regi noſtro adulantur hic Epiſcopi noſtri libri hujus autho-

authores. Nam cap. 1. parag. 2. Quamcunque poteſtatem in rebus eccleſiaſticis pii Reges inter Judæos unquam obtinuerunt & exercuerunt, eandem ſimpliciter & ſine ulla reſtrictione Sereniſſ. Regi & ejus ſucceſſoribus in hac eccleſia tribuunt: unde ſequitur reges noſtros Sereniſſ. authoritatem habere conſignandi & ſcribendi libros Canonicos S. Scripturæ, nam nulli ignotum eſt, Davidem & Salomonem ea munera in eccleſia Iudaica exercuiſſe, & infallibiles fuiſſe, eatenus ſaltem, Spiritus S. amanuenſes: & cap. 8. parag. 4. Regem ejuſque ſucceſſores ſtatuunt, ſupremos Iudices controverſiarum omnium eccleſiaſticarum tam in doctrina quam diſciplina; cum tamen ſuprema poteſtas determinandi controverſias in qualibet eccleſia ſit penes ſynodum nationalem legitime convocatam & formatam, ut rotunde abſque verborum involucris loquuntur Theologi ex magna Britannia à piæ memoriæ Rege Iacobo ad ſynodum Dordracenam deputati, ſeſſione. 29. illius ſynodi, in reſponſione ad proteſtationem Remonſtrantium.

Animadverſiones in librum ordinationis Epiſcoporum, presbyterorum, & Diaconorum.

1. Liber hic nullo eccleſiarum in ſynodo conſenſu præeunte formatus fuit, neque ulla penitus authoritate eccleſiaſtica ſeu civili nititur; licet eo ſæpius uſi fuerint Epiſcopi: 2. Quod Epiſcopos tertium ordinem cleri diſerte ſtatuat, diſtinctum à presbyteris. 3. Quod novum ordinem Diaconorum conſtituat, quibus nulla pauperum cura incumbit, uti prima Diaconorum inſtitutio ab Apoſtolis Act. 6. jubet, iiſque poteſtatem concedit prædicandi & Baptizandi, 4. Quod promovendos ad miniſterium in nova & inſolita juramenta adigat, quod eſt

contra expreſſa regni hujus ſtatuta: neque juramenta ea prius promovendis oſtenduntur, quam cum ad momentum ipſum perventum fuerit, quando jurandum illis erit: & ſic jurantes non poſſunt dici jurare in judicio. 5. Quod formam ordinationis paſtorum per Epiſcopum afferat, decreto nationalis ſynodi niti, quod prorſus falſum eſt. 6. Quod probationem & examinationem promovendi paſtoris ad Epiſcopum referat, excluſo presbyterio ſeu claſſe, ad quam proprie pertinet. 7. Quod epiſcopus manus ſubito imponat ordinando; quem ſæpenumero prius nunquam conſpexit, neque ipſius dona aut vitam cognitam aliter habet, quam ex perfunctoria relatione archidiaconi aut capellani. 8. Quod ordinationis poteſtatem ſoli Epiſcopo attribuat, excluſis omnibus presbyteris, niſi forte admittantur ut teſtes actionis. 9. Tota forma conſecrationis Epiſcoporum & Archiepiſcoporum pontificia eſt, & ex rituali Romano tranſlata. 10. Epiſcopos exortem hanc ſuam poteſtatem & juriſdictionem à Deo accepiſſe dicit. Plurima alia addebant alii perpendenda, tam in hoc quam in aliis libris duobus obtruſis, nam quartus ille Homiliarum nondum compoſitus fuit.

Quibus maturo judicio perpenſis ſic de ſingulis decretum eſt unanimi ſynodalium judicio.

De libro liturgiæ. Quandoquidem à Pſeudo-epiſcopis formatus & obtruſus ſit eccleſiæ, ſine ulla eccleſiaſticæ authoritatis ſpecie, & præter barbaram phraſeologiam, ac inſolitam cultus divini formam, mere pontificiam, plurimos pontificiorum errores ab eccleſia Scotica jampridem damnatos, ac ſemina multiplicis idololatriæ & graviſſimarum ſuperſtitionum contineat, quæ ex diametro repugnent doctrinæ & diſciplinæ, confeſſionibus fidei, conſtitutionibus ſynodalibus; ac ſtatutis parlamentariis, refor-

reformatæ religionis profeſſionem ſancientibus, ideo liber hic à ſynodo merito rejicitur ac damnatur, ac ſevere ſub pœna cenſuræ eccleſiaſticæ ejus praxi omnibus hujus eccleſiæ membris interdicitur.

De libro Canonum, ſuperaddunt: Deſtitutum eſſe eccleſiaſtica authoritate; Pſeudo-epiſcopos in illo, laudabile eccleſiæ regimen, & diſciplinam verbo Dei conformem & ab ipſis reformationis primordiis non ſine ſingulari Dei benedictione hactenus conſtanter uſitatam, uno ictu ſubruere, ac exoticam diſciplinam ejus loco ſubſtituere, ac ſibi aſſumpſiſſe tyrannicam dominationem in cultum Dei, conſcientiam, libertatem, & fortunas omnium; ideoque à ſe rejici, ac damnari.

Librum ordinationis, declarat ſynodus deſtitutum eſſe tam civili, quam eccleſiaſtica authoritate: officia quædam & munera eccleſiaſtica in eccleſiam, Dei Domum introducere tanquam divina, quæ à Deo tamen nunquam inſtituta fuerunt, & eccleſiaſticæ diſciplinæ legibus hic receptis contraria ſunt, impedire fidelium & idoneorum paſtorum promotionem ad S S. miniſterii munus, utpote quod promovendos adigat in juramenta illegitima: ideoque rejici ac damnari declarat.

Ad examen etiam vocatum fuit Tribunal, vulgo Curia celſæ commiſſionis; cujus erectione, juriſdictionem omnem eccleſiaſticam ſubverti, & interturbari declarat; ac tribunalia omnia confundi, ac miſceri; In ea ſententiam non ferri ſecundum conſtitutiones Eccleſiaſticas (licet ſupremi fori eccleſiaſtici ſpeciem mentiatur) nec leges regni municipales: quod legibus regni fundamentalibus repugnat, Iacob. 1. parliam. 3. ſtatut. 48. & Iacob. 4. parliam. 6. ſtat. 79. quibus expreſſe cavetur, ne aliis quam regni legibus municipalibus regantur ſubditi. In ea eccleſiaſticis concedi utriuſque gladii, tam ci-

vilis quam eccleſiaſtici; ac mere Politicis, eccleſiaſticæ diſciplinæ & clavium poteſtatem. Tribunal eſſe extraneum, ſine eccleſiæ & ordinum regni conſenſu erectum, ad tyrannidem epiſcopalem ſtatuminandam.

Seſſ. 15. Decemb. 7. Die Veneris.

Synodi judicio & cenſuræ ſubmiſit ſe Epiſcopus Caledonius per literas, quibus abſentiam ſuam in ætatem ingraveſcentem rejiciebat, quam tanto & tam difficili itineri jam hyeme ſuſcipiendo imparem omnes noverant.

Epiſcoporum accuſatores urgent proſecutionem ſuæ cauſæ contra Epiſcopos.

Capita accuſationis Epiſcopo Gallovidiano Thomæ Syncerſio objecta Seſſ. 8. releguntur, eorundemque plena probatio deducitur: qua omnium eorum criminum & pervicaciæ reus eſſe, ideoque ab eccleſiaſtica communione excludendus ab omnibus cenſetur. De modo excommunicationis ſententiarum quædam diverſitas fuit; aliis ſummariam urgentibus, aliis vero, admonitiones publicas præmittendas eſſe ſtatuentibus: Sed cum oſtenſum fuiſſet notoriam & flagrantem fuiſſe hujus pertinaciam, & obſtinatam contumaciam contra eccleſiam in ſynodo hac repræſentatam; cui ſe præſentem ſiſtere dedignaretur, licet in vicinia hæreret, ac ſe citatum non ignoraret; omnium fere judiciis ſummariæ excommunicationis fulmine feriendum eſſe ſtatutum eſt.

Examinatur cauſa Archiepiſcopi Andreapolitani, probatur reum eſſe non ſolum omnium criminum quæ Epiſcopis omnibus communia ſunt; verumetiam publicæ & ordinariæ profanationis ſabbati, immodicæ ad intempeſtam uſque noctem tabernarum frequentationis, atrocium calumniarum & convitiorum in ſynodos omnes nationales præcedentes, criminis falſi ob interlita & mutata ſynodi

Abre-

Abredonenſis decreta, ſacrilegii, ſimoniæ, indulgentiæ erga paſtores & profeſſores heterodoxias (quibus annis præteritis graviter vexata fuit eccleſia) ſpargentes; quos licet facile reprimere potuiſſet; non coercuit; horumque audaciæ ſilentio ſuo vires addidit; eorumque pœnam in ſe contraxit, nam poteſtas quæ prohibere ſcelus poteſt & debet, ſi ſciens patiatur perpetrari, quaſi probat debere fieri, ut olim recte Salvianus, Τὸ μὴ κωλύειν τοὺς πλημμελοῦντας ἴσον τῷ πλημμελεῖν; Obtulerunt ipſius accuſatores ſe liquido demonſtraturos eum aliis flagitiis, aut ſaltem flagranti eorundem ſcandalo teneri: Quare conſentientibus ſuffragiis abdicatur à muneribus & functionibus eccleſiaſticis, atque cum præcedentibus flagitiis pervicaciam addidiſſet, excommunicandus cenſetur.

Eidem pœnæ ſubjicitur Epiſcopus Brechinenſis; quem flagitia plurima omnibus liquido comperta, infamem jampridem reddiderunt;

Seſſion. 16. Decemb. 8. Die Saturni.

Comes Vemeſius referebat, Archiepiſcopum Glaſguenſem ſecum egiſſe, ut apud Synodum in ipſius gratiam intercederet; præſertim cum teſtaretur ſe contra animi ſui ſententiam propemodum coactum ab epiſcopo Roſſenſi & aliis, proteſtationi contra Synodum ſubſcripſiſſe: Quare delegati fuerunt quidam à Synodo qui ſerio cum Archiepiſcopo agerent, ut, quod familiari ſermone protuliſſet, ſcripto ſignaret, ac ſynodi judicio, à qua æquiſſima ſperaret, ſimpliciter ſe ſubmitteret: Ac licet ſpem aliquam utriuſque oſtenderet, plus tamen apud inconſtantem ipſius animũ prævaluit metus, ne amiſſione ampliſſimorum redituum & penſionis quinq; millium librarũ ſæpius promiſſæ, in præſentem paupertatem incideret, quam excommunicationis terror; ad cujus mentionem ſeſe trepidare, initio præ ſe ferebat.

P 5 Dein

Dein à ſynodo deſignati ad verum & genuinum ſenſum quorundam articulorum Confeſſionis, ex regiſtris Synodicis & aliis Eccleſiæ publicis ſcriptis eruendum, diligentiæ ſuæ rationem prolixiori ſcripto exhibent, quod tribus conſtabat partibus. Prima, Neceſſitatem operis ſuſcepti demonſtrabat. Secunda, farraginem conſtitutionum Synodicarum ab anno 1576. ad 1596. quibus rejici videbatur omne genus Epiſcopatus, continebat. Tertia vero, reſponſiones ad objecta quædam quibus Epiſcopatum fulciri quidam putabant: Scripto hoc prælecto & examinato, viſum eſt Præſidi Quæſtionis hujus de Epiſcopatu Determinationem ad ſuffragia referre, cujus hic fuit ſtatus: An ſecundum fidei confeſſionem (anno 1580. primitus formatam, & anno 1581. univerſaliter receptam, & 1590. repetitam) ullus alius in hac eccleſia tum approbaretur Epiſcopus, quam particularis eccleſiæ ſeu unius gregis paſtor, cui nulla προεδρία, & poteſtas in collegas competeret: Et an ſecundum genuinum & annis illis publice receptum Confeſſionis ſenſum; Omne aliud Epiſcopatus genus abjuratum fuerit, ideoque nunc etiam removendum: Omnes (uno ſolum excepto) reſpondent; Omnem omnino Epiſcopatum qui ab unius gregis paſtore differret, ſecundum Confeſſionis ſenſum tum receptum Abjuratum fuiſſe, ac nunc eliminandum eſſe extra eccleſiam: At unus diſtinguendum dicebat Epiſcopatum; In eum qui tum à quibuſdam uſurpatus fuiſſet, reluctante eccleſia; cui ſoli perpetuam ſpiritualem præeminentiam & dignitatis primatum in totam Diœceſin, ſimul cum poteſtate ordinationis & juriſdictionis omnimodæ alligare ſolent Hierarchici: Epiſcopatum hunc Eccleſiã condemnaſſe, ac in confeſſione abjuratum eſſe; ideoq; de eccleſia penitus removendum, ut errorem Pontificium, S. Scripturæ, & puriori antiquitati incognitum:

gnitum : Alium vero eſſe Epiſcopatum , quo uſi
fuerunt pii patres in primitiva eccleſia , quique in
officio ſuperintendentium initio reformatæ religio-
nis in Scotia obtinuit, cui , presbyterorum volunta-
rio conſenſu , primatus quidam ordinis,iſque ἀδιά-
δοχος , concedebatur : Hunc licet non revocandum
cenſeat ; animo tamen ſuo vix perſuaſum,ut judicet
confeſſione illa abjuratum eſſe : Ac facem huic di-
ſtinctioni prælucere in formalibus verbis Decreti
Synodici , anno 1580. Taoduni conditi , & repeti-
ti Glaſguæ. 1581. Nam ſæpius repetitur Officium
Epiſcopi,*prout nunc eo utuntur Epiſcopi in hoc regno*:quod
cum ſit manifeſta determinatio ſubjecti , videl. Epi-
ſcopatus, ad illud primum genus Epiſcoporum, qui-
bus vexabatur tum eccleſia , non poteſt extendi ad
omnem omnino Epiſcopatum ſimpliciter in ſe con-
ſideratum. Quibus adde ſolum Epiſcopatum præ-
dictarum ſynodorum conſtitutionibus damnari, qui
non eſſet ex Deo , qui in ſe eſſet illegitimus, qui eſ-
ſet officium ad quod Epiſcopi à Deo non vocentur:
Atque ab ipſis reformationis primordiis conſtans
fuit eccleſiæ Scoticæ opinio,Officium ſuperintēden-
tium in ſe non fuiſſe illegitimum,& qui ad illud mu-
nus ab eccleſiis rite vocarentur,à Deo vocatos fuiſſe,
uti in formula ordinationis ſuperintendentium Pſal-
teriis præfixa liquido conſtat ; Nam quæſtio penul-
tima iſtius formulæ ſic ſe habet ; Agnoſcis ne digni-
tatem hujus officii *ad quod Deus te vocavit* , requirere
vitæ ſanctimoniam etiam hoſtibus Euangelii Con-
ſpicuam ? Qua reſponſione quæſtionem propoſitam
non fuiſſe unam , ſed quæ ſe in plura membra divi-
deret, quam πολυζήτησιν vocant, innuere videbatur ;
nam aliud eſt quærere; An tum ullus alius in eccleſia
approbaretur Epiſcopus quam qui eſſet unius gre-
gis paſtor ; Aliud vero: An omne aliud omnino Epi-
ſcopatus genus tum abjuraretur , & in confeſſione
damne-

damnetur. Aliud denique an nunc omne illud aliud Epiſcopatus genus removendum ſit: Sed quicquid ſit de unius ſententia, plurium vicerunt calculi, quæſtionique propoſitæ reſponderunt affirmative: hiſce præſertim fundamentis nixi.

Confeſſionis hujus optimum interpretem eſſe librum ſecundum de politia eccleſiaſtica, qui poſt doctiſſimorum virorum plurimos congreſſus, & diſputationes publicas ſæpius in ſynodis repetitas tandem unanimi omnium conſenſu comprobatus fuit in Synodo nationali Edenburgena ann. 1578. & publicis ſynodorum regiſtris inſertus, in ſynodo nationali Glaſguenſi ann. 1581. mandatumq; ut omnes quotquot ſint, aut erunt Eccleſiarum paſtores eidem, libro ſubſcriberent, in ſynodis Edenburgenis, annor. 1590. & 1591. Atque in hoc libro Hierarchia tota Archiepiſcoporum & epiſcoporum penitus damnatur, & gubernatio eccleſiæ per Seſſiones, Preſbyteria, Synodos ſancitur. 2. Ex regiſtris Nationalium conſtare dicunt, quod licet aliquandiu titulares illos Epiſcopos toleraſſet eccleſia, multorum tandem querelis anno 1575. de licentia & negligentia iſtorum Epiſcoporum vexatam eccleſiam, ac compulſam fuiſſe, altius deſpicere in ipſum quod tum ſibi arripiebant epiſcopi officium, quos eccleſiæ oneri eſſe videbant, ac tum decreviſſe nomen epiſcopi proprie competere omnibus paſtoribus, quibus unius gregis cura commiſſa eſſet, monitoſque fuiſſe titulares Epiſcopos ut unius gregis curam ſeriam ſuſciperent; Et qui conſtitutioni huic non obtemperarent, ac peculiari gregi operam ſuam non addixiſſent, cenſura notatos fuiſſe Epiſcopos in ſynodo anni. 1560. Dein anno 1578. propoſita fuere quæ in titularibus iſtis Epiſcopis emendanda cenſuit Synodus, videl. 1. Quod unius peculiaris gregis curam non ſuſcepiſſent. 2. Quod juriſdictionem

nem criminalem & 3. Civilem exercuiſſent. 4. Ac ab eccleſiis non deputati ſuffragium ferrent in conventu ordinum regni: 5. Bonaque eccleſiaſtica, paſtoribus eccleſiarum, pauperibus ac ſcholis alendis deſtinata ad ſe ſolos arriperent. 6. Quod faſtuoſos dignitatum temporalium titulos uſurparent, ac ſe Dominos *Lords* ſalutari vellent. 7. Quod principatum in presbyteria. 8. Ac in Seſſiones ſeu conſiſtoria uſurparent. Decretumque ut ab hiſce corruptionibus ſibi caverent, ac ſponderent ſubmiſſuros ſeſe ſynodi nationalis judicio, ſi quæ alia in Epiſcopatu emendanda cenſeret: Poſthac cum nullis repagulis eorum licentiam coerceri poſſe cerneret Eccleſia, in nationali Synodo Taodunenſi anni 1580. Seſſione 4. radices & fibræ omnes Epiſcopatus illius penitus evelluntur, corruptionum quarundam ramis antehac exciſis, & denuo pullulantibus: Decretum tum plenis omnium ſuffragiis, Epiſcoporum officium quo ſenſu vulgo tum accipiebatur, commentum eſſe humanum, magno eccleſiæ detrimento introductum, nullam habere in ſcripturis S S. authoritatem, Itaque titulares Epiſcopi officium hoc ſtatim deponerent, utpote ad quod à Deo vocati non eſſent: neque functionis eccleſiaſticæ munia quælibet attingerent, niſi de novo ad paſtoralis officii munus à Synodo Nationali promoverentur: idque ſub pœna excommunicationis. Ut libellus ſecundus de diſciplina, qua hierarchia confoditur, Regi ac ſenatui offerretur confirmandus authoritate Senatus regii, donec in conventu ordinum lege ſanciretur ad vigorem publicæ obſequentiæ. Eodemque anno, cum cognitum eſſet Epiſcopos Abredonenſem & Moravienſem decreto huic Taodunenſi ſeſe nondum ſubmiſiſſe, ſtatutum in ſynodo Edenburgena, ut contra eos & quoſlibet juriſdi-

ctionem

ctionem illam Epiſcopalem jam damnatam uſurpantes, Taodunenſis ſynodi decretum ſimpliciter urgeretur: Quod anno ſequenti 1581. in Synodo Glaſguenſi denuo repetitur, & explicatur: quando etiam Diagramma omnium presbyteriorum ſeu Claſſium, ſimul cum ſecundo libro politiæ eccleſiaſticæ regiſtris ſynodicis inſeruntur, cui immediate nulla interveniente linea ſubjungitur, ut Confeſſioni minori, (quæ vulgo Confeſſio familiæ regię vocatur) omnes ſubſcriberent: Ut itaque ex hoc conſtare dicunt; diſciplinam eccleſiæ quam omnium chirographis & juramento obſignari juſſit Synodus, fuiſſe illam quæ libro ſecundo politiæ continetur, non vero regimen Hierarchicum tum exploſum. Ac ne quis in re tam perſpicua hæſitet, conſiderandum quomodo cum iis actum, qui Epiſcopatum erigere ſtuduerunt; etenim cum anno 1581. ſpargeretur, Robertum Montgomerium, relicta Sterlinenſi eccleſia ambiviſſe Epiſcopatum Glaſguenſem, ac docuiſſe omnem eccleſiæ diſciplinam mutabilem eſſe, & inter ἀδιάφορα referendam; gravi cenſura à Synodo Edenburgena notatus fuit, cumque ſerio eum admonuiſſet, ac ſub pœnâ excommunicationis eidẽ interdixiſſet, ne Epiſcopatum Glaſguenſem attingeret; quia ille ſpreta eccleſiæ authoritate pro Epiſcopo ſe geſſiſſet, fretus ſe aulicorũ quorundam gratia eccleſiæ Cenſuras evaſurum: ſententia Synodi nationalis Andreapoli 1582. coactæ excommunicandus declaratur, niſi ſtatim pœnitentiam profiteretur: ac Epiſcopatu relicto, ad ſuam eccleſiam protinus rediret: quæ licet in ſe tum recepiſſet, ad vomitum tamen poſt rediit, & non obſtante interceſſione Senatus regii, excommunicatur, Synoduſque per deputatos ſuos regi, regiiſque ſenatoribus neceſſarii hujus conſilii rationes profert: Ac licet denſa caligine eccleſiæ facies annis aliquot ſuccedenti-

dentibus oppreſſa fuerit, ambitione Adamſoni & Montgomerii, tandem tamen diſcuſſis tenebris ad priſtinam politiam rediit Ecclesia: ac in ſynodo nationali anni 1586. unanimi conſenſu declaratur nomen Epiſcopi omnibus verbi paſtoribus eſſe commune, ac 1587. denuo Pſeudo-Archiepiſcopis Adamſono & Montgomerio litem conteſtatur eccleſia; quibus omni eccleſiaſtico munere interdicit, ac in literis ad regem, officium illud Epiſcoporum, ad quod *Robertum Pontanum*, vel invitum evehere ſatagebant aulici, non eſſe verbo Dei conſentaneum, ac frequentibus eccleſiæ decretis jam inde à profligato papiſmo damnatum declarat: deputatis eccleſiarum in mandatis datum, ut ſumma diligentia caverent ne quid ſanciretur in comitiis regni, quod diſciplinæ eccleſiaſticæ, prout ante annum 1584. recepta fuit, præjudicaret. Anno 1590. Decretum, ut paſtores omnes & quotquot ad Eccleſiaſticum quodvis munus evehendi eſſent, libro ſecundo politiæ ſubſcriberent, præſertim vero capitibus controverſis, illis videl. de rejectione Epiſcopatus, & approbatione presbyteriorum; quod denuo repetitur in ſynodo anni 1591. Denique in ſynodo anni 1592. deputatis ſynodi mandatum, ut eccleſiarum nomine inſtarent inductioni & abolitioni ſtatutorum, quibus eccleſiæ diſciplina mutata fuit, præſertim vero ſtatuti anni 1584. quo reſtitutio Epiſcoporum in comitiis ſanciebatur, ac ſerio urgerent Confirmationem Diſciplinæ in libris politiæ ſæpius approbatæ, & ubique receptæ. Quæ omnia à rege & regni ordinibus obtinuerunt; quorum publica authoritate regimen eccleſiæ per conventus Synodorum nationalium, Provincialium, Claſſicalium, & Seſſionum ſancitur, ac ſtatuta quælibet præcedentia quæ huic diſciplinæ contraria ſunt, refiguntur, præſertim vero illud anni 1584. Neque ſic contentum fuiſſe Sere-

Sereniſſ. Regem, quin ultra procederet, & ſtatutum illud, δῶρον verè βασιλικὸν ad ſynodum nationalem quæ anno 1595 cogebatur, miſerit, quod hodie inter archiva eccleſiæ relatum eſſe cernitur; Ex his, inquiunt, excerptis quivis facile colliget, quæ fuerit ſententia eccleſiæ Scoticæ circa Epiſcopatum.

Denique inquiunt; Confeſſionis hujus verba ſuo lumine ſatis perſpicua ſunt: *Deteſtamur Pontificem Romanum, Antichriſtum: mundanam ipſius monarchiam, & impiam Hierarchiam*: Porro hierarchia hæc impia vel judicio Conciliabuli Tridentini declaratur conſiſtere præcipue ex Epiſcopis; De Sacramento ordinis. cap. 4. Canon. 6. Idem expreſſe Bellarminus. lib. 7. De clericis. cap. 11. Tres, inquit, ſunt Hierarchiæ in eccleſia militante, prima pontificum id eſt, epiſcoporum, ſecunda Sacerdotum, tertia, Diaconorum; Atque hi Diaconi licet comparati, ad ſacerdotes, ſint miniſtri, ad plebem tamen comparati ſunt principes & præſules: Bellarminum vero cum nomino, aut Synodum iſtam Tridentinam, omnium omnino pontificiorum hanc eſſe ſententiam intelligi volo, nam utcunque in gradibus quibuſdam ordinum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ diſſentiant: omnes tamen conveniunt, Epiſcopatum ad hierarchiam præcipue referri: Et ſi Theologis Pariſienſibus credendum, pontifex Romanus, Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, intra Hierarchiæ ambitum cenſendi non ſunt, niſi quatenus ſunt Epiſcopi: In cenſura propoſitionum quarundam ex Hibernia delatarum per ſacram facultatem Theologiæ Pariſienſis facta. Quo etiam collimarunt Confeſſionis hujus authores; nam Hierarchiam, cujus caput eſt Epiſcopatus, à Mundana Papæ monarchia dilucide diſtinguentes, innuunt damnari à ſe hierarchiam papalem, licet abſit papalis monarchia: imo omnem illam Epiſcopatus hierarchiam

chiam (licet Papæ tanquam capiti non ſubordinetur) impiam dicit Confeſſio, epitheto perpetuo non διακριτικῷ proprietatis non diſcretionis; pontificiſqueRomani eſſe dicitur;licet apud eccleſias quaſdam prævaluerit ante plenam & perfectam papatus tyrannidem; etenim corruptiones omnes, quibus doctrina, cultus, aut regimen eccleſiarum vitiata fuerunt, à quo myſterium illud iniquitatis operari cœpit, quæ nunc à Papa retinentur, & pro quibus dimicat, merito ad Papatum referuntur.

Fulcris hiſce præcipue nitebatur Synodi ſententia, uti latius in Canonibus impreſſis deducuntur: verum antequam ultra progrediar, diſcutienda ſunt ab Epiſcopis objecta,in libello quem nomine deputati regii tum protruſerunt,quo omnibus perſuadere ſatagunt, Epiſcopatum nec abjuratum fuiſſe in confeſſionis prima obſignatione ann. 1580, nec ſtatuto Senatus regii ad 22. Sept. 1638. quo ab omnibus obſignari confeſſionem hanc denuo imperatur cum clauſula illa explicatoria; *ſecundum tenorem ac ſenſum & publicam profeſſionem, quæ in regno Scotiæ vigebat anno* 1580. Prima ratio hæc eſt. Abſit ut cujuſvis mentem ſubeat, Regem aut ſenatum regium quemlibet velle adigere in juramentum illicitum: Atqui ſi adegiſſent in abjurationem Epiſcopatus, illicitum imperaſſent, utpote quod Apoſtolicæ ſit inſtitutionis, ſanciaturque frequentibus parlamenti legibus, (quæ ad calcem tractatus ſubjiciuntur) & Canonibus Synodicis. Reſpondit Synodus: Gratis ſine ulla probationis ſpecie aſſeri EpiſcopatumDiœceſanum, aut quemlibet primatum perpetuum unius ſupra reliquos verbi presbyteros, eſſe Apoſtolicæ inſtitutionis: Etenim, nihil in ſacra ſcriptura, cui ſoli fides Chriſtiana firmiter inniti poteſt, extat, quo probari poſſit regimen hoc Epiſcopale eccleſiis traditum; Et quod ad traditiones non ſcriptas Apo-

ſtolis affictas attinet, quid ad eos qui reformatis eccleſiis nomina ſua dederunt? Nam præterquam quod patenti hac traditionum non ſcriptarum porta ſemel aperta, pontificiis tutum aſylum præberetur; & ſcripturæ ſufficientia in quæſtionem vocaretur, quibus quæſo argumentis fidem facias hoc tradidiſſe Apoſtolos? Antiquitatem, viſibilem perdurationem, perpetuam ſucceſſionem, unanimem patrum conſenſum, univerſæ eccleſiæ praxin, conciliorum authoritatem, uti non repudiant Reformatæ eccleſiæ doctores, ita media eſſe incerta, fallibilia, invictis argumentis ſolide demonſtrarunt, & in digreſſione de diſſimilitudine veterum epiſcoporum ab hodiernis, vere de epiſcopatu controverſo hæc non poſſe affirmari, ſupra oſtenſum. Sed in materia facti fidem ſaltem habendam eſſe probatorum hiſtoricorum teſtimonio: qui omnes ſeriem epiſcoporum ab apoſtolis ad ſua tempora deducunt: Et cur eadem fides non habetur iiſdem hiſtoricis fabuloſa multa narrantibus, & Apoſtolis apoſtolorumque ævo aſſcribentibus? v. g. de certamine Petri cum Simone mago, de Monachis, de Petri epiſcopatu Romano, de Petri adventu Romam, & ſimilibus: Dein quam incerta ſunt media illa quibus hiſtorici pervenerunt ad cognitionem rerum ab Apoſtolis aut viris Apoſtolicis geſtarum: audita & famâ recepta narrant. An vero famæ credat niſi inconſideratus? Et Euſebius qui hiſtoricorum princeps merito audit, propter rerum antiquarum obſcuritatem quæ profundis fere tenebris demerſæ jacebant, veniam præfari cogitur in hiſtor. ſuæ procemio. *Nam & primi* (inquit) *argumentum hoc jam aggreſſi ſumus, ac velut deſertam quandam & inuſitatam viam ingredi conamur, ubi nuſquam nobis nuda eorum hominum veſtigia deprehendere licet, qui eandem hanc ſint ante nos viam ingreſſi, niſi exiguas duntaxat occaſiones.* Denique attento lectori

quam perſpectiſſimum erit, ſui ſæculi morem præſentem nebulas illis offudiſſe, & errore eo quaſi torrente abreptos, priora ſæcula ad præſentis ſui pedem metiri ſolitos fuiſſe, uniuſque exemplum cæteros fere ἀβασανίστως imitari. Quod de legibus regni parlamentariis & Synodorum Canonibus pro Epiſcopatu affertur, ſuo loco reſpondebitur. Secunda ratio pro Epiſcopatu hiſce continetur. Non poteſt abſolute abjurari illud quod eſt mutabile, hoc enim eſſet conſcientiis laqueum & miſerrimum ſervitutis jugum imponere. Atqui Epiſcopatus eſt mutabilis, nam pertinet ad diſciplinam & regimen eccleſiæ, quæ ad eccleſiæ arbitrium mutationi obnoxia eſſe declarat articulus 20. & 21. majores confeſſionis fidei eccleſiæ Scotiæ: quare licet largiatur Epiſcopatum à majoribus anno 1580. abjuratum fuiſſe quando in diſciplinam eccleſiæ jurarunt, unde tum exulabat Epiſcopatus, id tamen non aliter intelligendum eſt, quam ſi eccleſiæ non viſum fuerit diſciplinam illam mutare, & exemplo illuſtratur regis coronandi, qui licet juret ſe populum gubernaturum ſecundum leges regni, per hoc tamen non ſtat quin leges illæ mutari poſſint: Sic abjurarunt majores epiſcopatum, quamdiu videl: eccleſia judicatura eſſet eum non ſibi fore utilem. Reſpondit Synodus. Male convenire ſecundam hanc rationem primæ, & ſententiæ Epiſcoporum in proteſtatione contra Synodum. Prima ratio dicit Epiſcopatum eſſe inſtitutionis Apoſtolicæ, Epiſcopi dixerunt eſſe neceſſarium, & ſibi à Chriſto commiſſam eſſe poteſtatem in Clerum: Nunc vero dicunt eſſe mutabilem, & ſi verbis citatorum articulorum ex confeſſione præciſe adhærere velint, inter ceremonias reponent, ab hominibus excogitatas, quæ pro loco & tempore mutabiles ſunt, & mutari debent cum fovendæ ſuperſtitioni magis inſerviant, quam eccle-

ſiæ ædificandæ: Adverſis frontibus hæc prudentioribus concurrere, ac uti Cadmæa proles mutuo ſeſe perimere videntur. Nam ſi Epiſcopatus à Chriſto inſtitutus, ab Apoſtolis eccleſiis traditus, & neceſſarius ſit, quomodo referri poterit in cenſum ceremoniarum ab hominibus pro tempore & loco excogitatarum, & mutabilium? Ad illud vero de mutabilitate diſciplinæ & regiminis eccleſiæ, fuſe ſupra reſponſum à præſide ſynodi, in diſputatione contra D. Balcanquellum ſeſſione 7. videl: intelligendum eſſe articulum de Diſciplinæ ac regiminis accidentalibus non eſſentialibus, de diſciplina particulari, non univerſali; illam enim licet mutabilem ſtatuat Confeſſio, hanc tamen immobilem declarat, utpote quod tertiam veræ viſibilis eccleſiæ notam faciat articul. 19. Confeſſionis fidei & libro primo de diſciplina ab iiſdem authoribus formato qui Confeſſionis authores fuerant, dicitur regimen eccleſiæ per quatuor genera miniſtrorum, paſtores, doctores, presbyteros ſeu ſeniores & Diaconos in ſacra ſcriptura traditum eſſe, ideoque perpetuum ac mutationi non obnoxiũ. *Nam quod præcipitur* (inquit Tertullian.) *imperatur quod imperatur neceſſe eſt fieri.* Ad illud vero Tertulliani ejuſdẽ lib. de velãdis virginibus cap. 1. *Regula fidei, quæ una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, manente, cætera diſciplinę & converſationis, admittunt novitatem correctionis, operante ſcil. & perficiente uſque in finem gratia Dei*, quem ſolum locum citat ſani Andreæ Archiepiſcopus, in refutatione libelli de regimine eccleſiæ Scoticanæ. pag. 37. Reſponderi poteſt; Dogma illud Tertulliani prorſus Montaniſmum ſapere, nam eodem capite ad finem, Montaniſmi primarium caput exerte proponit, quum liberiorem & majorem Dei gratiam ſomniat ſubſequentibus ſæculis, quam quæ temporibus Apoſtolorum effuſa erat; & comparat eccleſiam Apo-

ſtolicam

ſtolicam arbori germinanti, quæ per adventum paracleti, hoc eſt, Montani, ad maturitatem perducenda erat. Sed quid pluribus argumentis regiminis ac diſciplinæ immutabilitatem aſtruimus? en Hierarchici regiminis acerrimum propugnatorem Saraviam idem diſerte affirmantem contra Bezam. *Vt demus* (*inquit*) *quicquid Deus conſtituit, non ea forte conditione ut perpetuum eſſet, tamen ea gubernationis ratio, quę ętate Apoſtolorum fuit, ea conditione conſtituta eſt, ut perpetua eſſet.* Idem alibi. *Inſtitutum Apoſtolorum de regimine eccleſiaſtico mutari non poteſt, ut decretum Dei de ſacerdotio Aaronico mutari non potuit.* Quo etiam telo confoditur eccleſiaſtico-politicorum dogma, Conformandum videlicet eſſe regimen eccleſiaſticorum politico; quaſi alia eſſet regiminis eccleſiaſtici ratio inſtituenda ſub Monarchico regimine, quam ſub Ariſtocratico aut Democratico, ac magiſtratui eccleſiæ adminiſtratio ita commiſſa eſſet, ut liceat ipſi diſciplinam pro arbitratu ſuo mutare, & quem ſtatui ipſorum præſenti maxime expedire putaverit, obtrudere: Non ſic viſum Whitakero controverſ. 4. quæſt. 1. cap. 9. *Tot* (inquit) *poſſunt eſſe humanarum* πολιτειῶν *formę, quot ipſi homines voluerint, ſed eccleſia regi debet non ut humano ingenio arriſerit, ſed ut Chriſto eccleſię Domino ſolique principi placet: quam ergo Chriſtus formam inſtituit, ea ſervari atque optima judicari debet, & inepte faciunt qui ex Philoſophorum ſententiis, aut humano judicio ſtatuunt, quam formam regendę eccleſię Chriſtus prę ſcripſerit, qui politias non prę ſcripſit.* Et Mattheus Sutclivius de pontifice Roman. lib. 1. cap. 1. dum convellit argumentum illud Bellarmini pro Monarchia eccleſiaſtica deſumptum à Monarchia civili, quaſi videlicet una & eadem utriuſque eſſet ratio, ſic loquitur: *Sicut unus eſt eccleſię ſummus princeps Ieſus Chriſtus, ſic una eſt eccleſię vera & eſſentialis forma:*

At rerum publicarum ut varij ſunt magiſtratus ſic variæ reperiuntur formæ, nam hæc à rege, illa ab optimatibus, alia à potentioribus & locupletioribus de populo regitur: omneſque iſtæ formæ bonæ ſunt. At ſecus fit in eccleſia: nam & unus eſt ſummus eccleſiæ Rex, & una eſt eccleſiaſticę politiæ ratio, à qua qui diſcedunt, in labem gubernationis incidunt, & Chriſti leges tranſgrediuntur. Denique uti doctiſſimus Feildus de eccl. lib. 5. cap. 45. ſub initium arguit contra Papæ poteſtatem in temporalibus, ſic hic. *Nemo hominum immutandi rem aliquam, poteſtatem habet, niſi ille tantummodo cui gradu eminenti ineſt, & à quo illa originaliter derivatur.* Hæc ille, Atqui regimen eccleſiaſticum qua tale, magiſtratui non ineſt eminenter, neque ab eo originaliter dependet: nam utrumque regimen à Deo authoritatis ſuæ originem trahit, & neutrum ab altero in proprii muneris functione dependet, ac diſtinguuntur ratione formalis objecti, modo agendi, finibus, ita ut ſine confuſione in unam perſonam coaleſcere non poſſint: unde illud Ambroſii epiſtol. 33. ad Valentinianum Imperatorem. *Noli te gravare imperator, ut putes in ea quæ divina ſunt, aliquod imperiale jus habere, politicorum tibi mœnerum jus commiſſum eſt non ſacrorum.* Ergo regimen eccleſiaſticum quod eſſentiale eſt, à magiſtratu immutari non poteſt: Addo quod eſſentiale eſt, nam in politia eccleſiæ externa quatenus ſpectat adiaphora, magiſtratui Chriſtiano ſupremam poteſtatem cum omnibus reformatis lubenter tribuimus: Aſt vero in rebus neceſſariis & perpetuis Chriſtum ſolum eccleſiæ principem agnoſcimus. Neque eſt quod quiſpiam calumniam collateralitatis hic objiciat, quaſi in una republica duas poteſtates pariter authenticas, hoc eſt civile, & eccleſiaſticum ſententiæ hujus fautores ponerent: Nam ut gubernationes vere ſint collaterales hæc inprimis neceſſario requiruntur, quæ hic deprehendi non poſſunt.

ſunt. 1. Ut eodem eminentiæ gradu utrumque regimen Deo ſubſit: Politicum vero ſubordinatur Deo inſtar Dominatus, eccleſiaſticum eſt tantum famulitium, & ſimplex miniſteriũ inferius ſubjectum: uti loquitur Rollocus Edenburgenæ eccleſiæ paſtor & profeſſor ὁμογνωμόνως in 1. Theſſal. 5. 12. 13. 2. ut parem poteſtatem vice verſa in ſe invicem habeant: eccleſiaſtica poteſtas rebus ad politicam poteſtatem pertinentibus ſe non immiſcet, & ſi officio ſuo deſit, non poteſt contra eam, niſi via monitionis procedere, docet ſolum, ſuadet, monet, rogat. At poteſtas politica Chriſtiani magiſtratus ſe extendit ad externum eccleſiæ regimen quoad indifferentia & mutabilia, & ſi deviet poteſtas eccleſiaſtica, coactiva vi inſtruitur. 3. Ut æquali potentia populum ſibi concreditum moderentur: poteſtas eccleſiaſtica verbo aberrantes oves arcet, & recolligit, perſuadendo ſervit hominibus qui Chriſto ſeſe ſubmiſerunt: Politica vero ubi facinoroſos legibus ſubjectos tenuerit, magnam quam obtinet, declarat poteſtatem, & invitos cogit recedere à perverſis ſuis moribus, cogendo dominatur. Atque hæc ad rationem ſecundam, qua oſtenditur Epiſcopatum inter mutabilia diſciplinæ non fuiſſe agnitam ab eccleſia Scotica, neque diſciplinam omnem mutabilem eſſe, nec pro arbitrio principis ſupremi policiti in eſſentialibus mutari poſſe, aut ad idæam politici regiminis conformari. Si cui duriora hæc videbuntur, ac calumniis imminutæ majeſtatis regum arceſſat, quaſi hujus ſententiæ fautores deſertis hic reformatis in Ieſuitarum caſtra transfugerent; (prout non puduit maledicum rabulam inter plauſtra illa convitiorum & nequiſſimarum calumniarum, quibus afflictam eccleſiam Scoticã fruſtra onerare ſatagit, in putido iſto famoſo libello, quem obſtetricantibus furiis non ita pridem extruſit, ſub titulo fictitiæ epiſtolæ con-

gratulioriæ Lyſimachi Nicanoris Ieſuitæ ad fœderatos Scotos, quos nebulo mentitur difficiles illas tempeſtates cum quibus adhuc conflictantur, ſubiiſſe, ut excuſſo legitimi regiminis jugo, cui lubentes parent, Ieſuitiſmum promoverent, quem perfecto odio abominantur,) ſi, inquam, cuiquam propoſitum in ſententiam hanc debacchari; meminerit in Saraviam, Sutclivium, Feildum, ac Whittakerum, ut alios non nominem, omnem prius iracundiam effundere, qui hanc eandem ſententiam jampridem cum laude propugnarunt, in hos quibuſcunque velit, convitiis ac contumeliis ſeſe exſatiet, & ſi mortui non poſſunt, vivi ſaltem remordebunt, neque patientur orthodoxum dogma impune à ſcurris traduci.

Tertia ratio qua probatur Epiſcopatum in fœdere & confeſſione non abjuratũ fuiſſe, hæc eſt: Quia ipſi fœderati in diſputationibus cum Abredonenſibus hoc faſſi ſunt; & inter alias rationes quibus diſſuadebant ſubſcriptionem fœderis à rege imperati, hanc allegabant, quod Regi ſubſcriptione iſtius fœderis propoſitum eſſet Epiſcopatum tueri. Reſpond. Licet in diſputationibus illis negaverint expreſſe & ſpecifice abjuratum fuiſſe Epiſcopatum in poſterior fœderis parte, quæ continet applicationem ad præſentia tempora: Nunquam tamen negarunt virtualiter eundem abjurari in corpore confeſſionis ipſius, & ſpecialem quæſtionis hujus determinationem ad ſynodum remiſerunt, cujus ſententia unanimi declaratur, Hierarchiæ papalis nomine rejici Epiſcopatum Diœceſanum hodiernum: Ac licet inter alias recuſati fœderis à Rege imperati rationes, hanc allegaverint, regi videlicet propoſitum fuiſſe Epiſcopatum tueri, utpote quod articulum de diſciplina reſtringeret ad eam

quæ

quæ tum obtinuit, hoc eſt Epiſcopatum. Cum tamen ſenatores regii in ſtatuto explicatorio addidiſſent; *Se ſubſcribere & imperare aliis ſubſcriptionem hujus fœderis ſecundum ſenſum & tenorem majorum fœdus illud primitus obſignantium*, Atque jam conſtet majores Epiſcopatum tum rejeciſſe; aperte ſequitur, eos qui fœderi & confeſſioni à Rege imperatæ ex præſcripto ſenatus Regii ſubſcripſerunt; epiſcopatum etiam rejeciſſe & virtualiter abjuraſſe.

Ratio, 4. Qui jurat, tenetur in illum ſenſum jurare quem ſcit aut ſaltem probabiliter credit intendi ab eo qui in ſacramentum adigit: *Perjuri ſunt*, (inquit Auguſtinus) *qui ſervatis verbis exſpectationem eorum quibus juratum eſt deceperunt:* Et Cicero. *Quod ita juratum eſt, ut mens deferentis fieri conciperet oportere, id ſervandum eſt.* Atqui omnibus quam notiſſimum fuit, Regem in juramentum & ſubſcriptionem fœderis adigentem, intendiſſe, ut obſignatione illius fœderis tueretur Epiſcopatus in regno & eccleſia Scotica. Itaque quicunque paſſi ſunt ſe in illud ſacramentum adigi, tenentur Epiſcopatum tueri; tantum abeſt ut abjuratum eſſe exiſtiment. Reſpond. Veram eſſe majorem de juramentis quæ primum concipiuntur ab eo qui juramentum defert; Aliam tamen longe eſſe rationem ejus jurisjurandi, quod non primitus concipitur ab eo qui defert, ſed a majoribus antea conceptum repeti jubetur idque in majorum ſenſum, excluſo quolibet alio ſenſu qui majorum ſenſum deſtruat: In quod qui ſe patiuntur adigi, obligatione juramenti tenentur non tam ad mentem illius qui præſens defert, quam ad mentem eorum qui primitus juramẽtum illud conceperunt, præſertim ſi eorundem ſenſus in ipſa jurisjurandi formula ſeſe perſpicue ſatis prodat. Ad minorem. Quæcunque demum fuerit aut ſit

 ſere-

Sereniſſimi Regis mens de Epiſcopatu in eccleſiis Anglicanis & Hibernicis, non eſſe ſui muneris inquirere, Optare ſe iiſdem veritatem & pacem: ac ut omnia ibidem ad exemplar in monte oſtenſum componantur: Subditis hujus regni quam notiſſimum eſſe, ſenatores regios ex quorum præſcripto juramentum illud exigitur, clare & perſpicue pronuntiaſſe, Confeſſioni ſubſcribendum eſſe ſecundum ſenſum majorum qui annis 1580. & 1590. illam primitus obſignarunt, & diſertam clauſulam expoſitoriam addidiſſe, tam in obſignationibus ſuis, quam in ſtatuto quo aliis omnibus fœderis obſignationem imperabant nomine Regio. Qua clauſula neceſſario epiſcopatus abjurandus eſſe intelligitur, utpote, quod ſole meridiano illuſtrius ſit, iis qui affectu & præjudiciis abripi ſe non patiuntur, Epiſcopatum controverſum de eccleſia Scotica prorſus profligatum tum fuiſſe; neque adhuc legitimæ alicujus & liberæ Synodi nationalis authoritate revocatum: ac reponendum eſſe inter corruptelas diſciplinæ de quibus merito queſta eſt eccleſia; Cum vero, mandato renovandi obſignationem antiquæ confeſſionis & fœderis, omnium ſubditorum chirographis & juramento; ex animo inſtituerit ſereniſſ. Rex, eccleſiæ æquiſſimis & moderatis poſtulatis ſatiſfacere, removendo corruptiones, quæ hactenus irrepſerunt, & promovendo puritatem religionis, non doctrinæ ſolum, verum etiam diſciplinæ, (cui contrarium eſſe Epiſcopatum ſemper judicavit hæc eccleſia.) Non dubitandum, quin pro ſingulari pietate & juſtitia à Deo majeſtati ipſius indulta, intellecto vero ſtatu hujus eccleſiæ ex vera & perfecta relatione conſtitutionum Synodicarum, tandem judicaturus ſit Epiſcopatum repugnare confeſſioni & fœderi ex ipſius ſpeciali præſcripto obſignatis.

Ratio quinta & ultima, quæ prioribus firmandis ut

ut plurimum ſubſervit hæc eſt: Nunquam oſtendi poterit quo tempore majores Confeſſionem illam obſignarunt, abjuratum fuiſſe ab iis epiſcopatum: quin contra evidentia exſtant indicia quibus ſtabiliri epiſcopatum oſtenditur, nam ſub principio Confeſſionis hæc habentur verba: Confeſſionem hanc approbatam eſſe à plurimis exteris eccleſiis, receptam in eccleſia Scotica, & regis ac trium ordinum regni authoritate ſancitam ut Dei æternam veritatem, quæ ſalutis fundamentum contineat: Annon vero Eccleſiaſtici majores, hoc eſt, Epiſcopi, Abbates, Priores, tertium regni membrum faciebant? & cuiquam credibile illos iſtud ſancituros, quod ipſorum ordinem funditus deſtrueret? Sed largiatur a ſynodis eccleſiaſticis abjuratum tum fuiſſe epiſcopatum; ſtatuta tamen parlamentaria adhuc nondum refixa pro Epiſcopatu faciunt, in quæ Synodi nationales nullam authoritatem arrogabunt niſi in Ieſuitarum caſtra tranſfugiant: Dein rationibus hiſce bene longus Catalogus legum parlamentariarum in gratiam Epiſcopatus ſubjicitur. Reſpon. Ex publicis & authenticis eccleſiarum regiſtris ſupra perſpicue oſtenſum eſt, abjuratum fuiſſe epiſcopatum, quando à majoribus anno 1580. & 1590. obſignata eſſet confeſſio: verbaque quibus canones Synodici epiſcopatum damnabant, uſque adeo evidentia, ut acerrimis hierarchiæ propugnatoribus nullum ſubterfugium, nullam poſticam relictam fuiſſe pro epiſcopatu revocando in eccleſiam hanc, apparuerit; neque in hanc rem quidquam expreſſius à quolibet licet omnes ingenii nervos intenderet, dici potuiſſe. Ad clauſulam illam in ratione contraria allegatam, Confeſſionem videl. ſancitam fuiſſe authoritate trium ordinum regni; quorum unum Eccleſiaſticos feciſſe dicitur. Reſpond. Verba illa intelligenda ſunt de majori confeſſione fidei, & de religionis doctrina,

na, non vero diſciplina, nam hæc tandem recepta fuit anno 1580. Atque licet de diſciplina intelligeretur, nihil lucri Epiſcopatui firmando accederet, utpote quod nihil inde elici poſſit pro Epiſcopatu ac ſi tum vigeret, niſi per longiſſime deductas conſequentias; quæ admittendæ non ſunt quando dilucide patet conſequentias illas ſeu poriſmata expreſſis verbis ab eccleſia damnata fuiſſe: At cur, inquies, fit mentio trium ordinum regni, niſi admittantur eccleſiaſtici? Reſpond. Verba eſſe *ſtyli curiæ*, (ut loquuntur) religioſe obſervata ſine ulla mutatione, etiam in iis parlamentis quibus nulli adfuerunt omnino Eccleſiaſtici, & in quibus à ſententiæ dictione penitus excluſi fuere: Quod vero additur de ſtatutis parlamentariis nondum refixis, quæ pro Epiſcopatu faciunt. Reſpond. Licet illud concederetur; eorum tamen beneficio deſtitutum nunc eſſe Epiſcopatum, utpote quod unanimi conſenſu Regis, deputati regii, Senatus, & collectivi corporis regni legibus omnibus renunciatum ſit, quæ diſciplinæ anno 1580, cum majores confeſſionem primitus obſignaſſent, receptæ repugnant; inter quas, ſi ullæ exſtent, de epiſcopatu primas partes facile tenent; quia nempe non ſolum non convenit cum diſciplina quæ tum viguit, verumetiam eandem penitus deſtruit. Addunt, non recurrendum eſſe ad ſtatuta parlamentaria ut oſtendatur quænam fuerit eccleſiæ ſententia de epiſcopatu, & lubricum eſſe ſi non ſophiſticum arguendi genus, eccleſiæ ſententiam affingere ex longe petitis conſequentiis, quæ in detorſione ſententiolæ ad formam ſolam uſitatæ, fundantur, contra eccleſiæ expreſſam mentem: ejus genuinam diſciplinam ex alveario Canonum Synodicorum, libris politiæ, in hunc ſolum fere finem conſignatis & conſcriptis petendam eſſe; In quibus omnia contra Epiſcopatum plana & perſpicua eſſe ſupra fu-

ſius

ſius oſtenſum : At, inquies, quicquid ſit de Canonibus eccleſiaſticis contra Epiſcopatum ; notum tamen eſt, in epiſcoporum gratiam plurima eſſe à Rege & Ordinibus regni ſancita, quibus refigendis nullam authoritatem habet Synodus quælibet eccleſiaſtica. Reſpond. Quandoquidem poteſtas civilis & eccleſiaſtica inter ſe diſtinctæ & ſeparatæ ſint & à ſe ſubſiſtant diviſim & ſeorſim, neutra ab altera dependens in iis rebus quæ ad utramvis juriſdictionem proprie pertinet, & utraque alteri ſubſit in iis rebus quæ ad propriam juriſdictionem alterutrius non pertinent; hoc eſt, ratione rerum ſpiritualium à Chriſto Eccleſiæ commiſſarum, civilis poteſtas eccleſiaſticæ ſubeſt, ratione vero rerum mundanarum eccleſiaſtica poteſtas civili ſubeſt, ita quidem ut ſicuti eccleſiaſticis non liceat leges civiles ſancire aut refigere, neque poſſint regni ordinibus obſtare, quin leges de rebus civilibus rogatas aut irritas jubeant, ſic nec poſſint ordines regni in comitiis leges de rebus quæ ad eccleſiaſticam poteſtatem proprie pertinēt, originaliter ſancire, aut ab eccleſia in re propriæ juriſdictionis latas refigere, aut obſtare ne à ſe latas refigat eccleſia. Etenim licet ſynodorum decreta de rebus proprii fori publico civilis poteſtatis edicto ſanciri poſſint, & vero ſancita ſint, ut ſic legis vim habeant, quod veteres κύρωσιν δεσποτικὴν vocarunt, ad vigorem ſcil: publicæ obſervantiæ, hoc tamen non impedit, quin eccleſia poſſit decretum proprium reſcindere, quo reſciſſo ex conſequenti reſcindi intelligitur civilis illa ſanctio, utpote quod ſynodi decreto tanquam fundamento innitatur : Contraria vero aſſertio eorum, qui tuentur, non poſſe eccleſiam ſemel à ſe decreta de rebus proprii fori, & legibus civilibus ſancita reſcindere, uſque adeo abſurda eſt, derogatque prærogativæ & juri Chriſti regio, ejuſque ſacris inſtitutis, ac libertati eccleſiæ, cui

ut

ut dilectæ ſponſæ poteſtatem illam ſuam utendam, fruendam, ad verbi ſui amuſſim, in membrorum ſuorum ædificationem, teſtamento ſuo ſacro commiſit, ejuſque poteſtatis exercitio libero in Synodis eccleſiaſticis, denique uſque adeo repugnat juriſdictioni eccleſiaſticæ, cujus naturam deſtruit, finem proprium pervertit, ejuſque animam quaſi vitalem ſuffocat, ut confidendum ſit, paucos eam amplexuros.

Accedamus tandem ad examinationem farraginis legum, quas in comitiis trium ordinum regni ſancitas dicunt in gratiam Epiſcopatus, & quas ad pompam & ſpeciem longo ordine inſtruunt, ut earum frequentiſſimo numero, & denſa acie eminus terreantur lectores, libellus ille ordinem annorum quibus illæ ſanciebantur, ſequitur; qui nobis non eſt premendus, ne inutili repetitione rerum earundem actum reiterare cogamur. Ego leges illas hoc ordine diſponam. Primus continebit eas quibus in reformationis primordiis Epiſcopatum abolitum non fuiſſe demonſtrare conantur. Secundus, eas quæ confirmationem aut reſtitutionem privilegiorum politicorum Epiſcopis ſanciunt. Tertius vero, leges illas quibus eccleſiaſticam poteſtatem Epiſcopis conceſſam dicunt.

Primus ordo leges continet, ſancitas in parlament. 1567. ſtat. 2. quo cavetur ne quis Epiſcopus aut prælatus quamlibet juriſdictionem exerceat quæ à Romani pontificis authoritate fluat, & ſtat. 3. Quo reſcinduntur ſtatuta omnia præcedentium temporum verbo Dei & confeſſioni fidei, quam ordines regni tum ratam habuerunt, contraria. Unde colligitur reformatoribus non fuiſſe tum propoſitum Epiſcopatum ſimpliciter ſupprimere, ſed quatenus ſolum dependeret à Pontifice Romano; & ſtat. 8. quo præſcribitur juramentum regi coronando

nando

nando deferendum, ſe videl. promoturum veram Chriſtianam religionem, & legitimam ſacramentorum adminiſtrationem, prout illa tunc obtinuerunt; nulla prorſus diſciplinæ facta mentione, utpote quod Pontificiæ eccleſiæ diſciplina, quæ Epiſcopatum fovet, nullam tunc mutationem paſſa ſit, idem etiam innuitur ſtat. 68. parlam. ann. 1579. Reſpond. Notiſſimum eſſe Reformatores primos corruptam eccleſiæ diſciplinam æque ac doctrinam reformaſſe; ac Epiſcopatum rejeciſſe, non ſolum quatenus à Pontifice dependet, verum in totum; ac declaraſſe per nullos alios eccleſiam regendam eſſe, quam per paſtores, doctores, presbyteros ſeu ſeniores, & diaconos: ac in ſingulis hiſce miniſtrorum generibus paritatem agnoviſſe; Ac licet epiſcopis quibuſdam qui reformationi ſe adjunxerunt, à regni ordinibus indulti ſint reditus, ne jus tamen eccleſiaſticum exercerent, ſevere in Synodis interdixiſſe eccleſiam; idemque ex verbis primi illius ſtatuti quod citatur, colligitur ordines regni in comitiis ſanciviſſe. Nam cum nulla alia juriſdictione eccleſiaſtica veſtiti eſſent illi Epiſcopi, quam quæ à Papa flueret; & vero ne eam exercerent interdictum eſſet, omnem omnino eccleſiaſticam juriſdictionem ſtatuto eo ipſis ademptam quis neget? Præſertim cum nulla alia ſit Epiſcoporum juriſdictio quam Pontificia; quod conſarcinator hujus libelli non negat, cum aſſerit, veterem eccleſiæ diſciplinam hoc eſt Pontificiam, nullam mutationem paſſam fuiſſe, quod licet falſum eſſe, cuivis reformationis Scoticanæ hiſtoriam delibanti conſtet, fatetur tamen author quiſquis eſt, juriſdictionem quam ſibi vendicant hodierni Epiſcopi, eandem eſſe cum Papalium Epiſcoporum juriſdictione, ideoq; ad impiam Papæ Hierarchiam in fœdere majorum abjuratam, referendam eſſe: quam ex eccleſia Scotica in reforma-

tionis

tionis primordiis ejectam fuiſſe, impudens eſt qui neget; Etenim myſterium illud papatus primum cœpit à corruptione diſciplinæ, per quam viam ſibi ſtravit ad corruptionem doctrinæ; Quare reformatores Scoti utramque pariter ab Antichriſti ſordibus repurgarunt, & ſicuti ſummam doctrinæ in confeſſione ordinibus regni exhibita, conſignarunt, ſic fundamenta diſciplinæ in libro primo de Politia eccleſiæ; ſimul & ſemel expreſſerunt; neque prius deſtiterunt quam perfectionem eamDiſciplinæ tandem promoviſſent, ac ab omnibus ſordibus primævo ſuo nitori reſtituiſſent.

Secundus ordo ſtatutorum municipalium quæ pro Epiſcopatu afferuntur, continet leges quibus ſtatus ſeu ordinis Eccleſiaſtici privilegia & immunitates ſanciuntur. Uti ſunt Iacob 6. parl. 1. ſtatut. 24. & parl. 2. ſtat. 35. & parl. 11, ſtatut. 23. & parliam. 17. ſtatut. 231. & parl. anni. 1606. ſtat. 2. & parliam. 20. ſtat. 6. Reſpondit Synodus, Statuta hæc de privilegiis ſolum politicis & immunitatibus civilibus agere, alia vero de exemptionibus eorum qui titulo Epiſcoporum & reditibus Abbatiarum ad vitam gauderent. Dein ſi quæ ſtatuta mentionē faciant totius ordinis eccleſiaſtici, privilegia legibus illis conceſſa diſerte reſtricta eſſe iis qui munere & functione eccleſiaſtica rite fungebantur; non vero extendi poſſe ad eos, qui relicta functione eccleſiaſtica, ad quam nunquam vocati fuerunt ab eccleſiis, inani titulo ac reditibus eccleſiaſticorum gaudebant: quo ſolum nomine Epiſcopis illis ſententiæ dictio in ſupremis regni Comitiis permiſſa fuit, quod alibi etiam in quibuſdam reformatis provinciis cernitur: Etenim in ditione Ultrajectina Belgii Confœderati, qui titulo & reditibus eccleſiaſticorum gaudent, primum provinciæ illius membrum conficiunt, & nomine Eccleſiaſticorum veniunt, licet nulla eccleſiaſtica

fun-

functione in eccleſiis gaudeant: Et ut uſitatus curiæ ſtylus conſervetur, Præpoſitorum, Canonicorum & cæt. nomina retinentur, licet politia illa Pontificiorum jamdudum apud eos exoleverit: Sic in regno Scotiæ ordinaria fit mentio Eccleſiaſticorum ſeu Clericorum, ratione videlicet redituum & poſſeſſionum, non vero ratione officii alicujus eccleſiaſtici: Quare ſtatuta illa parliamentaria nihil loquuntur de juriſdictione eccleſiaſtica titularibus illis Epiſcopis debita. Adde quod in Comitiis regni anno 1597. ſtatuto. 231. licet iis qui reditibus Epiſcopatuum & Abbatiarum gauderent, conceſſum ſit jus ſuffragii in conventu ſupremo ordinum, expreſſe tamen cavetur, ne hoc ordinariæ & ſequentibus legibus ſancitæ diſciplinæ, & juriſdictioni Synodorum, presbyteriorum, ac ſeſſionum detrimento ſit; Item ibidem ſtatuitur, ut qui ad titulos illos promoveantur, operam ſuam particularibus eccleſiis addicant; quod cum infra dignitatem ſuam putent Epiſcopi, & deſerto verbi miniſterio juriſdictionem omnem Eccleſiæ ſibi ſolis arripuerint, iniquum eſt ut hujus privilegii beneficio fruantur: Ac licet iſtarum conditionum & reſervationum nulla eſſet expreſſa facta mentio; ordinaria tamen & recepta conſuetudo in Comitiis regni, quæ quicquid ſanciunt, ſalvo jure cujuſlibet, ſancitum eſſe declarant; ſatis oſtendit, illorum privilegiorum conceſſione, non eſſe ademptum eccleſiæ & ſponſæ Chriſti jus ſuum: quaſi non liceret eos in jus vocare, aut in manifeſtorum ſcelerum convictos non animadvertere; præſertim cum privilegium illud ſuffragii, iis conceſſum fuiſſe conſtet qua eſſent Eccleſiæ deputati, cui legationis ſuæ obitæ rationem redderent; à qua exauctorati, jus etiam ſuffragii in Comitiis regni amitterent:

Tertius ordo urget, Epiſcopis præter privilegia civilia, conceſſam eſſe juriſdictionem in paſtores,

Atque in hunc finem citantur omnia ea ſtatuta quæ leviſſimam mentionem faciunt Epiſcoporum; in cauſis quibuslibet eccleſiaſticis; præſertim in cauſis quæ proprie eccleſiaſticæ nō ſunt, ut ſunt matrimoniales: & cæt. Iac. 6. parl. 3. ann. 1572. cap. 46. Archiepiſcopis & epiſcopis conceditur authoritas deponēdi à functione eccleſiaſtica eos qui Confeſſioni fidei non ſubſcripſerint, & Regi juramentum fidelitatis non præſtiterint. Et cap. 48. in viſitationibus eccleſiarum commodam paſtoribus habitationem deſignandi. & 54. adigendi parochianos ad templorum fabricam reparandam; & parl. 4. ejuſdem Iacobi 6. ann. 1573. cap. admonendi eos qui matrimonii fidem malitioſa deſertione violant, & pertinaces admonitionum contemptores per paſtorem eccleſiæ excommunicandi. Reſpondet Synodus: Quæcunque in ſtatutis illis Epiſcopis deferuntur, expreſſe etiam delata ſunt Superintendentibus, ac Eccleſiarū Commiſſariis: quo conſtare poſſit Epiſcopis qua talibus hæc non competere, verum licuiſſe Eccleſiæ eos qui titulo & reditibus Epiſcopatuum gaudebant, delegare ad executionem Canonum quorundam eccleſiaſticorum; Dein temporum illorum annales diſerte teſtari dicunt, Eccleſiam ratam non habuiſſe ſubdolam & tantum non violentam Epiſcoporum per Proregem obtruſionem; Tertio, Poſterioribus Comitiorum ſtatutis, quibus regimen eccleſiæ in libro ſecundo Politiæ ſancitur, omnes illas leges in Epiſcoporum gratiam conditas, antiquatas fuiſſe; Idem etiam reſponſum refert Synodus ad ſtatuta illa anni 1584: contra quæ Eccleſiarum deputati tum publice proteſtati ſunt, & quæ expreſſis verbis refiguntur in Comitiis anni 1592. cap. 114. At ſaltem, inquies, Statuto anni 1584. Epiſcopi reſtituuntur ad jus ſuffragii in Comitiis; Reſpondet Synodus; Non Epiſcopi ſolum, verum & omnes majores prælati, inter

ter quos cenſentur Abbates, Priores, & cæt. ad idem privilegium, ſtatuti illius vigore reſtituuntur; Neque tamen inde colligi poteſt; Abbatum, aut Priorum officia ab eccleſiis unquam approbata fuiſſe: Deinde Epiſcopis privilegium illud reſtitutum fuit; non tamen quatenus Eccleſiaſticis, ſed qua poſſeſſores erant Baroniarum Epiſcopatibus Papiſmi tempore annexarum: Quod vel inde liquido conſtat, quia qui Epiſcoporum nomine in Comitiis tum venerunt; ſæpius nobiles fuerunt, nulla eccleſiaſtica functione gaudentes; ſic Robertus Comes Marchiæ regis Iacobi avunculus Epiſcopus Cathaneſiæ dicitur: ſic alii nobiles Abbatiarum & Prioratuum poſſeſſores, ordinario curiæ ſtilo, abbates vocabantur: Quare cum ratione beneficiorum Epiſcopis, Abbatibus, & cæt. ſuffragium in ſupremo ordinum conventu conceſſum ſit, beneficiis illis coronæ regiæ annexis, (uti cavetur parliam. 11. ann. 1587. cap. 29. qua annexatione ordinem Epiſcoporum indirecte ſaltem abolitum fuiſſe conſtat;) privilegium illud ſententiæ dictionis in Comitiis ſua ſponte corruit, uti in Abbatibus corruiſſe nullus ignorat: Neque verendum eſt ne excluſis eccleſiaſticis, ſeu Clero (ut ſalutari cupiunt Hierarchici) diminutionem integritatis membrorum ſuorum ſentiat Parliamentum: Nam ab ipſis regni primordiis, diu ante incarnatum Chriſtum, tribus membris conſtitiſſe regni Scotiæ ordines conſtat, inter quos nullus fuit ex Clero; & à Rege Donaldo qui regum omnium primus Chriſtianos ritus anno Chriſti 199 recepit, ad Eugenii uſque tempora poſtrema, Eccleſiæ Scotorum per Monachos, (Culdæos id eſt Dei cultores vocabant) populi ſuffragiis electos regebantur, abſque Epiſcopis, quos primum Palladius à Cœleſtino Pontifice Romano miſſus, in Scotia creavit, Eugenio Rege circa annum 450. Itaque toto illo 251. annorum ſpatio

ordinibus regni Scotiæ ſua conſtabat integritas ex tribus membris, videlicet, nobilitate majori, minori, & civitatum legatis; excluſo Clero, cui tum religio fuit civilibus negotiis ſe immiſcere: Et qui poſtea ex Monaſteriis electi fuerunt Epiſcopi, functioni ſolum eccleſiaſticæ; quæ tum nondum quæſtuaria erat, ſeſe penitus addixerant, uti referunt annales ad annum Chriſti 854. Cumque Clerum à priſtina ſanctimonia & ſimplicitate degeneraſſe cerneret Conſtantinus Rex, luxu corruptum, venationibus, aucupiis, aulicæque pompæ deditum; ad veterem parſimoniam & temperantiam legibus ſeveriſſime latis reduxit: Tum decretum ut ſacris tantum incumberent, prophanis abſtinerent: Annotantibus hiſtoricis in vita Conſtantini ſecundi ab iiſdem proditum, ſero admodum Antichriſto Romæ in in ſolium collocato Epiſcopos ad ſæculares dignitates promotos fuiſſe; etenim licet Gregorius Scotorum rex 73. circa annum Chriſti 900 leges de libertate eccleſiaſtica primus fere tulerit; ad tertium ordinum regni membrum non fuiſſe admiſſos eccleſiaſticos, illarum legum fragmenta, & hiſtoriæ teſtantur; quin contra, immunitas illa miniſtrorum eccleſiæ, eo fine ſanciri dicitur, ut à mundanorum negotiorum moleſtiis & ſtrepitu exempti, liberius Deo in vocatione ſua ſervirent: Porro licet poſterioribus quibuſdam ſæculis Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus ſententiæ dictio in Comitiis regni ratione ampliſſimarum Baroniarum, quas regum improvida prodigalitate poſſidebant, conceſſa ſit, nunquam tamen dignitatem hanc ſibi arrogare auſi fuerant, quaſi ſibi ut regni membro debitam; nam nobilitatem majorem, minorẽ ſeu libere-tenentes, & civitatum legatos, tres regni ordines conſtituiſſe negari vix poteſt: De majori nobilitate & civitatibus, nullus adeo effrons qui in quæſtionem vocet: Si quid contro-

troverſi, illud totum de minori nobilitate, ſeu libere-tenentibus qui de Domino rege tenent in capite (ut municipalium legum verbis loquar.) Atque Iacobi primi regno, conſtat jus ſuffragii iis olim competiviſſe; parl. 7. cap. 101. utque decentius omnia in ſupremo illo conventu peragerentur. Indultum fuiſſe iiſdem ut in ſingulis provinciis duos delegarent, qui omnes libere-tenentes in iſtis provinciis repræſentarent; quod repetitur denuo in parlia. 11. ſub Iacobo 6. cap. 113. anno ſcil. 1587. quo ſancitur vocandos eſſe minores Barones ſeu Provinciarum deputatos ad parliamentum, literis ex Cancellaria, quo modo alii regni ordines vocari ſolent; iiſque præſentibus eadem cum aliis ordinibus privilegia concedi, ut vid. Articulorum Domini ſeu Apolecti pari numero ex his eligantur quo ex civitatum legatis eligi ſolent: Quare licet ex Eccleſiaſtico ordine nullus interſit Comitiis, tres tamen regni ordines ſtatuto hoc deſignati, Parliamenti integritatem conſtituunt, quibus ſi addas ordinem eccleſiaſticum, quartum illud membrum redundabit; Aut ſi ordinis eccleſiaſtici præſentia uſque adeo neceſſaria, cur Epiſcoporum ſolorum ſit mentio? quandoquidem compertum ſit, corruptioribus ſæculis quibus eccleſiaſtici ad jus ſuffragii promovebantur, plures duplo ſemper interfuiſſe Abbates & Priores, quam Epiſcopos: qui omnes ſimul cum nobilitate majori, cum à regibus Baroniis ditati eſſent, unum ordinum regni membrum conſtituebant, ſicut hodie in Anglia cernitur.

Denique à libelli iſtius authore objicitur: Licet plurimas mutationes paſſus ſit Epiſcopatus, tandem tamẽ ann. 1606. reſtitutus fuit Epiſcopatus & reſtitutio illa reiterata ac ad majorẽ cautelam confirmata in Comitiis anni 1609. & 1617. Reſp. ſynodus. Ann. 1606. Secularia beneficia illa Epiſcopatuũ conceſſa

fuiſſe quibuſdam quos titulo antea rex ornaverat, juriſdictionis autem eccleſiaſticæ nulla prorſus mentione facta: ſicuti nec in Comitiis anni 1609. nam expreſſe dicitur, Epiſcopos ad temporalem juriſdictionem, & privilegia anteceſſoribus conceſſa, quæ à regia majeſtate fluunt, eſſe reſtitutos: quibus clauſulis excluditur ſpiritualis illa juriſdictio quam ſibi in Eccleſias arrogant Epiſcopi: tum quia temporalis non eſt, aut mundana, tum quia à rege fluere non poteſt, quod non negant Epiſcopi in proteſtatione ſua contra Synodum; cum ſe à Chriſto Epiſcopos conſtitutos aſſerant, nec juriſdictionem ſuam Synodis, Regi, aut Parliamentis acceptam ferant: Quod ad ſtatutum illud anni 1617. quo ſancitur, Epiſcopos per Capitulum eligendos, ac ritibus, ceremoniiſque conſuetis conſecrandos. Reſpondet Synodus: Leges politicas de rebus eccleſiaſticis, cum proprie ratificationes, ut ita loquar, ſint & tantum ſanctiones Canonum eccleſiaſticorum, ad vigorem publicæ obſervantiæ, quam ſub pœna civili imperant; firmitatem ſuam mutuari à Canonibus, utpote fundamento cui innituntur: quibus reſciſſis, non poſſunt non eſſe irritæ leges illæ civiles iis ſuperſtructæ; Atque leges & ſtatuta anni 1617. Canonibus ſynodi Glaſguenſis anni 1610. innituntur; quam multis nominibus illegitimam fuiſſe cum jam demonſtratum ſit; ex conſequenti neceſſario infertur, leges illas jam non ligare: Præſertim cum nihil unquam decreverit eccleſia de Epiſcoporum conſecratione, aut electione, neque eo uſque proceſſerit Pſeudo-ſynodus iſta, ut Diœceſanum Epiſcopatum (qui nunc in quæſtione verſatur) reſtitui voluerit, quem ab Eccleſia jampridem damnatum & profligatum ſciebat: Sed detur, Synodum illam legitimam fuiſſe; ſi ejus beneficio, aut legum municipalium ei ſuperſtructarum frui volunt; cur cautiones à Synodo poſitas neglexerunt?

runt?

runt? in quas etiam jurarunt; ac annuarum Synodorum Nationalium, à quibus ſe judicari tum ſacramentis profeſſi ſunt, convocationem impediverunt. Atque hæc præcipua ſunt quæ tunc ab Hierarchicis ad Epiſcopatum fulciendum prolata fuerunt, quibus Epiſcopalis regiminis in Eccleſia Scotica ab ipſis reformationis exordiis ad præſentia tempora continuationem demonſtrare annitebantur; ideoque Epiſcopatum Diœceſanum immerito damnatum clamabant: quam vere, ex ſynodi reſponſo facile judicabitur.

Seſſ. 17. *Decemb.* 10. *Die Lunę.*

De famoſis quinque articulis Perthenſibus deliberandum eſſe propoſuit præſes, An ſecundum genuinum Confeſſionis ſenſum, qui annis 1580. 1581. & 1590. 1591. obtinuit, quinque iſti articuli ex eccleſia removendi eſſent, vid. 1. Genuflexio in S. Cœna. 2. Quinque dies feſti, in memoriam nativitatis, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Chriſti, ac deſcenſus Spiritus S. in Apoſtolos inſtituti. 3. Epiſcopalis confirmatio. 4. Privata Baptiſmi. & 5. S. Cœnæ adminiſtratio. Antequam ad ſuffragia deventum eſſet, prælectum fuit ſcriptum ex publicis eccleſiæ regiſtris collectum eorum opera, qui ad ea excutienda à Synodo deſignati fuerunt: Cujus hæc fuit ſumma:

De *genuflexione in S. cœna.* Sic adminiſtranda ſunt ſacramenta, prout Chriſtus ipſe ſtatuit, qui hic ſolus à nobis imitandus eſt: (ſunt verba formulæ fidei pſalteriis præfixa.) Idem repetitur cap. 23. Confeſſionis Majoris: In liturgia S. cœnæ Pſalteriis præfixa; Seſſio & diſtributio per ipſos communicantes conjunguntur ac lib. 2. de polit. eccleſ. geſtus hic Seſſionis ipſius Chriſti exemplo, ac huic actioni maxime conformis eſſe dicitur; ac quæcunque ab hominibus inventa ſunt, cenſentur alterationes inſtitutio-

nis Dominicæ, quaſi eam imperfectionis arguerent: In Synodo nationali anni 1562. jubentur paſtores in adminiſtratione S. Cœnæ ſequi ritus in Eccleſia Anglicana, Genevenſi uſitatos, cujus olim paſtorem egit D. Knoxius, primarius eccleſiæ Scoticæ reformator; qui Genuflexionem in S. Cœna, aberrationem à ſimplicitate & puritate ſacramenti hujus ſemper judicavit. In Comitiis regni anno 1567. Sancitur, ut qui nolint participes eſſe ſacramentorum, prout tum in Eccleſia hac reformata adminiſtrabantur, ne eccleſiæ hujus membra cenſeantur; In iiſdemque comitiis, juramentum à Rege inaugurando præſtandum inter alia continet; Regem procuraturum adminiſtrationem ſacramentorum legitimam, quæ tum uſu recepta fuit. Quod ſtatutum denuo repetitur anno 1581. octobri menſe, quo anno brevior hæc fidei confeſſio (de cujus ſenſu jam quæritur) obſignata fuit omnium chirographis & juramento ſolenni: in qua confeſſione damnantur omnes ritus & ceremoniæ ab hominibus ſuperadditæ legitimæ ſacramentorum adminiſtrationi; non ſolum quæ contra, ſed quæ præter Dei verbum & reformatæ hujus eccleſiæ doctrinam & diſciplinam ſunt: Atque Genuflexio in Sacra Cœna Chriſti exemplo non eſt conformis, neque ordinariæ praxi hujus eccleſiæ, quo tempore Confeſſionem illam obſignavit; Sed eſt ritus ab hominibus præter Dei verbum aut ſi non contra, introductus tandem anno 1618.

De diebus illis feſtis. Libro primæ diſciplinæ, cap. 1. Cenſetur; feſta nativitatis, circumciſionis, Epiphaniæ & cæt. Apoſtolorum, Martyrum & B. Virginis Mariæ penitus abolenda eſſe, cum eorum obſervatio nullibi à Deo in ſcripturis imperetur; rogandos itaque eſſe magiſtratus, ut hic obnitentes civili authoritate coerceat: In Synodo nationali Edenburgena

anno

anno 1566. Major illa confeſſio Helvetica in omnibus comprobatur, excepto articulo de diebus feſtis: Porro cum reformatæ in Helvetia eccleſiæ, licet feſta illa celebrent, à ſuperſtitione Pontificia ſibi caveant; evidenter colligitur, omnem omnimodo dierum illorum obſervationem rejectam fuiſſe ab hujus eccleſiæ reformatoribus; quorum veſtigia preſſerunt poſteri, nam ann. 1575. in Synodo nationali male acceptum fuit, quod Paſtores quidam & Lectores in tractu Abredonenſi populum convocarent ad conciones & preces publicas diebus illis feſtivis; ac in mandatis datum à Synodo Nationali anni 1577. Eccleſiarum viſitatoribus, ut interdicerent paſtoribus adminiſtrationem S. Cœnæ temporibus illis feſtivis; quaſi majoris efficaciæ ſint ſacramenta tum celebrata. Denique conſtans hæc fuit paſtorum omnium ſententia; Solum diem Dominicum feſtivum eſſe & Deo ſacrum. Referebant alii Regem Iacobum in ſynodo Nationali anni 1590. publice Deo gratias egiſſe, quod rex eſſet in eccleſia totius orbis puriſſima: imo quæ Genevenſem ipſam ſuperet, nam (inquit) colunt Genevenſes feſta Nativitatis & Paſchatis, qua autem authoritate id faciant, ipſi viderint.

De *Epiſcopali Confirmatione*. Refertur ad quinque iſta Pontificiorum ſpuria ſacramenta,. expreſſe in confeſſione abjurata: Quia confeſſione ea damnatur Epiſcopatus, damnatur etiam Impoſitio manuum per Epiſcopos: Neque ulla illius vel leviſſima mentio fit in Canonibus de Catechizatione juniorum.

De *Adminiſtratione ſacramentorum in privatis locis extra templa publico Dei cultui deſtinata*. In liturgia Pſalteriis metricis propoſita, expreſſe dicitur Sacramenta à Deo non eſſe inſtituta ut in privatis angulis adminiſtrentur, (uti conſueverunt

magi ac incantatores) verum publice pro populo: Ac 1581. quo anno obſignata fuit hæc Confeſſio, decretum fuit in ſynodo Nationali, in privatis ædibus Nefas eſſe Sacramenta adminiſtrare; Ac ſuſpenſum fuiſſe poſtea à functione paſtorali paſtorem Tranentenſem, quod in privatis ædibus infantem baptizaſſet; hujus culpæ publicam pœnitentiam profeſſum tantum functioni reſtituendum decrevit Synodus: Quibus ſatis compertum eſt, Eccleſiam Scoticam abominatam fuiſſe, quæcunque foverent opinionem heterodoxam de neceſſitate Baptiſmi, & S. Cœnæ tanquam viatici.

Prælecto hoc ſcripto, libertas cuilibet conceſſa fuit arguendi, & de propoſito themate libere diſputandi; unus ſolum prodiit, qui queſtus fuit male formatum eſſe quæſtionis ſtatum; Nam quærere an Articuli hi removendi eſſent juxta ſenſum genuinum Confeſſionis primitus obſignatæ juramento ſolenni, idem eſſet ac, an quicunque articulos illos in praxin redegerint poſt nationale illud juramentum perjuri eſſent? Reſpondet Præſes. Quæſtionem à ſe propoſitam nihil tale ſecum ferre. Ad ſuffragia cum deventum eſſet; Omnes (eo ſolo excepto qui difficultatẽ movit de ſtatu quæſtionis) reſpondent, Abjuratos fuiſſe illos articulos in confeſſione, & removendos eſſe: Quare Synodus decrevit ne quis iis poſthac uteretur, neque eas defenderet.

Remotis corruptelis, conſultum eſſe ſuggeſtum fuit novos Canones ordini & diſciplinæ ſervientes condere, præſertim cum purioris diſciplinæ ignari eſſent complures, ob ſynodorum quadraginta annis exactis infrequentiam, quando omnia Epiſcoporum arbitrio circumagerentur. Quare deſignati ſunt quidam à Synodo; qui omnium conſilia in hunc finem colligerent, ac in ordinem redacta Synodo proponerent.

Poſt-

Poſthæc quorundam Epiſcoporum cauſæ examinantur. Epiſcopo Edenburgeno objectum, præter illa quæ ipſi cum omnibus Epiſcopis eſſet communia, quod libros Canonum & liturgiæ, aliaſque novitates non ſolum exemplo & praxi comprobaſſet; verum etiam paſtoribus ſevere obtruſiſſet, quod nullum ad ſacri miniſterii functionē admitteret, niſi qui prius ordinem Diaconatus ſuſciperet: quod coram altari genuflecteret, quod rocheto, & aliis iſtis Miſſaticorum veſtibus in ſacris uſus eſſet, quod templa more Romano conſecraſſet, quod facultatem conceſſerit celebrandi matrimonia licet trinundina denunciatio non præceſſiſſet; quo quampluribus multum damni ceſſit: quod ritu Elevationis in S. cœnæ adminiſtratione ſolenniter uſus fuiſſet, quod heterodoxiam in paſtoribus quibuſdam Edenburgenis, indulgentia ſua & conniventia foverit, & quod ipſe portentum ubiquitatis in ſcriptis ſuis typis commiſſis defenderit: Ob quæ, cum liquido probata eſſent; atque proteſtatione contra Synodum, pervicaciæ crimen addidiſſet; ab omni eccleſiaſtica functione deponendum, atque excommunicandum decrevit Synodus.

Abredonenſi Epiſcopo objectum præter vulgaria Epiſcoporum crimina, flagrans Simoniæ ſcandalum, quod libros illos Canonum & liturgiæ paſtoribus obtruſiſſet, quod paſtores à miniſterii functione ſuſpenderit, quia die Dominico jejunium publicum celebraſſent; quod in Synodis provincialibus tyrannidem exercuiſſet, ac in iis Canones de jejuniis condiderit, paſtoribus non conſultis: quod Capellas ſuperſtitioſe dedicaſſet; quod Pontificios, & inceſtus ſcandalo flagrantes ab eccleſiaſticis cenſuris, reluctante eccleſia, liberaſſet: Addebant alii, malitioſæ apoſtaſiæ crimen fœdum; nam licet olim diſciplinæ purioris acerrimus eſſet propugnator, ac præ-

ſervido

fervido zelo collegis gravis fuiſſet; poſtea tamen tempori & ſcenæ ſerviens, Epiſcoporum conatibus promovendis ſeſe totum tradiderit: Quare ab omni functione eccleſiaſtica deponitur ac Excommunicandus decernitur.

Epiſcopo Roſſenſenſi objectum, præter ea quæ Epiſcopis omnibus fuere communia quod hiſce annis præteritis liturgiam Anglicanam in eccleſia ſua cathedrali prælegerit, coram altari genuflecteret, ſuperſtitioſis iſtis ac ſordidis miſſaticorum veſtibus indutus ſacra peregiſſet, pios ac doctos Euangelii miniſtros depoſuiſſet, ſurrogatis in eorum locum indoctis ac profanis ſcortatoribus: quod ſingulari familiaritate Papiſtas amplecteretur; quod inſignis eſſet aleator, ac diebus Dominicis, iiſque etiam quibus Sacra Domini Cœna adminiſtrabatur, alearum & chartarum luſu uſus fuerit; quod vaſallos crudeliter expilaſſet, multis ad extremam inopiam & miſeriam redactis; quod ſtata jejunia diebus Veneris indixiſſet; Diem Dominicum ordinarie profanaſſet, ac deſerto verbi miniſterio, Politicis negotiis in aula & ſenatu totum ſeſe mancipaſſet, quod Pontificiorum errores plurimos eoſque craſſiores, ac omnes Remonſtrantium heterodoxias publice tum per ſe, tum per aſſeclas ſuos defenderit; quod omnium calamitatum, quibus jamdiu preſſa fuit tam eccleſia quam regnum, primarius author ac conciliator fuiſſet; Denique cum criminibus hiſce, quæ uſque adeo aperta fuerunt, ut probatione vix indigerent, extremam pertinaciam, & eccleſiæ contemptum probroſa iſta proteſtatione contra Synodum, addidiſſet, unanimi omnium judicio indignus cenſetur functione qualibet eccleſiaſtica, ac pro infami habendus, ac excommunicandus.

Seſſ.

Seſſ. 18. *Decemb.* 11. *Die Martis.*

Examinatur cauſa Epiſcopi Orcadum. Objectum, præter perfidam ſtipulatarum cautionum violationem, quod illi cum aliis omnibus epiſcopis commune fuit, quod diem Dominicum publice profanaſſet; quod eccleſiæ bona in filiorum & generorum gratiam non ſine ſacrilegio dilapidaſſet, quod eccleſiaſticas cenſuras non exercuerit in adulteros, ac ſortilegos, quod in fabricam Cathedralis templi à paſtoribus pecunias extorſerit: & cæt. verum cum epiſtola ad Synodum miſſa, ejus cenſuræ ſeſe ſubmiſſurum, nec unquam novitates ab Epiſcopis obtruſas ſibi placuiſſe declaraſſet; ab omni functione eccleſiaſtica deponitur, ac niſi ſeriæ pœnitentiæ ſigna exhibeat, à deputatis ſynodi excommunicandus declaratur.

Moravienſi epiſcopo præter vulgaria Epiſcoporum omnium crimina, objicitur, quod ille primus auſus fuerit ſuperpelliceo indutus ſacra peragere, in primario Edenburgenæ civitatis templo, anno 1633. profeſſus ſe in regis gratiam, quem palpabat, viliorem adhuc futurum: Ab omni eccleſiaſtica functione removetur; nequaquam tamen excommunicandus, niſi Synodi judicio ſeſe ſubmittere renuat:

Glaſguenſi Archiepiſcopo, præter ea quæ ipſi cum collegis eſſent communia objectum; quod in provinciali ſynodo paſtoribus omnibus fere reclamantibus, decreverit librum Canonum novitatibus refertum, eſſe recipiendum, quod ſub pœna perduellionis paſtoribus mandaret, ut librum liturgiæ obtruſum publice legerent, quod à paſtoribus pecunias extorſerit, quod aliis ſtipendium non perſolviſſet, quod officia juridica curiæ commiſſarionatus (quæ eccleſiaſtica dicitur) vœnum expoſuiſſet; quod vaſallos ſuos avare & crudeliter vexaſſet, ac miniſterii candidatis concionandi facultate interdixiſſet, niſi primum

futiles

futiles quaſdam juramentorum formulas à ſe ipſo excogitatas, chirographis obſignaſſent: Quare ab omni functione eccleſiaſtica deponitur; ac excommunicandus cenſetur, niſi mature pœnitentiam profeſſus fuerit, ac ſynodi judicio ſe ſubmiſerit.

Argathelienſi Epiſcopo crimini datum, præter communia collegarum vitia, quod in illegitima quædam j ramenta paſtores adegiſſet, ac librum liturgiæ obtruſiſſet; Diem Dominicum profanaſſet, atque ut tempori ſerviret, heterodoxias Arminianorum, quas olim damnabat, publice defendiſſet; Multorum animos qui hominem antea familiariter noverant, ingens ſubiit admiratio, quibus artibus factum, ut tam ſubito mutaretur, nam certiſſimis indiciis compertum fuit, eorum dogmatum quæ alibi ſtrenue promoventur, nullum ipſi nunc diſplicere: Sed φιλοτιμία δεινὸν κακὸν, vitiorum origo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium; quoſque nulla potuit movere luxuria, nulla ſubruere avaritia, mentis hæc ærugo Ambitio criminoſos facit.

Inſularum Epiſcopo nihil objectum præter communia Epiſcoporum crimina. Cenſura depoſitionis in utrumque decernitur:

Epiſcoporum agmen claudebant cenſuræ in Paſtores quoſdam, Epiſcoporum quorum libidini ſe mancipaverant, aſſeclas. Iohannes Matthius graviſſima heterodoxias infamia jam pridem celebris, quam ex ſinu Sinſerfii Gallovidiani & Maxwellii Roſſenſis epiſcopi hauſerat, tanquam ſal infatuatus, miniſterii functione deponitur: Probatum, eum publice tutatum fuiſſe omnes Arminianorum heterodoxias, ac preces pro mortuis, deſcenſum localem animæ Chriſti ad inferos, damnationem infantum ſine baptiſmo decedentium, baptiſmi opus operatum; ſe teneri miſſam Pontificiam celebrare ſi ita man-

mandet rex. Quibus ſuperbum Presbyterii ſeu Claſſis deſpectum ſuperaddidit.

Aliorum quorundam paſtorum cauſæ examinatæ, & extrema ſententiæ dictio ad Synodi deputatos relata fuit; Verum Thomæ Foſteri Mulroſſenſis paſtoris cauſa nequaquam ſilentio involvenda: Claſſe Mulroſſiana accuſante probatum fuit, ſæpius publice aſſeruiſſe, licere opera quælibet ſervilia die Dominico peragere; exemploque ſuo auditoribus ſuis præiviſſe; ut meſſem die illo ſacro ex agris in horrea conveherent; Quartũ præceptum nullatenus fuiſſe morale, aliter ſtatuentes, homines ad Iudaiſmum reducere: quod per templum ſuum pecora ordinarie deduci juberet; quod demolita menſa lignea celebrationi Dominicæ Cœnæ deſtinata, & in viliſſimos uſus converſa, altare cancellis circumcluſum erexerit; intra quos ipſe ſtans, populo à ſancti hujus ſanctorum aditu prohibito, porrigebat ſacramentum: Quod dixiſſet curioſum eſſe diſquirere an Chriſtus ibi præſens eſſet ſacramentaliter, an vero per tranſubſtantiationem & conſubſtantiationem: Quod profanis contumeliis publicam & ordinariam verbi divini prædicationem laceſſeret, eamque nullam publici cultus divini partem neceſſariam; lectionique liturgiæ obtruſæ poſtponendam, (quam corruptelis omnibus vacuam, & abſolutiſſimam cultus divini formulam) aſſerebat. Quod eccleſiarum omnium paſtores publice, & Chriſtiani omnes privatim, orationum formulis in libro liturgiæ præſcriptis, iiſque ſolis uti debeant: Quod in propriis ſuis ædibus ſæpius baptizaſſet; Quod Arminianorum & pontificiorum heterodoxias auditoribus ſuis obtrudiſſet; Quod conviciorum plauſtra in beatos Eccleſiarum reformatores publice & privatim conjeciſſet, quos plus detrimenti pauculis quibus vixerunt annis, Eccleſiis Chriſtianis intuliſſe affirmabat, quam Pon-

Pontifex Romanus cum factione Papali, decem integris ſæculis: Atque hæc ſunt tantum ſpecimina, profundæ illius Theologiæ,& inſignis pietatis,quam Hierarchici eorumque aſſeclæ tam plenis buccis crepant;Multorum animos tum ſubiit recordatio illius quod venerabilis Beza non ſine prophetiæ ſpiritu olim reſcripſit Cnoxo, eccleſiæ Scoticæ reformatori, *Sicut Epiſcopi papatum pepererunt, ita oculis pene ipſis jam cernitur Pſeudo-Epiſcopos, Papatus reliquias, Epicureiſmum terris invecturos.* Cujus certiſſimi vaticinii eventum parum abfuit quin Eccleſiæ Scoticæ plene expertæ eſſent, niſi Deus optimus maximus populi ſui ſcelerum oblitus, iram placabilis leniiſſet, triſtitiæque nube repulſa, exerto brachio ſignum oſtendiſſet liberandi eccleſiam ſponſam filii ſui ab ejuſmodi peſtiferis carcinomatibus ejus viſcera tamdiu impune exedentibus.

Seſſ. 19. *Decemb.* 12. *Die Mercurii.*

Examinantur cauſæ Epiſcoporum, Caledonii & Cathaneſiæ: præter communia Epiſcoporum crimina, objectum fuit Simoniæ ſcandalum utrique. Sed quia Synodi cenſuræ ſe ſubmiſerant, à functione Epiſcopali depoſiti ſolum ſunt: & Caledonio gratia facta eſt paſtoralis functionis in eccleſia Sancti Madoci:

Tandem ad examen vocatur Epiſcopus Dumblanenſis:qui non ita pridem in Angliam profugerat: ei objectum, præter communia Epiſcoporum vitia, quod cum Roſſenſi epiſcopo ſtrenuam operam navaſſet in formandis libris Canonum & liturgiæ; quos ſevere paſtoribus obtruſit, ac toto Epiſcopatus tempore ita ſe geſſerit,quaſi volupe ſibi fuiſſet eccleſiam cum faſtu calcaſſe; quod flagranti ebrietatis, profanationis nominis divini & diei Dominicæ, ſcandalo teneretur: Quod,cum Profeſſorem egiſſet S S. Theologiæ in Academia Andreapolitana, ſolenne

illi

illi fuiſſet pleraque in reformatis eccleſiis recepta dogmata publice privatimque ſugillare, & auditoribus ſuſpecta reddere; Pontificiorum & Arminianorum ſcripta extollere, & diſcipulis ſuis imprimis commendare: Quibus ſic præparatis, virus ipſum pleni Arminianiſmi, & complurium heterodoxiarum Pontificiarum inſtillabat, unde factum ut multorum auditorum ingenia corruperit, ac pravis opinionibus imbuerit; cujus mali vim omnes regni partes adhuc ſentiant: Una voce omnium, ab omni eccleſiaſticá functione ſtatim deponendus, ac excommunicandus cenſetur.

Decretum fuit Synodi ſententiam de Epiſcopis die ſequenti publice pronunciandam eſſe per Synodi præſidem.

Seſſ. 20. Decemb. 13. Die Iovis.

Præſes ex Synodi præſcripto elegantem & gravem concionem habuit ex Pſalmi 110. verſ. 1. Dixit Iehova Domino meo, ſede ad dexteram meam donec poſuero inimicos tuos in ſcabellum pedum tuorum: Dein ſententiam Synodi promulgavit, qua ab omni functione eccleſiaſtica depoſiti excommunicabantur Iohannes Spotſwodus Archiepiſcopus Andreapolitanus, Patricius Lindeſius Archiepiſcopus Glaſguenſis, D. David Lindeſius Epiſcopus Edenburgenus, Thomas Sidſerſius Gallovidianus, Iohannes Maxwellus Roſſenſis, Walterus Whytfoordius Brechinenſis, Adamus Bannatinus Abredonienſis, Iacobus Wedderburnus Dumblanenſis. In alios quatuor ſola depoſitionis ab omni omnino eccleſiaſtica functione ſententia pronunciabatur, vid: in Iohannem Guthereum Moravienſem, Iohannem Gramium Orcadenſem, Iacobum Fairlium Argathelienſem ſeu Liſmorenſem, & Nigellum Cambellum Inſularum Epiſcopos. Præterea lata eſt in Epiſcopos Alexandrũ Lindeſiũ Caledonium,

& Ioannem Abrenethium Cathaneſium ſententia depoſitionis ab Epiſcopatu; ita tamen ut legitime vocati ad munus paſtorale unius gregis, eam functionem exercendi per ſynodum iis gratia facta ſit: Sententiam ſynodi in ſex primos, decretum eſt in omnibus totius regni eccleſiis pronunciandam eſſe ab eccleſiarum paſtoribus. Atque hic exitus telæ quam tam ſolerti vafritie tamdiu texebant: Tremendus certe eſt Dominus in judiciis ſuis, dum eorum faciem ignominia opplevit, ac tam ſubito de culmine mundanæ fœlicitatis præcipitavit, qui mediocri fortuna non contenti, firmam ſtabilitatem non niſi in extrema tyrannide obtineri poſſe, futiliter ſibi perſuaſerant: hodie experientia comprobatum illud Pſalm. 73.

Vidi repentè quam pede lubrico
Starent ſuperbi, quam ſtabiles parum
Opes tenerent, quam fragili loco
Fultos ruina præcipiti trahas.

Eadem ſeſſione Guilelmus Annahus Aïrenſis eccleſiæ paſtor multorum criminum arceſſitur; malitioſæ deſertionis eccleſiæ ſuæ octo continuis menſibus; quod in Sanctorum honorem feſta conſecranda aſſeruiſſet; quod in ſynodo Provinciali concione publica librum liturgiæ obtruſum ſummis laudibus proſequutus fuiſſet, preceſque omnes conceptas prout afflaverit ſpiritus, contumeliis exagitaſſet, & cæt. Deponendum à functione paſtorali decrevit Synodus: Eademque cenſura fertur in Thomam Mackenizium; archidiaconum Roſſenſem, cujus facta eſt ſupra mentio, ad Seſſ. 5. ac in Robertum Hammiltonium; cujus cauſa ſeſſ. 13. examinata fuit.

Seſſ. 21. Decemb. 14. Die Veneris.

Poſt examinatas paſtorum quorundam presby-

terii Lanarcenſis cauſas, paſtores quidam qui proteſtationi contra Synodum ſubſcripſerant, pœnitentiam profitentur; ſe ignaros ad male ſana hæc conſilia illectos fuiſſe; quare cum lachrymis Synodum obteſtabantur, ut liceret nomina ſua expungere, quandoquidem apud ſe jam decreverint, ſynodi authoritatem eſſe legitimam: Horum votis annuit Synodus.

Nobiliſſ. Victoniæ, ſeu Wigtomenſis Comes, Senator regius, quod antea per Comitem Montis Roſarum ſynodo Seſſ. 8. ſignificari curavit, hac ſeſſione, cum Synodo intereſſet, repetebat; videl. Se quidem Confeſſioni à Rege imperatæ ſubſcripſiſſe, ſed hac expreſſa conditione, ut ſecundum mentem majorum primitus ſancientium annis 1580.&1590 explicaretur; quare cum neceſſaria hac opera eruendi genuinum ſenſum articulorum quorundam controverſorum defuncta ſit ſynodus; ejus ſententiæ libenter ſe ſubmittere, doctrinamque ac diſciplinam, uti à ſynodo præſenti explicata eſt, amplecti, ſummiſque votis utriuſque authorem Deum obteſtari, ne à tam ſancto conſilio vel tantillum deflectat.

Alia quædam minoris momenti negotia de tranſlatione paſtorum concluſa fuere; quibus enarrandis, ne tædio ſim, lubens ſuperſedeo.

Seſſ. 22. Decemb. 15. Die Saturni.

Quandoquidem Pſeudo-epiſcoporum uſurpatione, legitima authoritas conventuum omnium eccleſiaſticorum ſuppreſſa fuiſſet, qua ad extremum prope diſcrimen res eccleſiaſticæ redactæ fuerunt; unanimi omnium ſententia conventibus eccleſiaſticis, hoc eſt, Synodis Nationalibus, Provincialibus, Presbyteriis ſeu Claſſibus, Seſſionibus ſeu Conſiſtoriis, poſtliminii jure legitima ea authoritas reſtituitur, quæ in libris politiæ eccleſiaſticæ iiſdem competere judica-

dicatur: Diagramma presbyteriorum & provincialium ſynodorum conſtitutum fuit, ac quibus ſtatis temporibus ſynodi Provinciales coirent: Decretum etiam ut viciniores ſynodi correſpondentiam (ut ita loquar) amicam alerent; mutua delegatione duorum deputatorum.

Ut, quæ maturo conſilio à ſynodo hac concluſa fuere, executioni committerentur, ac quædã minoris momenti negotia, quæ in ſynodo commode ſatis peragi non potuerunt, felicius, ubi quæſtiones ortæ fuerunt, expedirentur; viſum fuit eligere quoſdam tum paſtores tum ſeniores, quos Synodi Nationalis authoritate munitos, Synodi Deputatos vocant; iiſque mandatum, ut in provinciis deſignatis ſynodi mandata expedirent: Deſignati etiam qui Academiã Abredonenſem viſitarent, ejus ad ſynodum legato inſtante, ac querente, tantum non oppreſſam fuiſſe miſeram illam Academiam uſurpatione Epiſcopi, qui reditus artium liberalium ac ſcientiarum profeſſoribus deſtinatos tranſtulerit in Canonicos, prebendarios, juris Canonici Profeſſores, & id genus damnatas à reformatis eccleſiis functiones.

Seſſ. 23. Decemb. 17. Die Lunæ.

Decreta ac Canones præcedentium ſeſſionum releguntur, quos concordibus ſuffragiis denuo ratos habuere quicunque tum aderant: Qui ſeſſ. 17. deſignati fuerant ad colligenda & in ordinem redigenda omnium gravamina vel conſilia de novis canonibus ordini & decoro ſervituris, rationem diligentiæ ſuæ exhibent, ac ſignificant, pauca fuiſſe propoſita quæ ſalubri conſilio non eſſent antea conſtituta, quæ tamen cum temporum iniquitate in deſuetudinem abiverint; conſultiſſimum ſibi viſum eſſe eadem renovare; quæ ſententia omnibus probata fuit: Quare antiqui illi Canones ad priſtinum vigorem reſtituti ſunt: inter quos hi præcipui ſunt:

De presbyteriis, ut vicinarum eccleſiarum conventus (quem Presbyterium ſeu Claſſem vocant) ſingulis ſeptimanis ſemel habeatur tam menſibus hiemalibus quam æſtivis; ut libri alicujus S. Scripturæ interpretatio publica habeatur, textum alius paſtorum exponat, alius vero doctrinas inde eruat, & ad uſus applicet; ut recurrente prima uniuſcujuſque menſis hebdomade, Paſtores per vices controverſum aliquod doctrinæ caput publice tractent, de quo amice & placide remoto populo inter fratres diſputandum ſit. De viſitatione eccleſiarum: ut ſingulis annis ſemel ad minimum eccleſiarum omnium viſitatio inſtituatur; ac tum diligenter inquiratur à viſitatoribus, de exercitio cultus divini in familiis privatis; & quæ diligentia adhibeatur in catechizatione juniorum, in eccleſiis præſertim ruſticanis. Ut paſtores omnes domicilia figant in locis paſtorum habitationi deſtinatis, ut ſevere non reſidentia interdicatur omnibus paſtoribus. De viſitatione Scholarum, Academiarum. De diſciplina & moribus paſtorum, eorumque prima promotione ad functionem miniſterii.

De frequentiori adminiſtratione S. Cœnæ. De modo & viis ſupprimendi papatus reliquias contra diei Dominicæ profanationem; Et ut cum oppidorum magiſtratibus ſerio agatur,ut tranſlatione nundinarum ſi obtineri poſſit, aut quovis alio remedio, impediant profanationem diei Dominicæ,quæ celebratione nundinarũ diebus Saturni aut Lunæ ſæpenumero accidit.Abſtinendum eſſe à ſocietate eorum in quos ſententia excommunicationis lata eſt. Qui confeſſionem fidei in Synodo explicatam, aut ſynodum ipſam ejuſve decreta petulanter ſugillaverit, cenſuris eccleſiaſticis obnoxium futurum. Ne paſtores in Conſiſtoriis, ſuffragii negativi jus ſibi arrogent; cum pluralitate ſuffragiorum

æquum ſit omnia decerni, quæ eccleſiaſticis canonibus non ſunt contraria. Ne quis corruptos & fæces Papiſmi redolentes titulos uſurpet; quales ſunt; Capituli ejuſque electio & conſecratio, Abbatum, Priorum, Decanorum, Archidiaconorum, Diaconorum in verbi miniſterio laborantium, Cantorum, Subcantorum: & hujus farinæ titulos qui à Pontifice Romano, ejuſque jure Canonico dependent. Ne Paſtores populo obtrudantur. Ne matrimonia abſque trinundina & conſueta bannarum (ut vocant) denunciatione celebrentur. Ne funebres conciones habeantur, ac elaborandum eſſe ne in templis funera ſepulturæ tradantur. De examine promovendorum ad S S. miniſterii functionem, eorumque juſta ætate: ne videl. ante ætatis annum 25. promoveantur; niſi Synodo Nationali aut Provinciali compertum fuerit, illuſtria & ſingularia dona ætatem ſuperaſſe: Promovendi exhibeant presbyterio à quo ad miniſterii functionem admittendi ſunt, teſtimoniales literas ab Academiis aut Presbyterio in quo vixerunt; quibus cognitum fiet, non ſolum quomodo ſe in moribus geſſerint, verumetiam an præparatoriis illis privatarum & publicarum concionum exercitiis Presbyterio illi aut Theologiæ Profeſſoribus ſatisfecerint: Porro hoc ordine examinandi ſunt: Primum, ſpecimen peritiæ in publicis concionibus exhibeant; ac exercitium illud claſſicale paſtoribus uſitatum peragant: Tum religionis caput controverſum à claſſe deſignatum Latina oratione tractent, ac theſibus ad diſputationem editis defendant: Dein reſpondeant ad quæſtiones de aliis religionis capitibus in controverſiam vocatis, de Chronologia Sacræ Scripturæ, de caſibus conſcientiæ, de ſenſu locorum S. ſcripturæ, de reconciliatione apparentium contradictionum in S. ſcriptura, de peritia linguarum Hebraicæ, & Græcæ.

Seſ-

Seſſione hac deſignantur viſitatores Academiæ Glaſguenſis; & ſumma vehementia paſtorum quorundam tranſlationes ad frequentiores eccleſias urgentur.

Seſſ. 24. *Decemb.* 18. *Die Martis.*

Excommunicandos decrevit Synodus Paſtores eos,qui à functione paſtorali hujus Synodi ſententia depoſiti, paſtoralis tamen muneris functiones obirent, ac contumaces ſeſe contra Synodi authoritatem exhiberent. Alia quædam privata negotia agitata fuere, & diſcuſſum gravamen illud: An diebus Dominicis liceret ſalmonum piſcaturam agere? Ex regiſtris profertur Canon Synodi Nationalis ad S. Crucis cœnobium anno 1602.quo diebusDominicis omnis omnino piſcatura ſevere interdicitur,cui omnes acquieſcendum eſſe cenſebant.

Seſſ. 25. *Decemb.* 19. *Die Mercurii.*

De functionibus civilibus ac authoritate politica eorum eccleſiaſticorum qui verbi miniſterio defunguntur, actum fuit: An liceret iis ut eirenarchis pro tribunali ſedere? an ſententiam ferre in parliamentis & ſenatu regio, in ſuprema cauſarum civilium curia, quam Seſſionem ſeu Collegium juſtitiæ vulgo vocant Scoti, in Camera rationum regia? & ſimilia.

Hinc inde plurima prolata fuere, verum cum ad ſuffragia deventum fuiſſet, omnes unanimi conſenſu (duobus exceptis) declarant: Quantumvis liceat imo teneantur verbi paſtores ex verbo Dei conſilia Regi, Ordinum conventui, Senatui regio, aut quibuſlibet ſuggerere de iis negotiis quæ eccleſiam aut conſcientiam tangunt; Nullatenus tamen iiſdem concedendam eſſe juriſdictionem & authoritatem civilem, ſeu ordinariam ſeu extraordinariam; Cum autem decretum Synodi ad montem Roſarum ann. 1600, objiceretur,quo concluſum fuerat;Licere pa-

ſtoribus in ordinum conventu ſententiam de republica dicere, Reſponſum fuit, eccleſiam pacis gratia pro tempore coactam fuiſſe illud permittere; addidiſſe tamen expreſſas cautiones quibus tanquam cancellis poteſtatem illam ferendi ſuffragium in comitiis coerceret; & has cautiones inſerendas fuiſſe decreto parliamenti, quo ſanciendum erat jus ſuffragii eccleſiæ conceſſum, ut pars illius neceſſaria; Conditiones autem has fœde à Pſeudo-epiſcopis violatas, cum omnes norint, neque ipſi, quantacunque ſint impudentia, negent; jure meritoque nunc refigendum eſſe illud decretum, præſertim cum in Synodo illa multi minis & terroribus, non argumentorum pondere, & rationibus æqua judicii lance penſitatis, ſententiam pronunciaverint, alii vero Epiſcopaturientium obteſtationibus decepti quibus nimia credulitate fidem adhibebant, & cautionibus quibus eorum authoritas limitaretur ſatis cautum eſſe putantes, nimia ſimplicitate aſſenſerant, qui alioqui nunquam ceſſiſſent, ſi prævidiſſent, quæ tum ſagaciores ſubodorati fuerunt, & quæ hodie omnium oculis cernuntur, vid. Conceſſione illa ſuffragii eccleſiaſticis in Conventu ordinum, poſticam fuiſſe apertam qua irrepſerunt tot malorum iliades quibus ad extremam fere calamitatem redacta eſt eccleſia. Rationes quibus ſynodi ſententia nitebatur hæ præſertim fuerunt. 1. Chriſtum exemplo ſuo docuiſſe quid facere debeant Euangelii miniſtri. Lucæ 12.14. Qui hæreditatis hercifcundæ poteſtatem recuſavit ut à munere ſuo alienam: Quis (inquit) me vobis judicem præfecit? Si Chriſtus Euangelii miniſter authoritatem hanc civilem exercere noluit, quo modo liceat paſtoribus qui pro Chriſto legatione funguntur, & eccleſiis non ſuo ſed Chriſti nomine præſunt: Sicut miſit me pater ita & ego mitto vos Iohann. 20. 21. Item in adulteram

ſenten-

ſententiam ferre noluit. Iohann. 8. ſuumque regnum non fuiſſe ex hoc mundo ſæpius teſtatur. 2. Interdictum fuiſſe Apoſtolis dominatum civilem, Matth. 20. 25, 26. non ſolum qui regibus & imperatoribus competit, vid. ſupremum, verumetiam ſubalternum, qualem exercent οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν ϗ μεγάλοι. Unde illud Bernardi de conſideratione ad Eugen. lib. 2. Apoſtolis interdicitur dominatus: I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut Dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum, forma Apoſtolica hæc eſt, interdicitur dominatio, indicitur miniſtratio: τὸ κατακυριεύειν ϗ τὸ κατεξουσιάζειν quo civilis dominatio denotatur, & τὸ δοῦλον ϗ διάκονον εἶναι quod Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus verbi miniſtris præcipitur, ita ſibi invicem oppoſita ſunt, ut nulla modificatione in uno eodemq; ſubjecto convenire poſſint; nam tam perſonis Apoſtolorum quam à natura Apoſtolicæ functionis præcepto hoc peremptorio omne Dominium civile removetur: Porro quam ineptum ſit illud effugium, quo aciem hujus ancipitis argumenti ſe hebetaſſe quidam putant; quaſi myſterium aliquod in κατακυριεύειν lateret; doceat locus Lucæ, Matthæi citato parallelus: apud quem κυριεύειν leges, Omnem videlicet dominatum in Apoſtolis damnans; vel cum aliis, Dominatum cum violentia, non injuſta per tyrannidem, ſed legitima per vim coactivam, quem habet magiſtratus omnis legitimus in ſuos ſubditos, quibus vel invitis dominatur. 3. Non eſſe eorum qui nomen dederunt ſacræ huic militiæ vitæ hujus negotiis non neceſſariis implicari, dico non neceſſariis, quia ad rem familiarem curandam tenentur Paſtores niſi infidelibus deteriores eſſe velint: Itaque non negandum licere paſtoribus parare victum propriarum manuum labore, ſi aliunde non ſuppetat unde vivant,

exemplo Apoſtoli. 1. Corinth. 4. 12. Quare ſicuti legibus politicis cautum eſt, ne milites alienorum negotiorum procurationem ſuſcipiant, ne à ſignis ſuis avocentur. Cod. lib. 2. tit. 13. ſic legibus Apoſtolicis idem vetatur eccleſiaſticis, cœleſtis militiæ caſtra ſequentibus. 2. Tim. 2. 4. Qui Deo Sacræ hujus militiæ ſummo imperatori nunquam placebunt, niſi avocamentis ſæcularibus non neceſſariis valedixerint; Præſertim vero cum munus hoc quod obeunt gravius ſit quam ut quiſquam ei ſit par. 2. Cor. 2. 16. & labores ſuſtinendi in functione hac continui ſint, ac in orbem perpetuo redeuntes; unde in ſcripturis vocantur vigiles, ſpeculatores, agricolæ, piſcatores, paſtores, milites, legati, operarii in meſſem Domini ab ipſo emiſſi, quibus laborandum in verbo & doctrina ἀκαίρως εὐκαίρως; 4. Apoſtolos ipſos extraordinariis donis inſtructos agnoviſſe impares ſe fuiſſe menſarum miniſtrationi, & verbi prædicationi, ideoque Diaconos inſtituiſſe, Act. 6. 2. erant tamen utraque hæc munia Eccleſiaſtica; & Gregorius I. citante Gratiano in decreto diſt. 89. cap. ſingula; probat duo eccleſiaſtica officia uni non eſſe committenda, à loco Apoſtoli ad Rom. 12. 6, 7. Sicut, inquit, indecorum eſt, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio; ita noxium ſimulque turpiſſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa: Si duo eccleſiaſtica officia ſunt (ut ita loquar) incompatibilia, multo magis eccleſiaſticum & civile: Hujuſque ſententiæ documenta in veterum ſcriptis obvia ſunt: Canones Apoſtolorum & ſpuria ejus generis ſcripta hic miſſa facienda eſſent, niſi ſpecioſo antiquitatis titulo ab Hierarchicis æque ac à Pontificiis obtruderentur. In illis tamen miſtio hæc civilium cum eccleſiaſticis ſæpius damnatur. Can. 6. Epiſcopus vel presbyter ſæculares curas non ſuſcipiat, alioqui depo-

deponatur, & Can. 81. & 83. Cyprianus lib. 1. epiſtola. 9. dicit; jampridem in concilio Epiſcoporum ſtatutum eſſe, ne quis de clericis & Dei miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli divino ſacerdotio honorati non niſi altari & ſacrificiis, precibus & orationi vacare debeant; Scriptum enim eſt: Nemo militans Deo obligat ſe moleſtiis ſæcularibus: & cæt. Clemens primus (quem Romanum epiſcopum multi volunt, & ex cujus ſcriptis hiatum hiſtoriæ eccleſiaſticæ poſt Acta Apoſtolorum ſupplendum eſſe dicunt;) in epiſtola ad Iacobum Domini fratrem quem Epiſcopum inſtituit: Neque judicem aut cognitorem ſæcularium negotiorum te ordinare vult Chriſtus, ne præfocatus præſentibus hominum curis non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundum veritatis regulam ſecernere bonos à malis; Iſta namque opera quæ tibi minus congruunt, ſibi invicem exhibeant Diſcentes, hoc eſt, Laici: Impietatis tibi crimen eſt neglectis verbi Dei ſtudiis, ſollicitudines ſuſcipere ſæculares. Syneſius Ptolemaidis Epiſcopus citante Lipſio in politicis dixit; Illicitum eſſe jungere civilem virtutem cum ſacerdotio, nam hoc eſſet miſcere omnino non miſcenda, hoc eſt, ſacris civilia confundere. Hilarius Pictavienſis ad Auxentium. Quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Euangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicarunt, genteſque omnes fere ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi a palatio dignitatem ſumpſerunt hymnum Deo in carcere inter catenas & poſt flagella cantantes? At nunc proh dolor! divinam fidem ſuffragia terrena commendant, inopſque virtutis ſuæ Chriſtus arguitur, dum ambitio nomini ſuo conciliatur. Gregorii Romani ſententiam ſupra produxi, vide, ſi vis, Gratianũ Decreti part. prim. diſtinct. 88. & 89. Bernardus

de

de conſideratione ad Eugenium. Lib. 2. In decretalibus: Clericus qui ſecularibus negotiis ſe immiſcet eſt Irregularis; Sed objicies, Auguſtinum ſeculi ſui ingens lumen, non detrectaſſe ſententiam ferre de cauſis ſecularibus; in Pſalm.118. Concion. 24. Maligni cum ſuis vitioſis & negotioſis cupiditatibus adjuvandis ut occupemur, & iis noſtra tempora impendamus flagitant, & cæt. quibus dicere non audemus. Dic homo quis me conſtituit judicem inter vos? Conſtituit enim talibus cauſis eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens jurgare Chriſtianos: Alludit videl. ad locum Apoſtoli. 1.Cor.6.4. Et de eo refert Poſſidonius in ipſius vita cap.19. Quum interpellaretur hoc nomine non ſolum à Chriſtianis ſed & à cujuſque ſectæ hominibus, ſecundum Pauli ſententiam omnium cauſas adeo pie ac diligenter audiviſſe ut aliquando totum diem huic negotio dederit. Reſpondeo: Coronam illam teſtimoniorum ex prima antiquitate productorum Auguſtini opinioni, quæ ex falſa ſcripturæ interpretatione fluxit præferendam eſſe: Etenim Pauli ſententia in verbis. 1. Corinth. 6. 4. Perſpicua eſt, videl. lites inter fratres potius ad ἐξουθενημένους in eccleſia, hoc eſt, contemptibiles qui nullo loco habentur, deferendas eſſe, quam ut ad forum infidelium diſputarent: An contemptibiles illi & viliſſimi ex eccleſiaſticorum ordine ſunt? An vero potius infimi quique laicorum? quod cenſuit Clemens Romanus in epiſtola ad Iacobum. Dein obſervantibus juriſconſultis, licet corruptis eccleſiæ temporibus civiles lites definirent eccleſiaſtici,(quomodo & quibus artibus eo provecti ſint, conſule authorem Hiſtoriæ Concilii Tridentini. Lib.4.) notandum, primum neceſſario accedere debuiſſe conſenſum utriuſque partis litigantis, 2. in civili duntaxat negotio. 3. Sententiam tuliſſe epiſcopos

more Arbitri, cujus judicio, compromiſſi vinculo præeunte, ſponte ſe ſubmittebant litigantes: Quid hæc ad ordinariam civilem juriſdictionem? quæ in hoc potiſſimum conſiſtit, ut vi legum & authoritate magiſtratus quiſque in officio retineatur, etiam invitus.

Digreſſionem hanc claudenti occurrit graviſſimum celeberrimi Martini Buceri judicium, in libro vere aureo de vi & uſu SS. miniſterii, nam agens de graviſſimis incommodis quibus opprimitur eccleſia, cum Epiſcopi non abſtinent ab omnibus negotiis quæ ipſos in vocatione remorantur, cum non toti vacant iis ſtudiis quibus ad rite obeundum miniſterium eccleſiaſticum incumbere debent, cum ſe adminiſtrationi Reipublicæ admiſcent, ſic πολυπραγμοσύνην hanc τῶν ἀλλοτριοεπισκόπων perſtringit: Iſtud (inquit) cum probe noſſet Satan, effecit ut Epiſcopi, Abbates, & præcipui eccleſiarum prælati accerſerentur à Regibus & Imperatoribus ad aulam, ad negotia publica & belli & pacis, hinc conſequuta hæc ſunt mala: Primum neglectus S. miniſterii, fermentatio doctrinæ, interitus diſciplinæ: Deinde ut prælati ſatraparum locum tenere cœperunt, eorum etiam luxum & pompam ſibi vendicarunt. Ad quam rem cum & opes Satraparum requirebantur, quæ debebant de rebus eccleſiaſticis diſpenſare in fideles eccleſiarum miniſtros, in ſcholas, in Chriſti pauperes, ea omnia per horrendum ſacrilegium illis erepta impenderunt in luxum & pompam Satrapalem. Quumque eis ad hunc luxum & pompam Eccleſiæ facultates non eſſent ſatis, eblanditi emendicatique ſunt, variiſque fraudibus abſtulerunt à regibus luculentas ditiones & magna imperia; Quibus deinde acceſſionibus factis, luxus

luxus iſtorum non fotus tantum & ſuſtentatus fuit, verumetiam in immenſum auctus, & cæt. Hæc quidem ille de Clero Pontificio atque Epiſcopis. Quæ tam vera fuiſſe in iis qui mundo perſuaſum volunt ſe pontifici Romano valedixiſſe, cæcus eſt qui non viderit. Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum. Atque hæc de dignitatibus & functionibus eccleſiaſticorum politicis.

Delecti hac ſeſſione legati qui eccleſiarum gravamina & poſtulata regni ordinibus exhiberent in Comitiis Majo menſe celebrandis, quibus in mandatis datum ut ſedulo curarent, ne quid damni res eccleſiaſtica acciperet.

Seſſ. 26. Decemb. 20. Die Iovis.

Quia typographorum inaudita & minime ferenda licentia plurimum detrimenti annis elapſis paſſa eſt eccleſia, ut malo huic obviam iret Synodus, decrevit ne quis tractatus quoſlibet de religione, præſertim vero de cauſis hodie controverſis prœlo committeret; niſi prius judicio & cenſura M. Archibaldi Ionſtoni, Synodalis ſcribæ probentur, Atque huic decreto omnes typographi in Scotia obtemperare jubentur ſub pœna cenſuræ eccleſiaſticæ.

Presbyteriis & Synodis provincialibus ſtricte mandatum, ut quoſcunque contra Synodum hanc pervicaces, ejuſve decretis immorigeros comperient, in jus vocent, ac pro qualitate contumaciæ cum eis agant.

Decretum etiam; ut, quicunque in eccleſiis aut ſcholis hujus regni publicam aliquam profeſſionem ſuſtinentes, confeſſioni fidei ſeu fœderi hactenus nondum ſubſcripſerunt; eandem nunc chirographis ſuis ac ſolenni juramento obſignent: Confeſſioniſque ſubſcribendæ titulo addenda eſſe ſequentia: Quandoquidem in Synodo Nationali Glaſguenſi habita menſe decembri ann. 1638. determinata ſit

capi-

capitum ſeu articulorum illorum explicatio, qui ad Synodum Nationalem referebantur; ac declaratum ſit, quinque articulos Perthenſes, regimen eccleſiæ per Epiſcopos, ejurata fuiſſe à majoribus confeſſionem hanc primitus obſignantibus: Nos ſubſcribimus, confeſſionemque hanc ratam habemus juxta Synodi hujus expreſſam determinationem.

Hac ſeſſione; Divina, Eccleſiaſtica & Civili authoritate licere huic Nationali Eccleſiæ Scoticæ in Synodos Nationales annuas, aut ſæpius pro re nata coire, declaratur: Et quandoquidem Deputatus regius nunc abſit ; cui præſenti, lege municipali competeret loci & temporis ſubſecuturæ ſynodi deſignatio ; Synodus ipſa declarat locum Synodi fore Edenburgum, diem autem Mercurii tertiæ ſeptimanæ menſis Iulii ann. 1639. Quod ſi interim extraordinarii quid occurrat, quod Synodi convocationem ante diem illum poſtulet, provincia hæc presbyterio Edenburgeno imponitur, ut omnes quorum intereſt tempeſtive certiores faciat. Denique ſi ſereniſſimo Regi viſum fuerit ante Iulium menſem Synodum Nationalem indicere, jubet Synodus ut omnes, loco & tempore deſignatis edicto regio, conveniant.

Supra ad ſeſſionem 16. facta fuit mentio libelli editi authoritate & nomine Deputati regii: quo contendit author perſuadere, Epiſcopatum ejuratum non fuiſſe annis illis quibus obſignata olim fuit confeſſio, ideoque per genuinum confeſſionis ſenſum hodie abjurari non poſſe, præſertim cum mandato & edicto regio Menſis Septembris hoc primario à Rege intendatur, ut ſubſcriptione fœderis & confeſſionis, fulciretur Epiſcopatus: Quare omnibus ſevere interdicebatur à Marchione Deputato regio, ne confeſſionem illam obſignent, quolibet ſenſu qui Epiſcopatum deſtruat: Verum huic expli-

explicationi firmiter adhæreant: Quod cum ſynodo innotuiſſet, quibuſdam in mandatis dedit, ut libellum illum ſerio excuterent, & de omnibus ad Synodum referrent. Atque licet ſeſſione 16. operæ ſuſceptæ rationem ampliſſimam exhibuiſſent, neque ulli ſcrupulus hæreret, quin ſecundum genuinum confeſſionis ſenſum annis 1580. 1581. 1590. 1591. publice profeſſum, (quo confeſſionis hujus obſignatores ſtatuto declaratorio Senatus regii, remittebantur,ut ſupra ſæpius obſervatum) Epiſcopatus iſte Diœceſanus liquido removendus eſſet; hac ſeſſione tamen ad majorem cautelam viſum fuit Synodo, declarare Epiſcopatum illum in Confeſſione abjuratum eſſe, ideoque ſub pœna cenſuræ eccleſiaſticæ vetare, ne quis confeſſioni à rege imperatæ ſubſcriberet, cum tam inſolenti & peregrina gloſſa, prout ab illuſtriſſ. Marchione proponitur,ipſa verba Confeſſionis evertat, & ſic obſignatores juramenti contradictorii labyrintho inextricabili involvat: ac Regem ſereniſſ. humiliter obteſtandum eſſe,ut eccleſiæ hujus (cui nativitatem utramque debet) in ſynodo repræſentatæ explicationem confeſſionis ſupradictam ratam habere dignetur, quo non ſolum editurus erit regium & ſe dignum pietatis ac juſtitiæ teſtimonium; verumetiam arctiori (ſi arctius ſtringi poſſent) nexu fidelium ſubditorum animos ſibi devinciet.

Denique quibus ſeſſione præcedenti in mandatis datum fuit, ut epiſtolæ ad regem perſcribendæ formam conciperent,qua gratias agerent ob ſynodū indictam, & vera relatione omnium quæ concluſa fuerunt, calumniatoribus obviam irent, (qui omni opera in id intenti erant ut in deterius innocentes ſynodi actiones traducerent, nam ſolenne reis judicem calumniari poſtquam cauſa ceciderunt.) Denique qua conſtitutionum Synodicarum ſanctionem obtinerent;

nerent; formam epiſtolæ nunc prælegendam exhibent; quæ cum ab omnibus approbata fuiſſet, decretũ fuit, ut ſynodi totius nomine, (quod ſemper antea fieri conſuevit) eidem ſubſcriberent Præſes & ſynodi Scriba; quæ de verbo fere in verbum tranſlata ſic ſe habet.

Epiſtola Synodi ad Regem.

Sereniſſime Rex.

HUmillimi ac devotiſſimi Majeſtatis veſtræ ſubditi, deputati eccleſiarum perantiqui & nativi veſtri regni ad Synodum Glaſguenſem, M. V. ſpeciali indictione coactam: Quum animo volveremus ſingularem illam fœlicitatem quæ regnis & eccleſiæ pariter accreſcit, mutuis religionis ac juſtitiæ, veritatis ac pacis amplexibus, quando ſupremæ providentiæ viſum fuerit actiones humanas ſic procurare, ut regalis ac politica poteſtas eccleſiaſticæ authoritati ſubſidio ſit; non potuimus nobis temperare, quin gratiſſimis animis agnoſceremus, ore confiteremur, ac in ſempiternam M.V. gloriam coram univerſo orbe teſtaremur, quantopere totum hoc regnum recreetur ac revireſcat ſuavi ſenſu pietatis, juſtitiæ, bonitatis, quæ in M.V. conſpicue ſeſe prodiderunt, quando ſupplicibus noſtris literis pro libera & plena Nationali ſynodo obtinenda tam facilem M.V. ſe præbuit. Cum vero impræſentiarum nullum verius ſinceræ gratitudinis argumentum nobis M. V. devotiſſimis ſubditis ſuppeteret, quam ut regio hoc favore digni incederemus; ſedulo certe in id incubuimus, ac ſecundum Domini Ieſu Chriſti ſupremi (quam ſuo pretioſo ſanguine redemit) eccleſiæ regis voluntatem, eo omnia noſtra ſtudia collimarunt, ut in omnibus noſtris actionibus, à prima conventus noſtri hora, ea animi moderatione, ordine, ac fidelitate nos gereremus, qua

decet ſubditos tam juſti & boni regis, pro cujus incolumitate & fœlici regimine ex animo Deum ſemper precati fuimus: Neque quidpiam fuit cujus tam anxio tenebamur deſiderio, quam M.V. præſentia, qua ſi frui nobis datum fuiſſet, nihil ambigebamus, quin regia veſtra ſanctione conſtitutiones noſtras ratas habuiſſes: animus quippe vere Chriſtianus ac regius, religioni & pietati favens, primo intuitu diſcernet, ac diſcernendo rapietur amore ſingularis pulchritudinis, ac cœleſtis ordinis domus Dei, nam utrumque ab uno & eodem ſpiritu procedit.

Verum uti gaudium noſtrum prope ineffabile fuerat, ac vivida ſpes, à M. V. clementia tanquam copioſa ſcaturigine manans, corda noſtra repleverat; ita immane quantum animis conſternabamur, cum perciperemus non ſolum ante apertam ſynodum, quantam operam dediſſet M. V. deputatus prælimitandæ Synodo in membris ſuis neceſſariis, & rebus in ea tractandis, contra expreſſam M.V. intentionem, qua libera Synodus Nationalis ſecundum conſuetudinem hujus eccleſiæ, & regni ſtatuta indicebatur: verumetiam à primo conventus noſtri exordio nihil decerni paſſus fuit, (quantumlibet neceſſarium, & ordinarium; quod à nullo in quæſtionē trahi potuit) ſine cenſura, contradictione aut proteſtatione; quaſi eo ſolū nomine huc deſtinatus fuiſſet ut impedimento non adjumento nobis eſſet, aut quaſi nobis propoſitum fuiſſet religioni ac Majeſtati V. præjudicare, (à quibus quantum abhorreant intimæ noſtræ cogitationes, Deus καρδιογνώστης perſpectum habet.) Demum poſt aliquot dies contentionibus hujuſmodi tranſactos, ſummo noſtro cum dolore ac præter omnium ſpem, ipſe de Synodo diſceſſit, nobis etiam ſevere imperatis ut Synodum ſtatim dimitteremus, ejus generis edicto quod poſt examen

facile

facile probabitur, nulli ſolido fundamento aut rationi innixum fuiſſe, quæ ſupremi conventus Parlamentarii aut M. V. accurati judicii cenſuram ſuſtinere poſſet. Cui ſi obtemperatum à nobis fuiſſet, cum M. V. ſpeciali mandato in Synodum legitime formatam coiviſſemus, eccleſia & regnum ſubito præcipitandum fuiſſe cernebamus in horrendum confuſionum chaos, & miſeriarum abyſſum, quibus difficulter poſtea remedium adhiberi potuiſſet: idque contra M. V. expreſſam intentionem, prioribus edictis toties declaratam, ac ſubditorum omnium ordinum ſpem.

Ad has incitas redacti, conſultiſſimum nobis una omnium voce viſum fuit, illud potius ſequi quod M. V. voluntati nobis per edicta revelatæ magis congrueret; ac quod religioni, M. V. honori, ac regni hujus utilitati conduceret, quam ut morem gereremus mandato Deputati, quod à ſubitaneo impetu procederet, & omnia in ruinam præſentem traheret. Atque hic tantum abeſt, ut nobis à luce metuamus ne opera noſtra arguantur; quin contra, quo accuratius inſtituatur examen, quanta animi moderatione uſi ſimus poteſtate illa à Deo, ejuſque in terris ſupremo deputato M. V. nobis conceſſa, eo firmius confidimus M. V. actiones ac decreta noſtra probatum iri: Præſertim quandoquidem abſente M. V. deputato, & nobis vetitis, ne actionem tam piam tam neceſſariam ulterius promoveremus, diligentiam duplicaverimus, ac intenſioribus animis ſollicite magis in omnibus, quæ conſiderationi noſtræ objecta fuerunt, incedere nobis propoſuerimus, ut ſine ullius ſcandalo, tanquam ſub Dei ipſius intuitu, ac quaſi M. V. oculi nos præſentes ſpectarent, omnia ageremus ſecundum Dei verbum, fidei confeſſionem, juramentum illud Nationale, ac laudabiles ſuperiorum Synodorum conſtitutiones: ſtu-

dentes vetera potius decreta, regnante M. V. patre beatæ memoriæ, condita, ac ex publicis eccleſiarum regiſtris ſingulari Dei providentia luci jam redditis, eruta renovare; quam, vel aſſenſum præbere novationibus abſque ordine introductis, avaritia & ambitione eorum, qui in privatos fines authoritate abuſi fuerunt; vel novum quemvis ordinem primitus non receptum, cui ſolenni juramento aſtricti non fuimus, inſtituere.

In quibus omnibus tam perſpicua lux nobis omnibus affulſit, remotis quibuſcunque ſcrupulis, ut ſingularis harmonia & unanimitas omnibus admirationi eſſe poſſit, atque uſque adeo efficacibus argumentis convincebamur, ut aliter decernere non potuiſſemus, niſi Deo & conſcientiæ apertum bellum indixiſſemus.

Regius & prudens M. V. animus ſatis cognitum habet, nihil uſitatius eſſe traductione ac detorſione actionum innocentiſſimarum & æquiſſimarum, ac ut male audiant qui optime fecerunt: Balaamo licet Pſeudoprophetæ injuria ſic impacta, quippe pro eo quod dixerat, Dominus non vult ut vobiſcum eam, Moabitarum principes Balaco retulerunt, Balaamum nolle cum iis ire. Sed hoc nobis eſt ſolatio, quod veritas temporis ſit filia, quodque calumniam celeri curſu veritatem prævertentem, preſſis pedibus ſequatur tandem veritas, hoſpitemque ſe præbeat nobilibus ac regiis animis, in quibus calumniæ diu locus tutus non conceditur: Quare ſperamus M. V. cum prudenti illo Rege aurium alteram calumniis obſeraturam; exemplo prudentiſſimi Salomonis, qui cum primum ſpecimen exhibiturus eſſet prudentiæ illius divinæ, utramque partem contendentem ſibi ſiſti juſſit, ut utraque pariter audita, ea victrix diſcederet, cujus æquior eſſe cauſa.

Quum à M. V. reconditiſſimi ſynodi hujus receſſus pru-

ſus prudenti trutina expendentur: habeamur mortalium peſſimi, (prout hactenus hoſtes noſtri calumniantur) ac miſerrimi; (quod hoſtium corda vindicta turgentia unice expetunt) habeamur ab omnibus indigni qui vitali aura in hoc M. V. regno fruamur, ſi cauſa quam tuemur, & quam huc uſque promovimus, alia ſit, quam quod nobis cordi ſit, ut Deus opt. maxim. qui noſter terror & pavor eſt, rite colatur, & ipſius domus ex ipſius præſcripto regatur: niſi in omnibus noſtris actionibus poſt Dei gloriam, M. V. honorem promovere ſtuduerimus: niſi infra reformationis noſtræ primitivæ limites nos continuerimus, neutiquam perſtringendo aliarum reformatarum eccleſiarum conſtitutiones, quibus veritatem & pacem ex animo optamus, & quarum maturo judicio & Chriſtianæ æquitati noſtra hæc probatum iri ſperamus: niſi nimia potius cenſurarum lenitate quam ſeveritate in criminum obnoxios deliquerimus: niſi regimen & diſciplina hujus eccleſiæ, (omnium chirographis & ſolenni juramento olim obſignata,) & nunc unanimi omnium judicio approbata, promovendo Chriſti regno, obedientiæ M. V. à ſubditis hujus regni debitæ, gloriæ ac honori coronæ veſtræ regiæ, noſtræ paci, ac omnibus hoſtibus honoris M. V. & noſtræ fœlicitatis terrendis unice ſerviat. Denique ſi quid ſit à nobis decretum (quantum mens noſtra capit, ac humana patitur infirmitas) quod, in trutina rationum à M. V. patre beatæ memoriæ & noſtris majoribus olim fœliciter poſitatum (quas nobis religio fuit violare) expenſum mereatur iram & indignationem, qua toties minitamur.

Quin contra, cum hæc nobis ſincero ſtudio propoſita fuerint, ut Deo debitus honos, religioni ſua puritas, M. V. honor illibatus conſtaret; ut impietas ac homines ad flagitia proſtituti, & tantum non

venundati impune non evaderent, ne impunitate alii ad ſimilia perpetranda exſtimularentur, ut eccleſia hæc ad priſtinam ſuam & laudabilem politiam reduceretur, ſollicite præcaventes ne injuriæ leviſſima ſpecie quævis alia reformata eccleſia ſe perſtrictam eſſe merito queri poſſet: Quare humillimis precibus obſecramus, ac certo ſperamus, omnem hanc tempeſtatem & ſævos turbines mutatum iri in ſuavem halcyoniam, à radiis pacati vultus M. V. illuceſcentibus ſuper hoc pervetuſtum M.V. regnum & populum: Ac decreta hæc in Comitiis ordinum regni, Majo menſe anni ſequentis, edicto M.V. habendis, ſancitum iri: Qua ſanctione ea religio noſtra firmitate ſuffulcietur, quæ majori ſplendore illuſtre M.V. diadema coruſcabit, noſque ſub M. V. diuturno & fœlici regimine beatum populum efficiet: Porro ut hiſce M. V. coronare velit ille per quem Reges regnant, (cujus præſentiam hactenus experti ſumus,) in totius orbis admirationem, hoſtium M. V. terrorem, piorumque ſolatium, ardentibus & continuis votis contendemus.

Tandem præſes polita & gravi oratione Synodum dimittit, Deo ac regi gratias agendas eſſe monet, ob ſingulare hoc ſynodi liberæ beneficium: Aliis etiam, prout uniuſcujuſque merita poſtulabant, idem officium, ſynodi nomine exhibuit: Ac cum cantu Pſalmi 133. quæ fœliciter aperta fuit, fœliciter diſſolvitur Synodus, poſt triginta dierum ſeſſionem; cui intererant cum jure ſuffragii tam definitivi quam deliberativi, centum quadraginta tres paſtores & profeſſores, nonaginta quinque Seniores tam ab urbibus quam à Claſſibus deputati, inter quos fuere ſexdecim ex majori nobilitate, Comites videlicet & Domini Barones; ex minori nobilitate viginti octo, Equites Aurati ut plurimum. *Finis.*

A Sy-

A Synodo Nationali deputati, provinciam ſibi impoſitam diligenter obeunt; paſtores ſynodi authoritatem pervicaciter rejicientes, aliosque de quibus in meliorem mentem reducendis deploratum eſſet, & inſignibus flagitiis infames loco movent: quorum complures in Angliam profugerant, & hi cum aliis, qui in ruinis patriæ ſuæ Scotiæ improbas & immodicas ſuas ſpes fundabant, quicquid livor aut malitia comminiſci poterat, contra Scotos fœderatos impudenter ventilarunt: atque hiſce artibus eousque prævaluere, ut non ſolum plurimis ex plebe, verumetiam magnatibus tandem perſuaſerint, Scotos quotquot fœderi ſubſcripſiſſent & Synodum Nationalem ratam habuiſſent, à regis legitima obedientia defeciſſe, ac de Anglia invadenda cogitare: Et eousque calumniis hiſce fides habita, ut in aula regia, convocato ſenatu de bello in Scotos rebelles conſultatum fuerit; ibi, rege sereniſſ. non diſſimulante quid vellet, & Scotis profugis facilitatem victoriæ futiliter oſtentantibus, concluſum fuit, rebellionem hanc Scotorum fœderatorum apertam, armata manu protinus compeſcendam eſſe; & bellum terra marique adverſus Scotos decernitur: Magni itaque apparatus tam navales quam terreſtres in Anglia inſtrui jubentur; & per emiſſarios omnia terriculamenta adhibentur quibus à fœdere deficerent Scoti: ſublatum fuit commerciorum jus, obſeſſi omnes viarum ac itinerum aditus, ne ulla rerum Scoticarum certa relatio ad Anglos perveniret: Nobiles Scoti qui aulæ regiæ miniſteria obibant, & alii qui aulam ſequebantur, in juramentum adiguntur, quo fœderi Nationali & ſynodo Glaſguenſi abjurabatur, ac tenebantur omnes ſuas vires regi ſubminiſtrare, quandocunque ipſius Majeſtati viſum fuerit eorum opera uti. Adhæc prodeunt regis literæ ad omnes Angliæ provincias 26. Ianuarii datæ, quibus

 nobi-

nobilibus Anglis imperabatur, ut Eboraci, (quam civitatem pro exercitus ſui diribitorio deſignaverat Rex) cum ſuis Regi adeſſent ad Calend. Aprilis; ut inde ad limites regni Angliæ profecturi objicerent ſe Scotis Angliam invaſuris.

In hoc rerum ſtatu publicatum eſt à Scotis ſcriptum in Anglorum gratiam, ut ipſos de vero controverſiæ ſtatu, & ſerie actionum ſuarum ſerio edocerent, deque communi periculo utrique genti à Romanenſibus imminente amice præmonerent, ac omnem malæ ſuſpicionis anſam inter tam vicinas & unice amicas, ac tot tamque arctis vinculis ſibi invicem conjunctas gentes averterent; rumores illos, quod prætextu religionis, regii regiminis jugum excutere, ac Angliam invadere dicerentur, eſſe meras calumnias, Deumque vindicem in capita ſua vovent, ſi impiis ejuſmodi cogitationibus animas ſuas, regi ſecundum Deum devotiſſimas, unquam polluerint: Scriptum porro illud de verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

Declaratio directa ad omnes ſinceros & probos Chriſtianos in regno Angliæ degentes, à Nobilibus, Baronibus, civitatibus, eccleſiarum paſtoribus, & plebe regni Scotiæ, ad vindicandas actiones & intentiones ſuas ab iniquis hoſtium calumniis.

OPus illud reformationis nunc denuo renovatum, & fœliciter hactenus in hoc regno promotum, ubique obviam habuit, quicquid excogitare potuit emiſſariorum Romanenſium hoſtium noſtrorum aſtuta malitia: Sed Dominus omnes eorum conatus hactenus fruſtratus eſt, ac ab eo infatuata eſt Ahitophelis prudentia. Nunc vero cum ſatis videant ſe non poſſe aperta vi Hieroſolymæ mœnia dejicere, eadem calumniis ſubvertere moliuntur,

liuntur, freti impio illo axiomate, *Calumniare audacter ſemper aliquid adhærebit:* Ac exemplo Tobiæ, Sanballati, & hujus farinæ ſimilium omni opera reædificationi per Ezram & Nehemiam ſeſe opponentium, ac regi ſuggerentium; Cur civitas hæc rebellis reædificatur? Eadem premunt veſtigia novationum in hac eccleſia authores, qui captata opportunitate (qua nos ſummo noſtro cum dolore deſtituimur) & freti auxilio & cohortationibus quorundam ſuæ profeſſionis, male erga religionis noſtræ ſinceritatem affectorum, regi ſuſurrant, ac in vicina Anglia ſpargunt falſiſſimas & impias calumnias (præter illas in edicto 18. Decemb. objectas, quas fuſe in proteſtatione noſtra hactenus in publicam lucem evulgata diluimus) majori ne impudentia an malitia haud facile dicas: Religionem videlicet à nobis ſolum prætendi; propoſitum tamen nobis eſſe legitimum authoritatis regiæ jugum penitus excutere, ac vicinam Angliam invadere; ut ejus ſpoliis ac exuviis ditemur. Atq; licet horũ nobis minime conſcii ſimus, ac pro Chriſtiana æquitate confidamus, neminem, cui religionis aut politiæ rationes ullatenus perſpectæ ſint, calumniis iſtis, contra integrum regni & eccleſiæ Nationalis corpus confictis, fidem habiturum; cum tamen certiores facti eſſemus, novationum inter nos authores & reformationis hoſtes primarios omni conatu adniti, ut ſacras Majeſtatis regiæ aures calumniis hiſce inficiant, ac eaſdem Anglis perſuadeant, cogebamur innocentiam noſtram vindicare, ac fidem diluere quam hæ calumniæ apud quemlibet inventuræ eſſent, tum ſupplicibus noſtris literis exhibitis 31. Ianuarii proxime elapſi, Dominis in ſanctiori regis in hoc regno ſenatu, tum hac noſtra præſenti publica declaratione, qua Deum teſtamur, Religionem unicum eſſe ſubjectum, Conſcientiam ſolam motivam, ac Reformationem unicum

cum eſſe ſcopum noſtrorum conatuum: quam ut aſſequeremur, ſicuti hactenus nunquam declinavimus ac deſtitimus ab humillima & legitima via petitionum, quibus ſereniſſ. Regem obſecrati fuimus ut malis noſtris ac gravaminibus dignaretur legitimis mediis mederi; ſic eadem via adhuc pergimus, ac pro ratione officii noſtri denuo rogamus, ut indictione parlamenti ad ſanciendam Synodum regia authoritate indictam, cœpta noſtra fœlicia coronare velit. Et uti hactenus in ſupplicibus noſtris libellis ſæpius profeſſi fuimus, ac in ſolenni noſtro fœdere cum Deo ſacroſancte juravimus, ac publice coram Deo & hominibus, cœlo & terra ſpectantibus in proteſtationibus noſtris declaravimus, nunquam nobis in mentem veniſſe, ſubmiſſam & debitam legitimæ authoritati regiæ obedientiam excutere, ſic præſentibus hiſce idem repetimus, ac ſolenniter declaramus, fidelia noſtra pectora nunquam hoſpitium præbuiſſe cogitationi cuilibet quæ clementiſſ. noſtro regi ejuſque regimini præjudicio eſſe poſſet, cui a Rege regum longævum & juſtum ſuper nos regnum precamur: atque eo ad immortalitatem ſero demum tranſlato, ut ex ipſius poſteris nunquam defuturi ſint, qui, quandiu ſol ac luna vices ſuas in mundo obeant, ſolio huic inſideant. Etenim agnoſcimus eum eſſe Dei deputatum regni hujus ſceptrum gubernantem, ea continua à tot regibus majoribus ſuis ſucceſſione, ut nullus hodie rex ſeſe ejus Majeſt. hic conferat, neque ulla gens nobis ſeſe æquiparare poſſit, ratione veræ antiquitatis & legitimæ ſucceſſionis unius ſtemmatis regum apud nos natorum, quam gloriam abſit ut fœdo quovis & impio contra Dei unctum conatu obliteremus, quin contra ſerio imprecamur, ut omnes ejus hoſtes ignominia confundantur, ac ex animis precamur ut fœlix quælibet nobis detur occaſio, qua cum ſummo vitæ ac fortu-

narum

narum noſtrarum diſcrimine, fidelitatem, qua in regis perſonam ac honorem tuendum & promovendum flagramus, teſtemur. *Benignitas & veritas regem ſemper cuſtodiant.*

De Anglia invadenda quod objicitur: Æternum Deum, cui cordium noſtrorum intimi receſſus explorati ſunt, teſtamur, nunquam nobis in mentem veniſſe, ullam gentem damno quolibet afficere, multo minus vicinam Angliam, cum qua in eadem inſula, ſub eodem rege, remotis omnibus controverſiis, & exhibitis tot ſinceri amoris indiciis hactenus degimus, ut ſperari vix poſſet, illud unquam eventurum inter gentes ſibi invicem olim tam adverſas, nunc vero fœliciter reconciliatas, ac arctiſſimis vinculis conjunctas, quibus potius arctius conſtringendis, quam iniqua hoſtilitate diſſecandis ſtudebimus. Atque licet confidamus, ipſa hujus contra nos calumniæ improbabilitate, apud bonos fidem omnem obſtructum iri; ut tamen improbis hiſce calumniatoribus os obſtruatur, ac pudore, ſi quis illis reliquus ſit, ſuffundantur, gravamina & metus, conatus & propoſita noſtra ea libertate & ſinceritate breviter delineabimus, qua demonſtrari poſſit quam amice in fratres Anglos feramur, ac vanitas & falſitas calumniæ hujus omnium oculis objiciantur.

Etenim cum unice dilectis Chriſtianis fratribus vicinæ nobis gentis deflemus, manifeſtam & palpabilem experientiam periculoſarum machinationum, quas moliuntur & promovent Eccleſiaſtici quidam maximæ authoritatis in Anglia, ut novationes in religione introducant, corruptione doctrinæ, mutatione diſciplinæ, & quotidiana alteratione externi & publici cultus divini, publica Arminianiſmi & quorundam dogmatum papatus defenſione, paſtorum & Profeſſorum promotione, quibus hete-

rodoxiæ

rodoxiæ iſtæ unice arrident, approbatione & commendatione librorum iſtis heterodoxiis refertorum; mulctatione, exilio eorum qui pro munere à Deo impoſito hæreſibus, diſciplinæ, ac cultui Romanenſi obviam ire conantur; violatione ac diminutione juris regii; tyrannide in conſcientias, bona ac fortunas omnium cujuſcunque demum dignitatis ſubditorum in regno Angliæ: Neque contenti intra proprios limites ſubſiſtere authores fuerunt & auxilio, hujus regni Pſeudo-epiſcopis ut non ſolum conformitatem in ceremoniis inter hanc eccleſiam & Anglicanam urgerent, verumetiam cum ipſa eccleſia Romana in articulis papatus ſubſtantialibus, uti conſtat ex libris liturgiæ & Canonum, quos papiſticarum ſuperſtitionum, doctrinæ, ac tyrannidis cumulum continere deprehenſum fuit, quoſque confeſſum fuit, primum formatos, dein interpolatos in Anglia, atque huc demiſſos ad ipſorum ſocios Pſeudo-Archiepiſcopos & Epiſcopos hujus regni, ut hic impreſſi, noſtris eccleſiis obtruderentur, idque ſine ullo ordine aut conſenſu, ut unica forma divini cultus publici & regiminis eccleſiaſtici, atque ſic per nos facilior via iiſdem in Anglia ſterneretur: Quod per epiſtolas egerint cum publicis hujus regni officiariis, nobilibus, ut civitatibus, ut eoſdem libros hic promoverent: Quod ſereniſſ. regi perſuaſerint, ut edicto publico declararet, libros hos, licet pontificia ſuperſtitione refertos, ab eâ tamen prorſus immunes eſſe; quin media eſſe commodiſſima ad hujus eccleſiæ ædificationem: Quod regi Authores fuerint, ut ſevero edicto prohiberet legitimos conventus & humiles ſupplices libellos ſubditorum ſuorum ſub pœna rebellionis: &, quia impias has iſtorum machinationes in lucem apertam protraxerant, ac de iiſdem modeſte queſti fuerant, & Nationale majorum cum Deo fœdus renovaverant, quo ad regis legitimam obedien-

obedientiam ſeſe denuo obligarent ; ut Rex Sereniſſ. fideles hoſce ſuos ſubditos eo nomine haberet rebelles & perduelles, quibus extremam ruinam interminatus ſit: Quod regi perſuaſerint, ut ſub pœna perduellionis interdiceret continuationem liberæ noſtræ Nationalis ſynodi ; (regia authoritate indictæ, quod poſt tot ſupplicationes tandem obtinuimus) utque ſe verbo regio obſtringeret ad eorum tutelam qui contra eccleſiæ legitimam authoritatem pervicaces eſſent : ut minaretur & ſe accingeret ad bello invadendum antiquum hoc, fidele, & nativum ſibi regnum ; ut ſupplicibus noſtris libellis, juramentis ſolennibus, declarationibus ingenue formatis, diffideret : Quibus factis (quantum penes ſe fuit) omnem operam impenderunt, ut regis animum à ſubditis ſuis, & ſubditorum ſtudia (ſi fieri poſſit) à rege abalienarent. Denique ut malitiæ ſuæ extremum colophonem imponerent, regi perſuaſerunt, ut conſilium apertorum (ut fertur) papiſtarum amplecteretur, iiſque ſummam præfecturam exercitus nobis invadendis deſtinati, traderet. Neque adhuc ceſſant, diſcordiarum ſemina inter utrumque regnum ſpargere, ut in mutuam cædem nos protrudant ; Quod malum avertat Deus, ac ſperamus iſtorum malitiam eo uſque non poſſe pertingere, Deo Sereniſſ. regis & vicinæ gentis oculos aperiente, ut opertam iſtam vafritiem recludant, qua hoc ſolum ab iis intenditur, ut duobus regnis in cruentum bellum commiſſis, reformata religio utrinque facilius deleri, ac Papatus reſtitui poſſit ; quod haud difficile factu erit, utroque regno belli calamitatibus concuſſo, & Pontificiis regni vires & præcipua munia militaria obtinentibus (quorum potentia Angliæ antea ſatis formidabilis erat) & animum nunc ſibi ſumentibus, haud dubia ſpe auxilii ab exteris, qui opportunitatem eam lubentes amplectentur.

tur. Quæ omnia quamplurimum damni inferunt honori & poteſtati regiæ, ipſiuſque frequentiſſimis edictis, in tutelam reformatæ religionis (cujus aſſertor eſt) publicatis. Iure etiam meritoque querimur, quod ſint in regno Angliæ qui magis credant calumniis ad fovendam diſcordiam, excitandam in nos fratres invaſionem hoſtilem ingenioſe excogitatis, quam noſtris ſolennibus proteſtationibus, libellis ſupplicibus, declarationibus, & Sacroſancto cum Deo ipſo fœderi: Interim, qui in hanc ſententiam conceſſerunt, eos, vel falſa relatione rerum noſtrarum per adverſarios noſtros, vel defectu perſpicuæ & plenæ relationis fidelium & legitimorum noſtrorum, qui Chriſtianos decent, conatuum, eo pertractos eſſe non dubitamus. Quare ſummis votis contendimus, ut pro prudentia & Chriſtiana charitate ſibi poſthac caveant, ne ejuſmodi relationibus ad invidiam nobis conflandam confictis temere credant, donec commode de vero rerum noſtrarum ſtatu certiores fieri poſſint. Dolemus inſuper cujuſlibet animum opinionem hanc ſubiviſſe; defenſionem, ſcilicet, epiſcopatus in Eccleſia Scotica juſtam poſſe præbere cauſam nos hoſtiliter invadendi, & gentem hanc bello impetendi, ac reſuſcitandi veterem illam Chriſtiani ſanguinis profuſionem & infœlices controverſias, quæ olim inter utramque gentem exagitatæ fuerũt, nunc vero fœliciter permutatæ ſunt in ſuavem animorum conjunctionem: Quandoquidem Epiſcopatus in hac eccleſia, adverſetur primitivæ reformationi, Confeſſioni fidei, & juramento Nationali, quo regimen illud primitus abjuratum olim fuit; quod in alterius cujuſlibet regni aut eccleſiæ damnũ cedere nequit, quæ propriis ſuis ſtatutis & conſtitutionibus adhærere poteſt. Verũ ſicuti in omnibus quæ ſub deliberationẽ cadunt, juſtitia debet eſſe cauſa movens, & utilitas aut honor, fines;

ſic

ſic in negotio hoc momenti maximi ſerio hæc perpendenda veniunt, An videl. hoſtilis hæc regni noſtri invaſio, quia ſacramento Deo omnipotenti præſtito de re legitima, adhæremus, & debitam legitimis regni ſtatutis & eccleſiæ decretis obedientiam præſtamus; invaſoris reſpectu legitima eſſe poſſit & & juſta: & an utilitas reſtituendi inter nos Epiſcopatum poſſit præſtare tantam Chriſtiani ſanguinis profuſionem & cruenti belli diſcrimina, cujus eventus à Domino exercituum dependet. Quin cuivis quam perſpectiſſimum eſſe poterit, alium longe finem ab adverſariis noſtris hoc bello intendi, eorumque conſilia altius deſcendere, alioqui certe præſules, ſi Chriſtianā religionem & patriam ſincere & ex animis colerent, facilius ferrent jacturam ambitionis & ſæcularis faſtus quæ ſtudioſe fovent, quàm ut ſubjiciendo faces quibus utrumque arſurum ſit regnum, religionem ipſam in manifeſtum diſcrimen deducerent.

Ne quis vero ſcrupulus cujuſlibet animum ſuſpenſum teneat de noſtrarum intentionum ſinceritate, aut actionum æquitate, aut declarationum & accuſationum contra reformationis & pacis noſtræ hoſtes inſtitutarum veritate: Ecce, paratos nos profitemur, ac opportunitatem nobis concedendam obteſtamur, iiſdem coram toto terrarum orbe aſſerendis & vindicandis: Etenim niſi nobiſmet ipſis oculos ſponte occluſiſſemus, ac adverſati fuiſſemus voluntati Dei nobis cognitæ, agnitæ, à nobis obſignatæ, in quam à Rege Sereniſſ. & majoribus noſtris ſolenni cum Deo fœdere juratum fuit, quæque tot frequentibus regni ſtatutis & eccleſiæ decretis poſt reformationem ſancita fuit; nihil prorſus eorum quæ à nobis facta ſunt, ullatenus omittere potuimus: Atque licet regnum hoc & eccleſia, tam libera, antiqua, independentia ſint, quam quodlibet ullum

ullum aliud regnum aut eccleſia in toto terrarum orbe, nihilominus ut vicinæ genti ſcrupuli omnes penitus eximantur, ne conatus & actiones noſtras in deteriorem partem interpretetur, & ut demonſtretur quam non ſolum legitima verumetiam ſimpliciter neceſſaria fuerint, quæcunque à nobis facta ſunt in nupera Nationali Synodo; certo confidimus ordines regni Angliæ (ſi iiſdem in parlamento convocatis actionum noſtrarum in hoc negotio progreſſus & ſeries fideliter, candide, ac plene relata fuerit,) non ſolum eaſdem non condemnaturos, verumetiam earundem æquitatem calculo ſuo approbaturos, ac in noſtram gratiam ſe apud Regem Sereniſſ. interpoſituros: Ideoque rogamus, ne quis, cujus animo ingenuus erga Scotiam amor inſidet, deteriora interim de nobis ſuſpicetur; qui de actionum & intentionum noſtrarum innocentia non dubitamus, quæ hactenus liberæ fuerunt ab omni criminis labe in regem noſtrum Sereniſſ. aut vicinam gentem: Et ſicuti certiores facti de hiſce calumniis contra nos confictis, ſacroſancto juramento in frequentiſſimo conventu nobis invicem declaravimus, ejuſmodi fœdis & impiis conſiliis locum apud nos nunquam conceſſum fuiſſe; ita impenſe rogamus, ut commoda opportunitas nobis offeratur, qua eandem noſtram innocentiam vobis & toti terrarum orbi teſtatam faciamus.

Quibus votis tam æquis, tam pacificis ſi damnemur, non erit ſolum nobis Chriſtianis veſtris fratribus ingenti ſolatio, ac in futurum arctius nos vobis ſtringet, verumetiam omni dubio procul remoto, æquiſſimus mundi arbiter beneficii hujus in nos collati fructum uberem rependet, & cui notum quam cito.

Nobis interim curæ erit omni opportunitate arrepta perſpicue demonſtrare, quantum ab animis noſtris

noſtris ſemper hactenus fuerit (& Dei gratia ſemper futurum ſit) ut qualibet hoſtili actione, vicino regno noceremus, niſi quantum in neceſſariam noſtram defenſionem cogemur. Atque licet (quod bonus Deus avertat,) dura neceſſitas ad illud nos impelleret, illubenter certe in eam opinionem deſcendemus, ut judicaturi ſimus tale quid à regni illius corpore procedere, cum quo uti nulla eſt nobis controverſia, ſic propoſitum nobis non eſt contentionis funem cum illo ducere, niſi primi ab Anglia invadamur: Quin potius judicabimus turbas haſce primum excogitatas, fotas, ac promotas fuiſſe ab iis qui neutri alterutrorum regnorum bene volunt, cum quibus ſolis nobis contendendum erit, quos jure pro meritis accipere poſſumus; utpote quod ob privatos & turpes ſuos fines non dubitent utrumque pariter regnum cruenti belli calamitatibus involvere; Atque licet factio domeſtica ab externis focillata, à quibus nervos ſuos derivat, nutritur, ac fovetur, nos ad vindictam irritet & ſolicitet; ejus tamen futilitas & infirmitas ea eſt, ut, ſicuti in flammam nos non concitabit, niſi manifeſta hoſtilitate nos aggrediatur; ſic multo minus ad violentiam ullam nos protrudet, qua fraterna duorum horum regnorum concordia interrumpi, aut labe quavis ſancta noſtra profeſſio aſpergi poſſit: Ita confidimus iniquas communium utrique noſtrûm adverſariorum calumnias, eouſque apud chariſſimos fratres non prævalituras, ut eos in funeſtam contentionem contra nos deducant, præſertim cum tam amico erga eos animo ſimus, ut ſeria ſympathia tangamur graviſſimorum onerum, & intolerabilium gravaminum, quibus premuntur per tyrannidem Hierarchiæ, & metuendæ iſtius ſervitutis, ſub cujus jugo gemunt, ad eas incitas redacti impiis eccleſiaſticorum conſiliis, quæ Romam ſapiunt, & pericu-

loſas tam in negotio religionis quam politiæ innovationes quotidie proferunt.

Ut ingenuam & apertam hanc intentionum noſtrarum declarationem emitteremus, officii noſtri ratio nos cogit; ut omnibus ſaltem probis vicinæ gentis ſubditis ſatisfaceremus, uti ſperamus nihil illis magis in votis eſſe quam ut confirmentur in bona, quam de nobis conceperunt ac fovent opinione; & ut ſic præmuniantur contra traductiones & calumnias eorum qui extremam Chriſti regni ruinam, & ex tota hac inſula profligationem ſibi propoſuerunt. Quam calamitatem Deus avertat, quem ſerio precamur, ut pacem & veritatem nobis largiri velit, ultra quæ animorum noſtrorum deſideria ſe nunquam extenderunt, quibuſque procurandis nullis aliis utemur armis (niſi coacti) quam jejuniis & ad Deum omnipotentem precibus, ac ſupplicibus obſecrationibus ad Sereniſſ. & Clementiſſimum noſtrum Regem.

Reviſum ex præſcripto Nationalis Synodi per me Mr. A. Ihonſtonum, Synodi ſcribam.

Edinburgi 4. *Februarij* 1639.

Hoc ſcriptum avide arreptum à multis in Anglia, ſed ſtatim maxima cura ſuppreſſum, ne in plures evulgaretur, & contrarium ſcriptum in Anglia adornatur quod per omnia templa Angliæ, dum ad ſacra conveniret populus, è ſuggeſtu prælegendum imperatur; aculeatum imprimis, quo fœdus illud Scotorum cum Deo latum, opus diaboli, fœderati Scoti Dei & hominum oſores, hypocritæ, ſeditioſi, rebelles, male ſani cerebri, quorum technæ aperte ſe proderent, qui ſibi propoſuiſſent Angliam invadere, & læſæ majeſtatis rei declarantur; ut omnis ſexus, omnis ordo hominum in eorum perniciem animaretur, & ad arma, quibus Scoti fœderati obrueren-

ruerentur, prorueret: quod de verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

PER REGEM.

Edictum & declaratio, qua certiores fiant dilecti noſtri ſubditi in regno noſtro Angliȩ, de ſeditioſis actioninibus quorundam in Scotia, qui falſis religionis prætextibus Regiam noſtram authoritatem ſubvertere conantur.

QUandoquidem placidis & pacatis mediis diu hactenus omnem operam dedimus, ut tumultus, a quibuſdam in nos iniquioribus, excitatos in regno noſtro Scotiæ ſedaremus; ſed fruſtra. Nunc non æquum ſolum, verumetiam neceſſarium iudicavimus, ſubditis noſtris in hoc noſtro Angliæ regno in genere declarare, quæ fuerit actionum noſtrarum veritas; quanta lenitate & clementia erga eos nos geſſerimus; & quam maligne & pertinaciter illi ſeſe contra nos geſſerint, quemcunque tandem ſpecioſum fucum obducant, quo ſe ac odioſam ſuam cauſam fidelium noſtrorum ſubditorum animis melius inſinuare poſſint.

Tumultus illi & confuſiones in Scotia primum excitati fuerunt, & nutriti à ſeditioſis quibuſdam & in perduellionem pronis ingeniis, religionis prætextu, qui à perduellibus ſolenniter ſemper oſtentatur; nunc tamen manifeſto apparet, hominibus iſtis religionem nõ fuiſſe propoſitam, (uti præ ſe falſo ferunt & divulgant) ſed ut omne Monarchici regiminis genus prorſus excuterent, regiamque noſtram Authoritatem, jure hæreditario nobis in eos competentem, contemnerent: Quin ipſorum malignitas eouſque proceſſit, ut aſtute & ſubdole conati ſint corda fidelium noſtrorum in hoc regno ſubditorum inficere, & ad parem rebellionem (ſi penes eos fuiſſet)

ſeducere. Nunc licet ſatis fidamus amori ſubditorum hujus regni erga nos (cujus perſpicua teſtimonia hactenus exhibuerunt, quando tam paratos & hilares in hac cauſa nobis ſe obtulerunt) neq; unquam putemus factioſa & turbulenta iſta ingenia ſcopum ſuum hic obtentura, nihilominus tamen perneceſſarium cenſemus, iiſdem mature ſignificare, quam perduellibus conatibus & conciliis iſti ferantur, quæ multifariam ſe nobis produnt.

Uti. 1. Frequentes famoſos libellos, calumniis contra regiam noſtram authoritatem, & æquas actiones refertos imprimi curarunt, quos in diverſis regni hujus partibus ſparſerunt.

2. Literis huc miſſis quoſdam contra nos excitare, & quoſdam fœderis ſui ſocios Londinum miſerunt, qui in privatis conventiculis, probos noſtros ſubditos ab officio nobis debito ſeducere conati ſunt.

3. Æqua noſtra mandata omnia contempſerunt, & contra eadem ſeditioſe proteſtati ſunt, quod in regno rite ordinato ferendum non eſt.

4. Fœdus noſtra Authoritate imperatum, eo nomine quod à nobis imperatum eſſet, rejecerunt, cum tamen nullum fœdus in eo regno unquam fuerit, ſit, aut eſſe poſſit ligitimum, quod authoritate Regia imperatum non ſit, aut ſaltem aſſenſum ab eadem habeat, v. g. fœdus illud regnante patre noſtro, glorioſæ memoriæ, ab eo probatum fuit, & dein permiſſum ut ſubditi illud obſignarent; idque Synodo Nationali obſecrante. Repetimus, fœdus noſtrum ab iis rejectum fuiſſe, eo nomine quod à nobis imperaretur, quod vel inde conſtat, ex harmonia videl. abſoluta inter fœdus à nobis imperatum, & illud ab iis obſignatum, quantum ad negotium religionis attinet. Quo iſtorum fœdere, multis proditorie perſuaſerunt, ut in ſocietatem fœderis contra nos jura-

rent:

rent: quod fœdus (vel verius conſpiratio) cum Deo eſſe nequit, cum contra nos ſit Dei unctum & ipſorum regem, verum fuit & eſt fœdus cum Deo ſolum prætenſum, ut ſpecioſius perficerent opera diaboli, qualia ſunt rebellio & perduellionis crimen.

5. Denique iſtorum conatus & conſilia rebellia ex omni genere hoſtilis apparatus bellici ſe produnt; quaſi nos ipſis non eſſemus rex, ſed hoſtis juratus. Et apparatu hoc bellico inſtructis quid aliud propoſitum eſſe poteſt, quam ut regnum hoc invadant? niſi nos præmunitos deprehenderint, tam ut eorũ armatæ violentiæ reſiſteremus, quam ut in ſuperbam iſtorum contumaciam animadverteremus. Nam eorum plurimi & primi, non ſolum ſint ingenio inquieto, ſed re familiari diſperdita, & unice expetunt, quamlibet occaſionem ſibi oblatam (præſertim quæ religionis velo tegitur) qua ſpoliis prædiorum & fortunarum fidelium nobis in regno hoc Angliæ ſubditorum noſtrorum, res ſuas ad lautiorem ſtatum redigant; quos confidimus ſibi & rebus ſuis melius proſpecturos, quam ut eas deſperatorum hypocritarum arbitrio permittant, quorum conditio vix deterior reddi potuit, quamque quærunt nunc meliorem efficere: Iterum quærimus, quid aliud iſtis propoſitum eſſe poteſt? Nam noſtris edictis hactenus promulgatis perſuaſimus, tantum abeſſe ut de mutanda aut innovanda religione unquam cogitaverimus, ut contra apud nos firmiter ſtatuerimus, eandem, prout legibus regni publicis ſancitur, tueri: Et certe licet uſque adeo nobis cordi fuerit iiſdem hic ſatisfacere, ut omnibus ipſorum poſtulatis annueremus, regia tamen noſtra clementia nullum aliud effectum apud eos ſortita eſt, quam ut per eam intoleranda eorum ſuperbia aucta ſit: Ad omnia nihilominus connivere viſum fuit, donec radicem ipſam regii regiminis aperte peterent: Regiam

quippe authoritatem nunc ſibi aſſumpſerunt, etenim licet in omnibus regnis typographia ad regem pertineat, ſeditioſi tamen iſti auſi fuerunt quicquid ipſis libitum eſſet, prælo committere nobis etiam vetantibus; & vetare ne imprimeretur quod ipſis diſpliceret, nobis etiam impreſſionem imperantibus, nec ſine inſigni contumelia typographum noſtrum dimiſerunt. Præterea auſi ſunt conventus ſubditorum noſtrorum indicere, exercitus colligere, arces noſtras obſidere, ſubditos noſtros cenſere, non ſine minis contra eos qui nobis fideles permanſerant. Hiſce addemus, quod mandata & authoritatem ſenatus noſtri deſpectui habeant, & authoritate ſua propria ſenatum erexerint, cui adſunt quidam ex ipſorum primariis ſpecie deputationis à nupera Pſeudo-ſynodo Nationali: Atque ſic conveniunt quando & ubi ipſis viſum fuerit, agitant & definiunt quæ ipſi volunt, & mandata ſua per omnes regni partes emittunt, ſine conſenſu, imo notitia noſtra, vel deputati noſtri, vel ſenatus; quod licet directe adverſetur plurimis ſtatutis illius regni, nihilominus tamen auſi ſunt obtendere violationem legum, quaſi vecordis ſui furoris cauſam primariam.

Hic itaque Deum & orbem univerſum teſtamur nos ad arma coactos deſcendere, non ſolũ ut eos ad ſaniorem mentem revocemus, & authoritatem noſtram regiam in antiquo illo noſtro regno reſtabiliamus, verumetiam ut præſidio & ſaluti ſimus huic regno, fidelibus ſubditis, cum uxoribus, liberis, bonis tam eorundem quam noſtrorum, contra iſtorum rabiem, furorem, ac fœdus. Nobis etiam viſum eſt vobis inſuper declarare; ſperare nos eorum optimis ſuo tempore oſtenſuros, nos fœdus in regno noſtro cui aſſenſum non præbemus, nunquam laturos. Itaque ſtatus quæſtionis nunc non eſt; An recipiendus ſit liber liturgicus nec ne, neque an continuandum

Epiſco-

Epiſcopale regimen, an vero iſtud per presbyteros amplectendum; verum, An nos pro rege habeant an ſecus. Nam licet in quibuſdam ab ipſis editis libellis nobis ſubblandiantur, noſque blanditiis ob ſuos fines permulcere conentur, præſertim in nupero iſto libello Edenburgi impreſſo Februar. 4. 1639. Quidam tamen ipſorum repudiant tam juramentum fidelitatis quam primatus, ac publice tuentur, non teneri ſe ut in ea juramenta adigantur; quis vero putabit fideles & devotos nobis ſubditos eſſe, qui periculoſarum ejuſmodi opinionum Authores ſeu fautores ſunt: aut pios & religioſos eſſe, qui doctrinam eam promovent, quæ uſque adeo adverſatur communi & receptæ omnium proteſtantium Theologorum ſententiæ de rege & civili magiſtratu? Atque hoc morbo quamplurimos ſuorum infecerunt, nam tres Scoti hodie in Wallia in vinculis detinentur, ob rejectionem juramenti fidelitatis & primatus noſtri, & allegant ſe non poſſe fidem ſuam illis juramentis obſtringere, quia in fœdus iſtorum prius jurarunt. Atque licet hactenus uſque adeo clementer & patienter erga eos nos geſſerimus, nolumus tamen ut quilibet ſubditorum noſtrorum exiſtimet, nos poſſe aut velle permittere abrogationem regiminis Epiſcopalis ex illo noſtro regno, tam frequentibus legibus ibidem ſanciti, præſertim cum univerſo Chriſtiano orbi notum ſit, regimen illud in ſe eſſe maxime Chriſtianum, & paci ac Monarchico regimini imprimis accommodum.

Volumus etiam, ut ſecum perpendant illius regni noſtri ſubditi, quid fiet de tertio membro Parlamenti ſi aboleatur Epiſcopatus.

Viſum inſuper eſt vobis ſignificare, & univerſo Chriſtiano orbi notum facere, introductione libri liturgici in regno illo, nobis propoſitum non fuiſſe religionem ſeu hic, ſeu ibi innovare; verum ut eſſet

conformitas in cultu divino publico inter illud regnum & alia noſtra duo,licet maligni in deteriorem artem quædam detorſerint.

Certiores vos facimus prodituram ſtatim fuſam declarationem quæ ſingula ab hujus negotii primordiis continebit, ipſorum improbis actionibus teſtata, ut blandi ſed falſi ipſorum ſermones convincantur & confundantur: Interim quia declaratio ea tam mature componi nequit, neceſſarium judicavimus, ut præcurreret brevis hæc declaratio, ne fideles noſtri ſubditi hic aut alibi inficiantur falſis,impiis, fucatis, ſed admodum ſeditioſis iſtorum declarationibus: v. g. in poſtremo ſuo libello, (præter plurima falſa, vilia, & aſſentantia) ſunt hæc ſcandaloſa & ſplendide falſa mendacia: ut cum dicunt, Præfecturam ſummam exercitus quem nunc contrahimus, commiſiſſe nos profeſſis & apertis papiſtis, quod non plus noſtro honori & nobilibus quibus iſta cura demandatur derogat, quam eſt in ſe aperte falſum. Rurſus dixerunt; Quoſdam magnæ authoritatis in Hierarchia Anglicana, perſuaſiſſe ut armato exercitu nativum illud noſtrum regnum aggrederemur, ac ſeſe cum ipſorum religione intermiſcuiſſe; Cum tamen veriſſimum ſit,eorum nullum quidlibet aggreſſum fuiſſe niſi noſtro regio mandato: Et de armato exercitu, omnibus noſtris ſenatoribus qui tunc interfuerunt, liquido conſtat, illorum conſilia ad pacem inclinaſſe, & (quantum penes ſe fuerat) perſuaſores fuiſſe moderationis immeritæ, quam erga tantorum criminum obnoxios hactenus exercuimus.

Dicunt inſuper, ſe nihil hoſtile contra Angliam aggreſſuros, niſi ad neceſſariam tutelam cogantur: Lubenter hic ſciremus. Cujus rei tutelam? An perduellionis, Contra quos? Nonne contra nos verum & legiti-

gitimum ipſorum regem? Si ſe contra nos tueri velint, lege illud oportet, non armis, illam nunquam defugiemus, hanc nunquam permittemus. Leges vero noſtræ quas præ ſe ferunt ſe tanti facere, ab iis quodammodo opprimuntur, & judices noſtri ita terrentur, ut vix ac ne vix quidem auſi ſint ſecundum leges ſententiam pronunciare.

Hujuſce generis ſeditioſis libellis rogamus ne boni noſtri ſubditi ſe infici patiantur: utque omnes ſciant quam neceſſario nunc cogamur armis nos inſtruere; quod nullo alio fine fit, quam ut regno huic noſtro ſecuritatem & ſalutem præſtemus, & authoritatem noſtram ibi collapſam reſtituamus, eoſque in ordinem cogamus qui obliquis artibus ſubditos noſtros in Scotia ſeduxerunt, idemque hic moliuntur, niſi ipſorum fraudi mature præveniatur. Nequaquam vero nobis propoſitum eſt armata manu urgere innovationem religionis quæ regni illius legibus ſancitur, aut ut ejus leges, libertates & privilegia legitima violemus.

Præſentibus ergo hiſce volumus & imperamus omnibus hujus regni noſtri ſubditis, ne libellos ſeditioſos de hiſce rebus ex Scotia aut aliunde tranſmiſſos recipiant; utpote quorum nullus alius uſus eſſe poterit, quam ut ad parem rebellionem excitentur fideles noſtri ſubditi. Mandamus etiam ut quicunque ejuſmodi libellos hactenus receperint, eirenarchæ noſtro proximo ſtatim tradant, qui eoſdem ad quemlibet noſtrorum ſecretariorum tranſmittet, ſub pœna ſeveriſſima.

Volumus etiam & jubemus, ut edictum & declaratio hæc noſtra prælegatur in ſingulis per univerſum hoc regnũ templis quando ſacra peraguntur, ut infimi etiam & viliſſimi perſpiciant ſplendida & impro-

improba iſtorum facinora, actionumque noſtrarum æquitatem & clementiam.

Datum in Aula noſtra. 27. Februar. anno. 14. regni Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ.

Deus cuſtodiat Regem.

Impreſſum Londini apud Typographum Regium 1638.

Qui annus erat Scotis uti omnibus aliis Chriſtiani orbis incolis 1639. Sed Angli computum ſuum annuum inchoant à 25. Martij.

Claſſico hoc ſatis innotuit Scotis quid ſibi exſpectandum eſſet, præſertim cum ab iis interceptæ eſſent tum literæ ad Marchionem *Huntilæum*, nobilem, clientelæ numeroſiſſimæ, cujus in Borealibus Scotiæ provinciis ultra montem Grampium formidabilis olim conſuevit eſſe potentia; & hiſce literis intelligunt fœderati, *Huntilæo* cum ſumma authoritate iſtarum provinciarum præfecturam à rege demandatam fuiſſe: quam ſciebant cupide amplexurum, & nihil reliqui ad ſummam diligentiam facturum, quo regis deſiderio ſatiſfaceret, & familiæ ſuæ Gordonianæ exiſtimationem augeret. Certis etiam nunciis certiores fiunt fœderati, ſe in Anglia rebelles declaratos, *Berwicum* & *Carleolum* munitas in Anglico limite urbes præſidiario milite impleri, regem ſereniſſ. ingentem exercitum terra marique contra ſe ſubmittere, Comitem *Arundelium* huic expeditioni præfectum eſſe, edicto regio ex ſingulis Angliæ provinciis juſto numero delectos & in armis exercitatos regio vexillo Eboraci adeſſe, familiam regiam iter Eboracum verſus, ad diribitorium deſignatum, ſuſcipere, regemque ipſum citatis equis ſubſequuturum, & magnis itineribus Scotiam verſus caſtra promoturum, Marchionem *Huntilæum* ut ſeptentriona-

trionales Scotiæ provincias a reliquis diſtraheret, paratum habere ex clientibus & aliis quatuor aut quinque millia militum ſub ſignis: *Abredonenſes*, qui ab horum motuum initiis averſi in fœderatos animi aperta ſigna ſæpius prodiderunt, urbem ſuam maritimam magna feſtinatione munire, ut regiã claſſem amice exciperent, unde auxilia quotidie exſpectabãt, præmiſſo hactenus apparatu bellico; Auſtralibus Scotiæ provinciis Marchionem *Duglaſſię*, Comitem *Hethiæ*, ac Baronem Parlamentarium *Hereſium*; omnes Pontificiæ religionis, cum ſuis clientelis quæ ſane numeroſæ ſunt, imminere: Proregis Hiberniæ minas, qui præ ſe ferebat ſe totum occidentale latus Scotiæ, quod Hiberniam ſpectat, infeſtaturum, ſuperaddi. Summà, cum undique metus ab externo hoſte tam mari quam terra ſe oſtentaret, nec levis tempeſtas ab internis hoſtibus, Pontificiis aulæ addictis, & quotquot in turbidis aquis largam piſcaturam ſibi promittebant, qui in diverſis regni partibus ſe communiebant oborta eſt. Accipiunt etiam, hoſtium conſiliis perſuaſum fuiſſe Anglis; Scotis in ordinem cogendis, externis copiis vix opus eſſe, mutuis cædibus ſemetipſos confecturos; vim tantum in limitibus eminus oſtentaret Rex.

Quare fœderatorum primarii Edenburgum convolant ad deliberandum ne quid religio & Reſpub. detrimenti caperet: Ante omnia ſtatos dies complures per univerſum regnum publicis precibus ac jejuniis dedicant, ut Rex regum in cujus manu corda regum ſunt, Sereniſſ. ſui regis animum, inimicorum calumniis à ſe prope abalienatum, ad mitiora & æquiora conſilia flectere dignaretur: à ſe nihil non ſed fruſtra pertentatum, quo regis immeritam iram deprecarentur; declarationes, Apologias, juramenta ſua ſolennia quibus ab objectis criminibus

ſe vin-

ſe vindicabant, rejici querebantur, neque alio adhuc reſponſo dignatum fuiſſe regem ſupplices à ſynodo literas fideliter traditas, quam apparatu hoc bellico: Difficultatibus hiſce quibus undique obſepti quamprimum occurrendum eſſe omnibus perſuaſum fuit. Ad defenſionem itaque ſedulo ſe comparant, cumque plurimum inter arma bonam conſcientiam ſibi vendicare compertum haberent; nam ut ait ille

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Scripto demonſtrant juſtitiam & præſentem neceſſitatem defenſionis contra armatam ſupremi magiſtratus vim: Licere videlic. maximæ & incorruptiori nobilitatis parti, cum collectivo regni corpore, religionem legibus publicis ſancitam, regni privilegia & libertates armata manu tueri, contra principem qui extra regnum degens, hoſtium religionis conſiliis circumactus, hoſtili apparatu ſubditos ſuos nullius criminis in leges reos aut convictos invadit, idque abſque ulla juris divini aut humani violatione. Scriptũ hoc publicis typis & prælo nunquam commiſſum, oppugnarũt illud multi, ſed ex obliquo partes quaſdam perſtringentes, eaſque à corpore ſcripti reſecatas, ut facilius de adverſario à ſe convicto triumphos facerent; utramque paginam Ieſuitiſmi criminationibus replebant; contra vero fœderati Scoti immanem inter ſe & Jeſuitas differentiam oſtendebant; majorumque ſuorum ab ipſi regni Scotici primordiis, (quæ in ea tempora conjiciunt Hiſtorici quibus Alexander Magnus Babylonem cepit) ac vicinorum omnium regnorum vetera & recentia exempla proferebant, quibus quæſtionem hanc extra omnem dubitationis aleam repoſitam affirmabant; prodiit tunc in lucem libellus quidam in Hibernia

bernia impreſſus, cujus author ut ſpecimen exhiberet pœnitentiæ quam profitebatur, quod Scotorum fœdus approbaſſet, ex profeſſo totum illud Scotorum ſcriptum refutandum in ſe ſuſcipit, ac ut opimam aliquam conditionem eccleſiaſticam adipiſceretur, ſtrenue in Scotos fœderatos debacchatur, ut patronis ſuis munificis placeret, contraria theſi elegans ſcilicet & politum illud opuſculum exornat, videlic. Non licere omnibus omnino ſubditis licet in unum coëuntibus, armata manu contra regem ſuum ſe tueri, licet ſurſum deorſum omnia tam in religione quam in legibus regni fundamentalibus vertat, omnibus ex regno fugiendum eſſe aut ferendum; læſæ majeſtatis reos eſſe, Ieſuitiſmum reponere merum, qui ullam omnino quibuſlibet defenſionem armatam relinquat; jus hoc regis ſecum ferre, cujus abſolutam & illimitatam poteſtatem qui legibus ſubjiciat, aut juramento, quo reges inaugurati obſtringuntur, coërceat, humani & divini juris violatorem eſſe: Scoti fœderati cum libellum hunc tantas abſurditates prima facie præ ſe ferre conſpicerent, ut ſperarent deſperata ejuſmodi dogmata nullos amplexuros, præſertim cum nullis aliis argumentis quam virulentæ linguæ petulantia & impuris verborum bombis inſtruerentur, indignum judicarunt reſponſo, neque tenebrionum ambitionem, & captandæ gloriolæ immoderatum ardorem ſubjectis reſponſionum faculis fovendam eſſe.

Ne vero ex improviſo opprimerentur provinciæ limitaneæ, legionem peditum conducunt ſub ductu fortiſſimi & ſolertiſſimi tribuni *Munroi*, qui limitibus eſſent præſidio, priuſquam major vis hoſtium ingrueret; ac in limitaneis iſtis provinciis locis opportunis diſpoſiti impedirent, ne qua manus domeſticorum hoſtium, qui regiarum eſſent partium, coiret. Uno etiam condicto die multa regni propugnacula

in di-

in diverſis regni partibus ſine cæde & ſanguine intercipiunt, Edenburgenam præſertim & Britannodunenſem arces regias, in rupibus præcipitibus ſitas, quibus aperta vi potiundis ſi apparatu bellico inſtructæ fuiſſent, nulla erat ſpes, verum neceſſario apparatu & commeatu tum deſtitutas facilius fuit in ſuam poteſtatem redigere, quas commeatu & omnibus neceſſariis egregie tunc munivere: Suſpectos etiam & dubios ſine tumultu exarmant; maritima loca freti *Bodotriani* ab utroque littore, quæ maritimæ hoſtilitati maxime obvia fuerunt, ſubitaria defenſione muniunt, *Letham* præſertim portum Edenburgenum, multis hominum millibus voluntarias operas contribuentium, cum de ſalute hujus urbis penderet Edenburgum regni metropolis: idque tanta feſtinatione ut prope die nocteque in opere continuarent. Arcem *Dalkethenſem* admotis ſcalis ſuæ poteſtatis faciunt, ſimul cum apparatu bellico qui ibi poſt Iulium menſem anni ſuperioris delituit; Coronam, ſceptrum, & enſem regium, regni inſignia in conclavi ibidem repoſita inveniunt, quæ magna ſolennitate à primariis nobilibus in arcem Edenburgenam, locum à majoribus deſtinatum hiſce cuſtodiendis, deferunt. Comes *Argathelius*, ut littora *Cantieræ* & vicinarum provinciarum, ab exſcenſionibus ex Hibernia tueretur, & impediret ingentes minas *Proregis Hiberniæ*, & conatus Comitis *Antrum* Hiberni ac quorundam inſulanorum ex Hebridibus, præſertim *Donaldi Gorm* cum tribu ſua, qui omnes magnifica ſe præſtituros liberaliter promittebant; mille plus minus vaſallos & clientes ſuos in locis opportunis diſpoſuit, & cum aliis quibuſdam copiis arcem marchionis *Hammiltonii* in *Arania* (quæ inſula eſt in æſtuario Glottæ Hiberniam ſpectans, egregiamque ac tutam navibus ſtationem præbens) illæſis cuſtodibus intercepit.

Tria

Tria millia militum feſtinato delectu ex *Tranſforthanis* provinciis, quibus ſe adjunxere qui in *Anguſia* & *Mernia* fœderatarum partium erant complures, adverſus *Huntilæum* mittunt, qui tum cum æquali fere ſuorum numero ſub ſignis prope Abredoniam ſe continebat, ut fœderatos, *Forbeſios* præſertim in illo tractu perpotentes & ſibi æmulos, obrueret: Hiſce fœderatorum copiis præficitur *Comes montis Roſarum* magnæ ſpei juvenis, cui in vivido illo juventutis flore non ſolum non defuit, verumetiam eandem longe ſuperavit: huic comes adfuerat ſed ſine ulla publica præfectura nobiliſſ. *Alexander Leſlius*, Eques Auratus, cui per omnes militiæ gradus illuſtris virtus & rara fœlicitas ad ſummam dignitatem & præfecturam militarem in caſtris Sueco-Germanicis viam fecit, ejuſque, ſecundum Deum, providis conſiliis hujus expeditionis fœlicitas plurimum debebat. Mandatum fuit ut operam darent ne *Huntilæus* amplius provincias illas Boreales turbaret, & ut ipſum adorirentur, priuſquam cum claſſe regia vires ſuas conjungeret, cujus adventum quotidie præſtolabatur; ut *Abredoniam* ſubitaria defenſione à civibus communitam in fœderatorum poteſtatem redigerent, & cæt. Favit Deus incœptis, nam audito copiarum fœderatarum, quas *Comes montis Roſarum* ducebat, adventu, quibus fœderati ex adverſa Grampii montis parte ſe conjuncturi erant, dilabitur *Huntilæus*, nam vel copiis hiſce conjunctis ſe imparem cernebat, quarum conjunctionem impedire non potuit, vel in mandatis fortaſſe non habebat, ut prœlii dubiæ aleæ rem adhuc committeret; & ad munitum caſtellum *Bogium* maxima feſtinatione cum familiaribus & tribus liberis ſe recepit; Atque cum à ſelectis quibuſdam fœderatorum copiis infeſtatum ſe cerneret, & caſtellum ab omnibus ad arcem defendendam neceſſariis imparatum, ultro

ſe in

ſe in fœderatorum manus tradidit, & non exſpectata obſidione pacis conditiones accepit; multi propinquorum & clientium fœderi ſubſcribunt; Ipſe Marchio *Huntlæus* cum primogenito, ut obſes & pignus ſolidæ in futurum pacis foret, Edenburgum abductus, atque ibi in firma ſed libera cuſtodia fuit: etenim non ſatis tutum arbitrabantur fœderati, nobilem tam potentem, qui iniquioris in ſe animi indicia complura proderet, liberum dimittere, præſertim cum ipſius proximus natu filius *Vicecomes Habonię*, magni animi adoleſcens, accepto paucorum dierum commeatu, & de reditu data fide, non tamen redierit, &, prout ſuſpicabantur prudentiores, majorum poſtea turbarum author & dux fuerit. In regiarum partium fautores inquirunt fœderatæ illæ copiæ, iiſque apparatum bellicum, quem non ita pridē miſerat rex, adimunt. *Abredonia* etiam ab *Hûntilæi* copiis deſerta, ſponte ſe fœderatis, quorum copiis imparem ſe cernebat, ſubmiſit, ac (dilapſis primum Epiſcopo & Theologis, quorum opera vulgo creditum fuit cives à fœdere Scotorum alieniores fuiſſe redditos, & aliis qui fœderatos petulantius laceſſiverunt, navibus ſe in Angliam conferentibus) munitiones ſuas, quibus fruſtra antehac ſe jactabat, adæquavit, civiumque complures fœdus Scotorum chirographis & juramento ſolenniter obſignarunt.

Pacatis Borealibus ultra Grampium provinciis, & in Auſtrali, ac Orientali plaga omnibus ſic comparatis, ut nullus eſſet ab hoſte inteſtino metus, arbitrabantur fœderati Scoti, ſatis jam innotuiſſe Anglis, (quos omni conatu adnitebantur ipſorum adverſarii in belli contra Scotos ſocietatem trahere) quam vana & futilia eſſent illa promiſſa & relationes de numero & potentia domeſticorum hoſtium in ipſis Scotiæ viſceribus latentium; Interim, quia ſciebant eoſdem ſuos adverſarios, pro ingenio & moribus

i conſue-

conſuetis, actiones has quam atrociſſime inſectaturos; & (quandoquidem commentum illud de ſumma facilitate conficiendi Scotos, ab ipſis Anglis exploſum conſpexiſſent) ad alias artes ſe converſuros, ac juraturos, prodere jam fœderatos manifeſta rebellionis ſigna, quā religionis fucata larva hactenus velarunt, eos proſtituere ac tantum non conculcare majeſtatem regiam, nec intra defenſionis limites iis ſtatutum ſeſe continere, notiora eſſe illa à rege ſereniſſ. Scotis fœderatis objecta edicto illo Februarii 27. quam quæ negari aut excuſatione ulla dilui poſſent; Scriptum ediderunt fœderati quo ad edictum illud, & ſingula ejus capita fuſe reſpondent, præcedentium ſuarum actionum æquitatem demonſtrant, ac ab omnibus in edicto objectis vindicant, Defenſionem hanc ſuam armatam licitam docent, & ideoque interceptionem hanc arcium & caſtellorum legitimam imo neceſſariam fuiſſe, cum medium ſit ad defenſionem ſimpliciter neceſſarium. Etenim ſi liceat rem alienam, ex qua ingens & certum mihi imminet periculum, citra alienæ culpæ conſiderationem invadere, & cuſtodire donec ſecuritati meæ cautum ſit; cur non (inquiebant) liceat collectivo regni corpori contra armatam vim legitime ſe tuenti, arces & fortalitia à majoribus ſuiś intra regnum condita, ut eſſent propugnacula contra externos hoſtes, intercipere? Cum præſens & ingens ab iis toti regno intentetur periculum: Scriptum vero illud de verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

REMONSTRANTIA

Nobilium, Baronum, Civium, Paſtorum & plebis regni Scotiæ, qua ſe actioneſquè ſuas vindicant à criminibus objectis in nupero edicto regio in Anglia promulgato Februar. 27. 1639.

LIcet abyſſus conſiliorum, & ſecreta viarum quibus omnipotens Deus incedit, nobis impervestigabilia ſint, donec ab ipſo recluſa divulgentur; quantum tamen concipere poſſumus de providentiæ divinæ progreſſu in præſenti noſtro negotio, ſubit animos Deum ingens aliquod opus in terris meditari: Nam poculum illud iræ divinæ, reformatis aliis eccleſiis propinatum, nobis nunc offertur: Nihil reliqui ad ſummam diligentiam à nobis factum eſt, ut regem noſtrum ſereniſſ. qua precibus, qua remonſtrantiis, qua humillimis literis ſupplicibus, de rerum noſtrarum vero ſtatu certiorem faceremus, ac immeritam ejus iram deprecaremur: ſed fruſtra fuere omnia; Nam ejus aures præoccupatas reperimus falſis relationibus Pſeudo-epiſcoporum noſtrorum, & aliorum qui in aquis noſtris turpidis largam piſcaturam ſibi promittunt, unde factum ut regis ſereniſſ. ira indies incaleſcat, uti nobis devotiſſimis regi ſubditis hodie nimis compertum eſt, qui clemens & benignum reſponſum ad poſtremam noſtram ſupplicationem ſynodi nomine exhibitam anxiis animis exſpectabamus; & uti omnibus conſtare poteſt ex nupero illo edicto & declaratione in Anglia Februar. 27, in omnibus regni Angliæ templis prælegenda.

Hoc tamen nobis ſupereſt ſolatium & certa ſpes, cui nitimur; Ipſas inferorum portas contra cauſam hanc quam tuemur non prævalituras, ac teſtimonio quod exhibebitur regno filii Dei Ieſu Chriſti, de quo tota

tota controverſia nunc vertitur, Deo tandem gloriam in altiſſimis conſtituram, pacem in terris, & Dei populo benevolentiam. Nobis interim vel quam maxime dolet, ad eas nos incitas redactos eſſe, ut vel pereundum ſit ſub intolerabili tot atrocium criminum infamia, aut cogamur edictis, adverſariorum noſtrorum opera protruſis, & quotidie contra nos promulgatis, contradicere.

Atque licet nupero illo edicto aliorum criminum non arceſſamur, quam quæ ſincere, plene, & perſpicue proteſtationibus impreſſis, relationibus, declarationibus, ac reſponſo a nobis dato & exhibito declarationi deputati regii, & Epiſcoporum proteſtationi, qua ſynodi authoritatem ſubterfugiebant, hactenus diluimus; ne tamen Dei cauſa, & noſtra innocentia dum eam tuemur, noſtro ſilentio præjudicii quid patiatur apud eos qui nobis bene volunt & cauſæ huic favent, & ut ex abundanti convincantur conſcientiæ, ſi non obſtruantur ora ἀντικατηγορούντων, non pigebit ſumma eorum capita repetere, quæ hactenus fuſe deſcripta ſunt, eademque præſenti inſtituto accommodare.

Titulus edicti præ ſe fert. 1. Edictum illud regium intendi, *Vt per illud certiores fiant ſubditi Angliæ*, quod unice nobis in votis eſt, & cui obtinendo ſedulam hactenus operam navavimus; certa ſpe freti; eos omnes accepta & perpenſa plena & vera rerum noſtrarum relatione, actiones noſtras judicii ſui calculo approbaturos, utpote quod ab amore in Chriſtum, Regem, & patriam (quæ apud nos indivulſim conjunguntur) proceſſerint; quorum zelo uſque adeo flagramus, ut ex animis doleamus, & inſigni injuria affectos nos putemus, quod amoris & fidelitatis officiis, quibuſlibet Chriſtiani orbis ſubditis inferiores cenſeamur. Sed quam vera narratio à prælatis noſtris, ipſorumque aſſeclis ac paraſitis ex-

ſpectari nũc poſſit, (quibus nulla alia ſpes reliqua eſt ad priorẽ faſtũ redeundi, quam ex noſtra ruina) omnes probi in Anglia pro prudẽtia ſua facile judicabũt.

2. Additur in titulo. *Seditioſis noſtris actionibus ſpecioſo religionis prætextu velatis, in id intentos eſſe ut jus regium Sereniſſ. noſtri regis ſubvertamus.* Nulla actionum noſtrarum tam frequentibus ſeditionum calumniis impetitur, quam confeſſionis fidei & fœderis Nationalis neceſſaria obſignatio, in quo tamen fœdere tantum abeſt ut regiam authoritatem ſubvertamus, ut contra *Declaremus coram Deo & hominibus, nunquam nobis propoſitum fuiſſe quidpiam conari quod cederet in regię majeſtatis & authoritatis diminutionem.* Ne per ſomnium quidem animum noſtrum unquam ſubire potuit, recuſationem libri liturgici, & epiſcopatus abdicationem (quæ duo ſtructuram cultus divini & diſciplinæ eccleſiaſticæ legum authoritate apud nos hic receptæ, ſubvertunt) à quolibet interpretandam fore tanquam juris regii ſubverſionem. Fundamenta & columnæ veri juris regii, ſunt religio & juſtitia, quæ juramento ſtabilire conati fuimus, neque dubitamus quin ſi liceat illis cum pace frui, omnibus perſpicuum fiet, hæc eſſe regii ſolii firmiſſima columina. Actiones noſtræ dicuntur *ſeditioſæ, perverſę, tumultuoſę*; intentiones *rebelles*: declarationes *libelli famoſi*: proteſtationes *factioſę*: fœdus noſtrum, *liga & conſpiratio contra Dei unctum, quod prę nobis ferimus eſſe cum Deo ut honeſtiori velo perficeremus opera Diaboli, qualia ſunt rebellio, ſeditiones*: Præparationes ad innocuam noſtri defenſionem, *hoſtiles, perinde ac ſi rex nobis eſſet juratus hoſtis*: actiones noſtræ, *inſolens & audax arrogantia*: conatus & conſilia noſtra hunc ſcopum habere, *ut Angliam invadamus, cujus ſpoliis res noſtras familiares & fortunas diſperditas reſarciamus*: præſens ſtatus *cerebri intemperies*: Noſque ipſi, *improbi, ad rebellionem proni, factioſi & turbones voca-*

vocamur. Ad quæ reſpondemus. 1. *Dominus forte in noſtras ærumnas oculos conjicere dignabitur, & pro his maledictis bonum rependet*. 2.Sam.16.12. *Beati eritis cum vos convitiis affecerint & perſequuti fuerint, ac dixerint quidvis mali adverſus vos propter me*. Matth. 5. 11. 2. Convitia hæc & probra à præſulum noſtrorum animis nulla Chriſtiana religione imbutis proceſſerunt, qui undæ maris efferatæ ſunt, ſua ipſorum deſpumantes dedecora: atque hiſce maledictis teſtatum faciunt, excommunicationis eccleſiaſticæ ſententia verè ſe Satanæ traditos eſſe, cujus ſpiritus efficaciter in eis nunc operatur: Omnia hæc ipſorum in nos convitia ne vel unicam voculam à nobis extorquebunt, qua oblique ſereniſſ. noſter Rex perſtringi poſſit. Artem iſtam antiquam edocti ſunt, Hierarchiam ſcil. ſuam, regis imagini ita caute inſerere; ut neceſſe ſit ei qui unam colat, utramq; pariter colere, nulluſq; ſit qui contra illam hiſcere audeat, niſi contemptus in hanc reus audire velit. Verum hæ ipſorum artes nobis ſunt quampridem pernotæ; Deuſque viam nobis monſtravit, qua regi debitum obſequium præſtemus, ac rebellionis, ſeditionis & læſæ majeſtatis crimina deteſtemur, Epiſcopis nullo honore affectis, ac ſine perfida abjuratæ ipſorum tyrannidis approbatione. 3. Duo ſunt quibus demonſtratur præſulibus noſtris ſtatutum iras ſuas in perniciem inſignem acuere: alterum eſt, quod aſperrimis verborum contumeliis utantur; hic tamen fine ſuo fruſtrantur; nam verba quibus utuntur convitia ſunt ex trivio, non propria, magiſque ſtudent quæcunque ab aliis aut ſemetipſis excogitari poſſunt maledicta effundere, quam quidlibet proferre, quod nobis ſeu cauſæ noſtræ vere officiat: Alterum eſt, quod Sereniſſ. regem huic negotio uſque adeo implicare ſatagant, ut cum honore vix liceat illi ſeſe extricare: Et hic etiam ſpe ſua fruſtratum iri ſpera-

 mus;

mus; neque penes eos unquam futurum, ut regem impellant ad illud quod revocari & emendari non poterit. Principes, qui omnibus ex æquo parentes eſſe debent, ſeſe partem adverſam non conſtituent, hoc enim eſſet inæquali pondere in alteram cymbæ partem inclinante, cymbam ipſam evertere, neque eos ſolum qui vehuntur, verum etiam ad clavum ſedentem manifeſto diſcrimini exponere; quod deſperato prorſus ingenio præſules noſtri potius elegerunt, quam ut ſera pœnitentia tangerentur, aut ut cum *Iona* in mare præcipitati ſoli pereant. Receptus apud eos ſermo eſt, *Cum de nobis actum ſuerit, quid nobis ſi mundus incendio pereat?*

In ea priori hujus edicti parte quæ narrationem continet; Lætamur, intentiones noſtras (Deo ſoli directe cognitas) per actiones mundo cognitas ab illis examinari: quas ſpretis eorũ calumniis & obloquiis juſtas eſſe aſſerimus: 1. Utpote, quod tam diuturna patientia æquis animis immodicam præſulum arrogantiam paſſi fuerimus, qui animorum unitatem, ſynodorum authoritatem, miniſterii ordinem, doctrinæ & cultus puritatem, totam denique religionis in hac eccleſia reformationem ſubverterunt, nullo alio fine quam ut ambitioni & avaritiæ ſuæ ſatisfacerent; (quibus tanquam faſcinis natu alium hominum animi illaqueantur, quaſque ſæviſſimas Harpyas ſemper experta eſt religio) ac unitatis fraternæ loco ſchiſma induxerunt, pro ordine miniſterii tyrannidem Epiſcopalem, pro puritate cultus divini, (quam admirandum divinæ erga nos miſericordiæ opus, & gentis noſtræ veram gloriam merito exoſculamur) primum cerebri humani inventa; dein, (cum in plenipotentiam excreviſſent per reditus & amplas dignitates, per poteſtatem in paſtores verbi & alios ſubditos, per ſententiæ dictionem in Parlamentis, Senatu regio, Collegio juſtitiæ,

ſtitiæ, Camera rationum regia, & celſa Commiſſione) librum Canonum formarunt, quibus regeretur eccleſia, hoc eſt, liceret ipſis pro arbitrio de religione ſtatuere. Toto tamen hoc tempore nullam aliam experti ſunt oppoſitionem, quam paucorum verbi paſtorum zelum, qui ſpretis fortiter periculis veritati teſtimonium præbuerunt, quam etiam afflictionibus ſignarunt; & gemitus ac clamores populi ad Deum, ut tandem aliquando dignaretur eos liberare ab ipſis magis crudelibus penſi exactoribus quam fuere Ægyptiorum ἐργοδιῶκται. 2. Quod à prima hora qua iſtis noſmet publice opponere cœpimus, actiones noſtræ quietæ, modeſtæ fuerint, ac pacem ſpiraverint, idque inde patet: Licet iſtorum arrogantia uſque adeo excreverit, ut ſine cognitione nedum conſenſu eccleſiæ librum liturgiæ formarint, qui in omnibus regni eccleſiis reciperetur tanquam unica divini cultus publici forma, ac obtinuerint ſevera edicta, quibus paſtorum bona publicarentur qui eundem non reciperent; ipſique libro eo uſi fuerint publice in cultu divino, neque paſtores ſolum & lectores quoſdam ſubmoverint qui librum illum non recipiebant, verumetiam edictum procuraverint, quo ſub pœna mortis omnibus interdictum fuit, ne quid contra librum illum & Epiſcopos quidlibet objicerent. Atque licet modus introducendi librum eſſet illegitimus, omnibuſque notum eſſet, ſecum totius cultus divini externi ſenſibilem mutationem tracturum; Nobiles tamen, Barones, Cives, Paſtores, & plebs frequentiſſimo quidem numero, ſed pacate ſine ullo tumultu, libellis ſolum ſupplicibus ſenatui regio oblatis rogarunt, ut à maximis hiſce gravaminibus liberarentur, opera ſenatus apud regem ſereniſſimum. 3. Cum ſupplicationibus hiſce ad regem per ſenatum regium directis aliter non reſponderetur, quam ſeveriſſimis edictis,

quibus omnes ipſorum actiones, conventus damnarentur; mala, de quibus queſti eſſent, approbarentur; cum ipſorum querimoniæ contra inſignia & flagrantia præſulum crimina negligerentur, noviſque moleſtiis ſuccreſcentibus premerentur: Illi in malorum horum cauſas apud ſe ſerio inquirentes, & unde factum eſſet ut æquiſſima ſua ad regem poſtulata rejicerentur, tandem deprehenderunt, à ſemetipſis & priori ſua contra Dei fœdus perfidia profectum fuiſſe: ideoque unanimi omnium conſenſu ſtatuerunt renovandum eſſe Nationale illud fœdus cum ſolenni jejunio & precibus ad Deum propitiandum, & ut melius ac fœlicius negotia in poſterum ſuccederent. Decreverunt etiam renovandum eſſe poſtulatum ad Sereniſſ. Regem, pro Synodo nationali & Parlamento, quæ ordinaria & efficaciſſima ſciebant eſſe media malis hiſce medendis: Neque quidpiam intentatum reliquerunt quo æquis hiſce poſtulatis ſatiſfieret, aut quod Chriſtianos ſubditos deceret, qui Deum colunt & regem reverentur; fuſe etiam ad ſingula, quæ contra fœdus objici poſſent, reſponderunt. 4. Cum multum petita & diu deſiderata Synodus tandem concederetur, ac regis ſpeciali mandato coiret, & deputato regio præſente in omnibus ſuis membris rite conſtitueretur; interdictum fuit ne ulterius progrederemur, ac ſevere mandatum fuit, ſine ulla à nobis oblata cauſa, ut Synodum protinus diſſolveremus. Hiſque anguſtiis utrinque conſtricti, hinc quidem præcipitandi regnum & eccleſiam in innumeras confuſiones periculo, illinc vero iræ regiæ, ſi poſt interdictionem ſynodum continuaſſemus; illud elegimus, quod Chriſti authoritate muniebatur, & quod noſtro judicio regiæ voluntati antea manifeſtatæ & publico commodo magis conveniret, prout latius hæc deduximus in literis ſupplicibus à Synodo
ad

ad Regem ſereniſſ. perſcriptis, quarum nullam mentionem facit declaratio hæc regia. Poſt illa tempora minitamur indies ab Anglia hoſtili exercitu & invaſione, contra quam, prout potuimus, noſmet paramus ac in legitimam & neceſſariam noſtram defenſionem incumbimus, ſine ulla cogitatione invadendi aut damno quolibet vicinos afficiendi. Quare poſt tam obſtinatam patientiam & diuturnum ſilentium, viæ omnes quas adhuc preſſimus, quibus gravaminum levamen obtineremus, nullæ aliæ ſunt quam humiles ad Deum preces & ſupplices ad regem libelli, neceſſariæ proteſtationes, religioſa fœderis Nationalis cum Deo renovatio, ſynodi Nationalis authoritate regia indictæ pluſquam neceſſaria continuatio, Innocentiæ noſtræ ac æquitatis cauſæ quam tuemur perſpicua declaratio, & præparationes ad neceſſariam noſtram tutelam contra manifeſtam vim hoſtiliter intentatam.

Sed excutiamus quibus argumentis nos læſæ majeſtatis reos demonſtrent noſtræ actiones prout in declaratione hac regia proponuntur. Primum, (inquit) eſt, *multitudo infamium libellorum qui calumniis in regiam authoritatem ſcatent*. Si ullus liber qui à nobis prodiit deſignatus fuiſſet, ſpecialius hic reſpondiſſemus; quare in genere audemus aſſerere, quicquid à nobis prodiit, ſicuti per illud nobis propoſitum fuit conatus noſtros a perduellionis macula vindicare, ita nihil continere cur tam gravi cenſura notaretur, nam tum in materia tum in forma omnia concepta ſunt cum ſingulari erga regem ſereniſſ. reverentia, ejuſque actiones in optimam partem ubique interpretantur.

Secundo. *Literas* (dicit declaratio) *miſſas Londinum ad privatos quoſdam homines, & miſſos fuiſſe nonnullos fœderatos ad privata quædam conventicula Londini, quibus ſubditi contra regem excitarentur, & ab officio debito de-*

ducerentur. Conatum hunc meram rebellionem ſpirare non negamus, qui apud fideles ſubditos locum nunquam obtinebit: Atque ſicut certi ſumus, nullas id genus literas aut nuncios communi fœderatorum nomine unquam miſſos fuiſſe, ita vel ſingularem præſulum vafritiem redolet, illud objicere cujus falſitatem nos demonſtrare non poſſumus; vel inſignem eorundem malitiam, illud omnibus imputare, quod privati quidam proprio motu ſine noſtra notitia forte fecerunt; Neque cuipiam inſolens videbitur, ſi turbulentis hiſce temporibus extrudantur libelli in quibus modeſtiam deſideres, ſi falſa nova diſcurſitent, ſi prodeant literæ eorum nomina mentientes quibus nunquam viſæ fuerunt. An vero tam ſedula & curioſa horum inquiſitio, ac ſevera ſuppreſſio, an eorundem contemptus aptiſſimum ſit contrà ea remedium & antidotum, judicent politici. Notum eſt aquam obſtructam, aggeribus dirutis multifariam prorumpere.

3. *Quod publice æquiſſima omnia regis mandata contempſerimus ac contra ea ſeditioſe proteſtati fuerimus.* Nobis certe maximo ſemper ſolatio fuit æquis ſereniſſ. regis mandatis humiliter & religioſe obſequi: & à noſtra ſententia quam immane diſtat ut regis quælibet mandata deſpiciamus, aut ſeditioſe contra eadem quantumvis iniqua proteſtemur: Verum modeſte contra ea proteſtari prout humiles & fideles ſubditos decet, uſitatum ſemper fuit, legitimum, ordinarium, & aliquando uſque adeo neceſſarium ad jus tuendum, & injuſtitiam amoliendam, ut omitti nequeat; neque illud unquam juſtam offenſionis & ſcandali anſam præbere poteſt.

Quartum argumentum tria continet quibus ſigillatim reſpondendum. 1. *Nullum fœdus inter ſubditos legitimum eſſe poſſe ſine mandato ſupremi magiſtratus politici.* Huic exceptioni abunde à nobis antehac ſatisfactum

factum eſt, argumentis ab authoritate divina & humana, eaque tam eccleſiaſtica quam politica, prolatis; ab antiqua piorum praxi, à majorum religionem ſincere colentium exemplo, à continua & uſitata in hac eccleſia ſubſcriptione, & à natura juramenti ipſius & fœderis quod Nationale eſt; ita ut non dubitemus, quin omnibus qui in ſcriptis noſtris verſati ſunt, exceptis præſulibus eorumque fautoribus, ſatisfactum ſit; qui argutiarum nullum finem aut modum ſciunt, & qui ſubdole adnituntur ad controverſiæ hujus initium nos revocare, ut infectum reddant (ſi poſſent) quod à nobis hactenus factum eſt. 2. *Quod rejecerimus fœdus regia authoritate imperatum, eo nomine quod imperaret rex.* Rationes, non quidem rejecti fœderis, ſed modeſtæ retentionis chirographi noſtri, cum a rege fœdus illud imperaretur, fuſe exſtant in publicis & impreſſis noſtris proteſtationibus Septembr. 22. & Decembr. 18. in reſponſione ad declarationem deputati regii, ac in decretis nuperrimæ Nationalis Synodi, cui proprie competit publica & judiciaria interpretatio Confeſſionis fidei: Atque cum ſcriptis illis nominatis perſpicue demonſtratum ſit, Confeſſionem authoritate regia imperatam, ſecundum ſenſum affictum à rege, in negotiis religionis non ſolum adverſari ſubſcriptioni noſtræ, menſe Februario anni ſuperioris; verumetiam genuino & vero Confeſſionis ſenſui, uti publica ejus profeſſio vigebat anno 1580. Non potuimus confeſſioni à rege, ſecundum adulterinum illum ſenſum imperatæ, ſubſcribere, niſi horrendi perjurii reos nos feciſſemus, ac graviorem Dei omnipotentis iram in noſtra capita contraxiſſemus, quam prima illa fuit, & quam fœderis obſignatione amoliri ſtudebamus. 3. *Fœdus hoc noſtrum eſſe conſpirationem contra regem, quod præ nobis ferimus eſſe cum Deo, ut opera diaboli perficeremus.* Blaſphemia hæc eſt, à

qua

qua regem ſereniſſ.& omnes Deum timentes quam longiſſime abeſſe nobis perſuademus; plurimum etiam fiduciæ nobis ſic additur, Dominum in cœlis ratum habuiſſe Anathema in præſules pronunciatum, atque in convitia & maledicta hæc opportune animadverſurum, neque opera hæc ipſorum ſucceſſura: Quare in Domino Deo noſtro noſmet ſolantes, cui viſum fuit, tot ſignis & perſpicuis argumentis fœdus hoc noſtrum ratum habere, non referemus illis maledicta, neque paribus convitiis eos excipiemus, verum dicimus, *Domine qui Hieroſolymam elegiſti increpato eos, & ſerva regem.*

Denique in noſtræ rebellionis argumentum affertur; *Hoſtilis noſter apparatus ad Angliam invadendam.* Cui diluendo in nupera noſtra ad Anglos informatione, quantum viris bonis ſatiſfacere poſſet, dictum hactenus confidimus, quantumvis poſthabitis charitatis regulis, ejuſmodi rumoribus temere fidem habuiſſent; quod nunquam nobis perſuadebitur. Abſit ut optimæ & legitimæ noſtræ actiones, & quibus ſatisfieri debet illius regni ſubditis, in tam alienum ſenſum improbe detorqueantur. Et quamvis præſules paroxiſmo deſperationis correpti (dum cognitum habeant ſe non poſſe damna ſua reſarcire niſi noſtra ruina & pernicie) ut deſperatos & perditos hypocritas nos traducant; eventus tamen, Dei bona gratia, teſtabitur, loquutos nos ſicut eos decet quibus nomen Dei magnum & tremendum eſt, cum quo fœdus noſtrum renovavimus, & qui ſuo tempore non impune feret noſtram hypocriſin, ſeu illorum calumnias.

Hoſtes etiam noſtri, ut malæ ſuſpicionis ſemina de nobis licet immeritis jacerent, aperto ore venditarunt; *Multos & primarios noſtrum, homines eſſe ingenii turbulenti, & fortunarum decoctarum.* Sed hic male ſibi conſuluerunt & propria vineta cædunt. Suſpiciones

à pru-

à prudentioribus nõ male comparantur cum veſpertilionibus, quod avium genus ad volandum non prodit meridie, ſed in diei crepuſculo; Etenim omnibus quibus regni hujus ſtatus cognitus eſt, quam perſpectiſſimum eſt, Univerſum propemodum regnum huic cauſæ adhærere; Nobiles, Barones, & cives primarios in ſingulis ubi degunt locis, ob religionem, prudentiam, potentiam, & opes ſtatui regni hujus conformes, coli; minimos etiam è plebe ſorte ſua, licet tenuiori, contentos eſſe, modo eadem illis frui liceat cum luce & uſura Euangelii. Omnibus etiam pernotiſſimum eſt, Hoſtes noſtros, licet omnes numerentur, nullam notabilem regni partem conficere poſſe, eorumque primarios (ſi paucos ſenatores regios, & qui aulam regiam ſequuntur dempſeris) eſſe vel apertos Atheos, aut Papiſtas, aut æri alieno immerſos, quibus aqua & igni jampridem interdictũ ſit, & quos regia authoritate comprehendere & in arctam cuſtodiam conjicere poſſint creditores; Atque hi ſunt qui vana ſpe freti prædia noſtra & fortunas hactenus inter ſe partiti ſunt, & Anglorum auxiliis eadem ſe adepturos ſibi perſuaſerunt. Deus interim de cœlo in cordium noſtrorum innocentiam proſpicere dignatus eſt, ac pro infinita ſua prudentia medium oſtendit eandem contra calumnias haſce vindicandi: Nam præter ſupplicem noſtrum libellum ſenatui regio ob illum finem Ianuarii 13. proxime elapſi oblatum, & nuperam noſtram ad Anglos declarationem, Februar. 4. publico ſenatus regii teſtimonio innocentia noſtra aſſeritur; Epiſtola quædam in Angliam miſſa à Georgio Sterlino cive Edenburgeno, ſuaſu & conſilio Georgii Sterlini commiſſionarii ſeu Officialis Wigtonienſis (quorum uterque proxima affinitate nuperum Pſeudoepiſcopum Gallovidianum attingit) ad nos delata fuit, eaſdem continens calumnias quas nunc profe-

runt

runt præſules; hanc epiſtolam regio ſenatui exhibuimus Februar. 22. & 28. cum querimonia, ſupplicatione, obteſtatione graviſſima divini nominis, conſcientiæ noſtræ teſtimonio, ſubſcriptione, aut quocunque demum modo fœdum iſtud crimen literis iſtis per impudentem calumniam nobis impactum dilui poſſet: Hinc Domini ſenatores regii ſupplicationem illam noſtram ad regem tranſmittendam cenſuerunt, cum libello ſupplice à ſe formato, quo obſecrati fuerunt ne ejuſmodi informationibus pateretur ſe ad duriora conſilia flecti, quam quibus hactenus erga antiquum & nativum ſuum regnum uſus eſſet, & ut pro conſueta majeſtatis ſuæ ſollicitudine erga commodum hujus ſui regni, medium aliquod deſpiceret & excogitaret, quo ſine armata vi, aut regiæ potentiæ manifeſtatione, regni ſtatus componi poſſet, ut fuſius in ipſa illa epiſtola & ſupplici ſenatus ad regem libello continetur.

Vocamur etiam in crimen uſurpatæ poteſtatis regiæ. 1. *Quia nobis vendicavimus imperium in præla typographorum, & typographo regio primum interdiximus, dein dimiſimus.* Vetus hæc eſt & rancida Pontificiorum præſulum contra primos eccleſiæ hujus reformatores, anno 1559. querela, & falſiſſime ab ipſorum ſucceſſoribus contra nos hodie renovata, etenim nec interdiximus typographo regio, nec eum dimiſimus, qui pacate Edenburgi adhuc commoratur. Nec decretum nationalis ſynodi, quod hic perſtringi opinamur, quidpiam continet quod merito torqueri poſſit ad regiæ poteſtatis uſurpationem, aut ejuſdem in typographorum præla diminutionem: nam ſynodi decreto interdicitur ſolum ſub pœna eccleſiaſticæ cenſuræ, ne quid imprimatur quod ad Eccleſiam pertinet ſine mandato & authoritate eccleſiæ: poteſtas hæc eccleſiis ubique competit; & uſu recepta eſt in hac eccleſia non ſolum ſub papatu,

tu, vetumetiam poſt reformationem: quod liquido demonſtratur compluribus Synodorum decretis contra abuſus typographorum, & quibus ſtatuitur quoſdam tractatus imprimendos eſſe, ac deſignantur quibus provincia examinandi ea quæ typis evulganda eſſent, committitur. Neque putandum Nationalem eccleſiam authoritate ea non pollere, qua Academiæ omnes noſtrates gaudent, quæ libertate hac ſine ullo objecto impedimento fruuntur; Iniquum prorſus judicabunt prudentiores, nationali ſynodo denegare poteſtatem typis publicis mandandi decreta & conſtitutiones ſuas, cum diſcipulis Academiarum conceſſum ſit ut theſes ſuas annuatim ſine ulla contradictione imprimant: Privatis etiam profeſſoribus nunquam crimini datum, cum tractatus ſuos emittunt in lucem publicam, quod typographos graviter adjurent (nam amplior illis authoritas non conſtat) ne alia forma aut charactere imprimant; Et non licebit eccleſiæ ſine regii juris uſurpatione, uti authoritate ſibi a Deo concredita, in ſuam pacem & religionis commodum procurandum?

2. Argumentum invaſi à nobis juris regii, eſt, quod *Conventus ſubditorum indicamus, exercitus collegerimus, arces regias obſederimus.* Gravibus hiſce accuſationibus quæ aliquam veri ſpeciem habent, plene & planè à nobis reſponſum eſt in poſtrema noſtra proteſtatione Decembr. 18. atque ita, ſicuti fruſtra hæc denuo objiciunt præſules, ſic non indigent nova & iterata reſponſione.

In poſtrema noſtra declaratione ad Anglos directa, præterquam quod ingenuitatis & fidelitatis noſtræ erga ſereniſſ. regem teſtimonia diſtorqueantur in vanam & vilem adulationem, & falſa eſſe declarentur; in ſpecie etiam duorum ſplendidiſſimorum mendaciorum rei agimur. Primum eſt, *quod*

exer-

exercitibus nunc collectis præfici Pontificios, dixerimus: Sic certe nobis relatum fuit, ideoque clauſulam hanc addidimus (*uti rumoribus ad nos delatum fuit.*) Et quid quæſo impedit, quo minus exercitus ductores conformes ſint primariis authoribus, cauſæ, & fini operis, quæ omnia Romam & Papiſmum redolent? Alterum inſigne mendacium cujus arceſſimur, eſt: quod dixerimus: *Eccleſiaſticos quoſdam primariæ authoritatis & dignitatis in Anglia authores fuiſſe regi, ut regnum hoc hoſtiliter invaderet, noſtræque religionis negotiis importune ſeſe immiſcuiſſe.* Sed in nos recipimus, nos hoc tum ſcripto tum teſtimoniis ſenatorum regiorum primariæ dignitatis contra quoſdam Eccleſiaſticos in Anglia probaturos, nominatim contra *Cantuarienſem* ipſum; illique commercium fuiſſe cum *Roma* ad formandos hoſce libros Canonum & liturgiæ nobis obtruſos, ipſum propria manu mutaſſe, obliteraſſe, ac interſeruiſſe complura in iis libris, quæ ad propiorem cum *Romana eccleſia* conformitatem facerent. Machinatio certe uſque adeo periculoſa, ut niſi opportune eam fruſtratus eſſet Dominus, primum *Scotia*, dein *Anglia*, ejus & collegarum qui factionem iſtam fovent, opera, ad religionem Pontificiam præcipitatæ fuiſſent. Neque reiterata impreſſio colloquii cum Ieſuita *Fiſchero*, famam ejus hic vindicabit. Ideoque omnes in Anglia, quibus religionis veritas, & regis sereniſſ. honor cordi eſt, & qui libertatis regni amore tenentur, ſerio obteſtamur, ut cum rege ſereniſſ. ſedulo agant, ac perſuadeant Parlamenti in Anglia indictionem, ut myſterium hoc iniquitatis quod hactenus tecte operabantur, tandem retegatur, & in primarios ejus authores inquiratur, ac ſevere pro meritis animadvertatur; & ut ſubdola & proditoria hæc aſtutia, qua utrumque pariter regnum cruento bello immiſcere ſatagunt, (ut videl. utriuſque enervatione ſurgat Roma, & utrique præficia-

ficiatur Pontifex Romanus) in apricam tandem lucem proferatur, & opportune fruſtretur, quo Deo gloria, regi honos, & ſubditis ſua conſtet ſecuritas ab exteris tyrannis tam in animas quam corpora ſævituris.

Præſules, ne quid ſeu falſi ſeu veri prætermittant, quo rem ſuam promoveant, hoc etiam crimen nobis objiciunt: *Quod per nos publicarum legum authoritas ſuffocetur: ita quidem ut non audeant judices ſententiam dicere ſecundum legum præſcriptum.* Regni hujus primarii judices meminiſſe poſſunt, legitimam juſtitiæ adminiſtrationem ſe nobis denegaſſe, non quidem proprio motu, & ex animi ſui ſententia, ſed metu ne peccarent in reſcripta, ab aula præſulum opera contra nos procurata: Revocandum etiam in memoriam eſt, quod, cum nuperrime literas, (quæ expediri ſolent contra eos quibus aqua & igni interdictum eſt) contra excommunicatos præſules nobis concedi inſtaremus, juxta expreſſa ſtatuti parlamentarii verba; quod ſubditorum minimis conceditur, nobis tamen à Dominis Seſſionis conceſſum non fuerit, qui literis ad ſereniſſ. regem perſcriptis Martii 2. ſolam & unicam cauſam, ob quam legitimum noſtrum poſtulatum non conceſſerint, fuiſſe ajebant, regiæ Majeſtatis beneplacitum, & mandatum; ſimulque preces addebant, ut regno & eccleſiæ ea pax & tranquillitas reſtituatur, qua hactenus erat gaviſa: Unde ſatis conſtat, non leges ſolum, verumetiam judices nullo metu aut terrore coactos, ſed conſcientia officii erga Deum, regem, patriam, cauſæ noſtræ favere.

Ut ſuperioribus accuſationibus probabilitatis quandam ſpeciem ſuperinducant, dicunt, *quoſdam noſtrum utrumque regi præſtandum juramentum rejicere, Fidelitatis videl. & Primatus, ac tueri nulla lege nos aſtrictos ut in illa juramenta adigamur, tres etiam Scotos in*

Wallia in carcerem conjectos eſſe, quod juramenta hæc repudiaſſent. De Scotis in Wallia carceri incluſis nihil reſpondebimus, quandoquidem tum homines qui ſint, tum quæ fuerint ipſorum actiones prorſus ignoremus: Colligimus tamen locis illis Inquiſitionem ſedulo promoveri. Et ad nos ipſos quod attinet, licet inter ſe differant juramentum fidelitatis & primatus, neque per conſcientiam nobis liceat jurare in verba juramenti primatus prout hodie exponitur & extenditur à ſupparaſitantibus quibuſdam præſulibus; quæcunque tamen politico magiſtratui concedenda eſſe docent puriores & doctiores reformatæ eccleſiæ Theologi, & quæ verbo Dei regibus debentur, lubentiſſime ex animis deferimus; nobis quippe non incognitum eſt, quintum præceptum quo officium ſubditorum erga reges & magiſtratus continetur & præſcribitur, eſſe primum ſecundæ tabulæ mandatum; noſtræque fidei confeſſionem agnoſcere Regem noſtrum ſereniſſ. eſſe Dei in terris deputatum, ad quem conſervatio & purgatio religionis pertineant.

Sicuti ſiniſtriorem hanc de nobis opinionem regi perſuaſerunt hoſtes noſtri, ſic declaratione hac ſatis edocemur quo animo rex ſereniſſ. in eccleſiam & regnum hoc feratur, & quo tandem res hæc eruptura ſit, niſi Deus mutatione cordis regii, aut via alia prudentiæ ſuæ cognita partum hunc abortivum fecerit? aut ſuffocaverit. Nam 1. pro inſanabili ſuperſtitione & Vatiniano præſulum in religionem reformatam odio, declaratur: *Introductione liturgiæ nunquam propoſitam fuiſſe quamlibet religionis mutationem, verum ſolam cultus divini conformitatem cum aliis duobus regis regnis, licet à malignis quædam ſint in iniquiorem ſenſum detorta.* Atque ita liber liturgicus nullam prorſus religionis mutationem ſecum fert, ſed noſtro ſolum interpretamento, obtorto quaſi collo, in eum

eum ſenſum depravatur. Cultus divini conformitas cum aliis regnis urgetur, quaſi nos eſſemus inſtar tabulæ raſæ, neque nobis publica legum qua civilium qua eccleſiaſticarum authoritate, forma divini cultus conſtaret; Mera cum aliis regnis conformitas prætenditur, licet frequentiſſimæ lituræ & interpolationes liturgiæ, in aliis duobus regnis uſitatæ contrarium teſtentur; eæque lituræ ac interpolationes præſulum noſtrorum ac Cantuarienſis ipſius manu propria exaratæ ſunt: Propter eorum itaque peccata in nos animadvertendum erit, & captata opportunitate innocens ſcilicet ille liber recipiendus erit. 2. Qua ſunt ambitione & avaritia præſules, declaratio illa certos nos reddit, *Regimen Epiſcopale retinendum eſſe prout ſtatutis parlamentariis ſancitur; utpote, quod univerſo orbi notum ſit, regimen illud eſſe in ſe legitimum, ad pacem politicam procurandam & conſervandam convenientiſſimum, regimini Monarchico unice conſonans, & ſine quo tribus parlamenti ordinibus ſua integritas non conſtabit.* Licet verum ſit, nulla lege parlamentaria, nullo ſynodi cujuſlibet decreto officium illud Diœceſani Epiſcopatus in hoc regno muniri, notumque ſit omnibus fere reformatis eccleſiis, eſſe in ſe potius Antichriſtianum, & paci politicæ quam maxime adverſari, uti & regimini Monarchico; & apud omnes gentes Monarchis fuiſſe maxime pernicioſum: Adde, licet parlamentum fuerit, eſſe poſſit, & ſua natura ſit ex omni ſua parte integrum& perfectum, ſine membri hujus inutili redundantia; Attamen fovendi ſc. ſunt neceſſario Epiſcopi idq; *Iure divino*, neq; minori quam antehac faſtu, ut regum libidini in cultu Dei inſerviant. 3. Declaratur: *Nullum fœdus cui rex ſereniſſ. aſſenſum non præbuerit permittendum eſſe, ac prætendi ſolum fœderi noſtro, quod cum Deo ictum ſit, ut honeſtiori velo tecti opera Diaboli perageremus, qualia ſunt, perduellionis & rebellionis crimina.* Inde eſt quod ſentiant,

tiant, non poſſe magis permitti fœdus hoc noſtrum quam rebellio & ſeditio, fœderatiſque aut renuntiandum Deo in cujus verba ſolenniter jurarunt, aut rebellium & perduellium pœnas atroces ſubeundas eſſe. 4. Declaratur, *Statum quæſtionis nunc non eſſe de libro liturgico,& Epiſcopatu: Sed an rex ſereniſſ. nobis rex ſit, necne? nobiſque ſtatutum eſſe dicunt, regii regiminis imas radices convellere: imo jus regium nos in regis perſona contempſiſſe, & nobiſmet ipſis vendicaſſe objiciunt: Ideoque regem ſereniſſ. 5. Cogi jus ſuum regium armata manu apud nos reſtabilire, daturumque operam ut maximi noſtrum re ipſa experiantur, nunquam ſe approbaturum tale, quale inter nos ſancivimus fœdus.* Atque ſic omnibus abunde conſtat, concluſum & promulgatum eſſe, ſereniſſ. regem hoſtilem exercitum omnibus viribus inſtructum, qui declaratione hac & id genus mediis in Anglia cogi poſſit, in nos movere, (nam eo ſolum nomine declaratio hæc prælegenda eſt in ſingulis totius regni templis) nullo alio fine quam ut librum liturgicum & Epiſcopatum reſtabiliat, fœdus noſtrum cum Deo reſcindat, & ut in nos tanquam perduelles & rebelles animadvertat.

Quare noſtrum nunc eſt ſerio perpendere & mature deliberare ac concludere; An conſultum ſit, cum peccato & ignominia tot fœdorum & atrocium criminum falſo nobis impactorum dedecus intolerabile ſubire, quorum peſſimis etiam temporibus vix arceſſebantur Chriſtiani quilibet: Item, recipere librum illum liturgiæ ut unicam divini cultus formulam, quem tamen ſynodus demonſtravit ingentem ſuperſtitionis, Idololatriæ, & Antichriſtianæ tyrannidis cumulum continere: Revocare etiam præſules noſtros, ipſorumque regimen maturo conſilio abjuratum: Primos illos noſtros reformatores, & glorioſum reformationis opus condemnare; Renunciare fœderi cum Deo inito, totieſque perfidos

perfidos eſſe, quoties juramento & chirographo illud obſignavimus: Laborem & operam noſtram in tam piam cauſam tamdiu locatam perdere: Noſtriſmet manibus patentem portam aperire & exemplo noſtro latam viam digito quaſi demonſtrare, qua papatus & omnes poſthac innovationes in religionem noſtram irruant: Regi offendiculum ponere in via qua ad cœlum pergitur: Obſtaculo eſſe reginæ ne convertatur: Scandalo eſſe reformatis omnibus eccleſiis, quæ pro nobis apud Deum ſeriis precibus hactenus interceſſerunt: Obdurare corda, & munire dextras omnium veritatis hoſtium tam domeſticorum quam externorum: Hominibus & Angelis odioſum ſpectaculum noſmet exhibere: Præteritam ſervitutem & ſuſpiria ob redemptionem oblivioni tradere: Veritatis, miſericordiæ & potentiæ divinæ, toties & tot modis ineffabili noſtro ſolatio hactenus erga nos manifeſtatæ ſenſum denegare: Poſteros, qui miſeriis obvoluti flagitium hoc noſtrum ſed fruſtra deflebunt, perdere: Pudorem bonis ſuffundere: Amicis lachrymas, & hoſtibus noſtris gaudiorum jubilos procurare: Dei in terris progreſſum interrumpere, & expanſum ipſius ſignum è manibus extorquere: Coronam judici ac regi noſtro Chriſto eripere: Triſtari ſpiritum S. eidemque reſiſtere: Aureum illud candelabrum diripere, ejuſque lumen extinguere: Denique omnia illa judicia, quæ in Dei libro exſtant in noſtra capita contrahere; ita ut omnes gentes dicturæ ſint: Quare ita ſevere agit Dominus cum illa gente, quid ſibi vult furor tantæ iræ? Tum reſpondebitur, quia fœdus Dei dereliquerunt, ideo malis illis merito premuntur; Neque vocula ulla quæ defectionem ſapit nobis citius excidet, quin ſtatim inferni horrore corripientur animæ noſtræ. Aut contra, noſtrum eſt nunc concludere; An non conſultiſſimum ſit pote-

ſtate à Deo nobis conceſſa uti (non ut Angliam invadamus, aut ut Dei populum qui pacem noſtram non interturbat, moleſtia ulla afficiamus; Anathema quibuſcunque ejuſmodi arrident conſilia; aut qui ad ea exequenda operam ſuam præſtabunt, verum) in noſtram ſolum innocuam tutelam contra vim armatam, & iniquam, à quibus minime debuit, invaſionem.

Itaque cum in edicto & declaratione regia quæritur. *Quid illud ſit ad cujus defenſionem nos comparemus?* Reſpondemus; Religionem, privilegia, vitam denique ipſam; non vero contumaciam aut rebellionem. Et cum quæritur, *Contra quos hæc defendamus?* Ne conatus & actiones noſtræ, ab iis qui de vero rerum noſtrarum ſtatu certiores nondum facti ſunt, non recte percipiantur, aut à malignis pervertantur, quaſi ſaniorum Theologorum doctrinæ, aut laudabili Chriſtianorum ſeu veterum ſeu recentium praxi repugnarent; Antequam ad quæſtionem hanc reſpondeamus, rogamus ut ſerio & maturo judicio ſequentia perpendantur.

Magnam videlicet differentiam eſſe inter regem in regno ſuo commorantem, & facili ab utraque parte contendentium acceſſu, de vero controverſiæ ſtatu recte edoctum; Et regem longe à nobis in altero regno diſtantem, & aures faciles alteri tantum partium concedentem, à quibus de vero rerum noſtrarum ſtatu ei imponitur: Inter regem, quatenus regem, legitimo judicio ſecundum præſcripta legum regni hujus contra rebelles procedentem; & regem, quatenus hominem, de regio ſolio deſcendentem (ad cujus pedes oſtendi poſſunt ſubditorum ſuorum ſupplices libelli, quos nullo reſponſo æquo dignatur) & furioſo inceſſu contra devotiſſimos ſibi ſubditos progredientem: Inter regem à religione prorſus alienum, qui ſubditis ſuis religionem

nem profitentibus amplius non aſtringitur quam ſibi beneplacitum fuerit; & noſtrum Sereniſſ. regem communem nobiſcum religionem profitentem, patris facto & ſolenni ſuo juramento aſtrictum, ut nos ſibi ſubditos, vitas noſtras, religionem, libertates & leges tueretur.

Deín conſideranda venit differentia, inter privatos quoſdam armatos ad reſiſtendum; & inferiores magiſtratus, judices, regni ſenatores, nobiles, primores, quibus nativitatis aut deputationis jure, ſententiæ dictio & ſuffragium in parlamentis competit, Barones, cives ſpectatos, & totum fere regni corpus (ſi paucos exceperis eoſque vel aulicos, vel publicis muniis regis gratia fungentes, vel papiſtas, aut ad Papiſmum inclinantes, eorumque aſſeclas) in innocuam ſuam defenſionem accinctũ: Inter ſubditos inſurgẽtes aut contumaces contra leges & omnẽ omnino rationem, ut à jugo obedientiæ magiſtratui debitæ liberentur; & ſubditos à debita regi obedientia ne vel minimum deflectentes, ſed ei conſtanter & devote adhærentes, & ſubmiſſa humilitate obſecrantes religionis ſuæ puritatem & juſtitiæ adminiſtrationem: Inter populum armata manu conantem novationes in religione contra leges introducere; & eum, cui nihil magis in votis eſt quam ut eadem ſanciatur religio, cujus publica profeſſione poſt reformationis tempora ſemper gaviſi ſunt, & in quam non ſolum olim à rege & ſubditis juratum eſt, verumetiam in quam rex ſpeciali mandato ſenatores adegit, & in quam à ſenatu regio adacti ſunt omnes ſubditi: Inter populum de ludicris ſuis inventis & excogitatis à ſe futilitatibus contendentem; & eum, qui ſententiam & praxin de articulis quibuſdam controverſis ampliandam cenſuit, donec eos definiret Nationalis Synodus, (cui ſoli proprie competit

de hujus naturæ rebus ſententiam ferre,) quibus à Synodo legitime definitis conſtanter adhæret.

Nunc vero quæſtionis ſtatu ſic formato, An nobis liceat noſmet defendere? Reſpondemus licere; idque ſatis nos docent lex & lumen naturæ, verbum Dei tam in veteri quam novo teſtamento, fœdus inter Deum & populum initum, finis propter quem magiſtratus a Deo ordinantur; quod ſuperioribus noſtris ſtationem & ordinem ſibi à Deo, cui ſubordinantur, poſitum deſerentibus, ſubditis tamen eorum conſiſtendum ſit in ſtatione à Deo ſibi ſtatuta: Hiſce addantur ſelectiſſimorum Theologorum, ſaniorum politicorum ac juriſperitorum, ne iis quidem exceptis qui acerrime contra Monarchomachos pugnant, teſtimonia; mutuus ille contractus, & pacta conventa inita inter regem coronandum ac populum; ſtatuta parlamenti; & laudabilis majorum noſtrorum praxis.

Ad fratres & vicinos in Anglia, quorum aures prælectione edicti hujus in omnibus templis repletæ fuerunt, noſtra ſeſe nunc convertit oratio. Pro reverentia & honore quem authoritati utpote Dei inſtituto, debemus; Pro naturali illo ac devotiſſimo amore, quo in ſereniſſ. & clementiſſ. noſtrum regem inter nos natum & baptizatum, ferimur; ſincere & ex animis graviſſime dolemus, quod regium ipſius nomen ab improbis hominibus adeo fœdetur, & ſacræ ipſius aures uſque adeo præoccupentur, ut tam faciles eas præbeat tot abſurdis & fidem omnem excedentibus calumniis contra integram gentem, nativam ſuam ipſius patriam & regnum; Nimis conſtat quanta diſcrimina ſecum trahant calumniæ præſertim univerſales, quales hæ ſunt, quibus reprimendis ſumma ope, extremo legum rigore niti deceret: Et pro amore vobis debito, cum quibus pluribus ac firmioribus vinculis in mutuam amici-

amicitiam conſtringimur, quam cum qualibet alia orbis univerſi gente; ægerrime certe, prout decebat, tulimus, ac ex animis dolemus, veſtra templa & aures ejuſmodi ſermonibus patere, neque facilem credulitatem veſtram ſatis admirabimur, ſi fidem apud vos invenient: Et quia id genus ſermones plantaria ac ſeminaria ſeditionum eſſe poſſent inter ipſos fratres, qui ſemel irritati ſævius digladiantur, & difficilius conveniunt; Rogamus (ſi forte apud gentem tam prudentem obſecrationibus opus ſit) ne quibuſlibet relationibus ſubito protrudamini ad illud contra nos aggrediendum quod in mutuam utriuſque perniciem tendat: aut ut, qualia in hujus generis bello exſpectari poterunt commoda, hoc eſt, nullius prorſus pretii, aureo hamo piſcari velitis; quo facto utramque pariter gentem externorum ludibrio exponeretis, & inſulam hanc tam diuturna pace beatam in campum ſanguinis mutaretis, hoſteſque, qui obliquis oculis noſtram fœlicitatem intuiti ſunt, & noſtro exitio quotidie imminent, in prædam promiſcue utroſque raperent: Cumque vobis relatum fuerit de noſtris ad innocuam tutelam uſque adeo neceſſariis præparationibus ut ſine iis noſmet defendere nequeamus, & quibus nihil prorſus damni vobis intenditur aut afferetur, rogamus ut Chriſtiane & prudenter ſecundum æquitatis regulas *Quod tibi fieri non vis id alteri ne feceris*, judicare velitis: Et ne rumoribus & relationibus ab adverſariis noſtris confictis & ſparſis ſubito credatis; præſertim cum authores nequitiæ ſuæ ſibi probe conſcii, rumores hos inter ſolos Anglos ſpargant, qui eorundem vanitatem & falſitatem nequeunt convincere: & à noſtra notitia detineant, ubi lucem & levius examen nequaquam ferre poſſunt, univerſa plebe eorundem falſitatem perſpectum habente. Atque licet ad nos tandem perveniant, difficulter tamen, ne-

que ſine ingenti diſcrimine noſtræ reſponſiones & vindicationes ad Anglos perveniunt, prout nunc ſeſe res habent. Denique rogamus ut ſeriis precibus apud Deum, & ſupplicationibus apud regem pro nobis intercedere velitis, & ſi neceſſe ſit, ut potentiam & vires veſtras in noſtram tutelam contra mercenarios & impiam *Belial* progeniem convertatis. Nonne fratres ſumus, eodem ſanguine & oſſibus concreti? Nonne ſub eodem degimus tecto, uno eodemque navigio ferimur, unius ejuſdemque corporis membra ſumus? Pii majores veſtri religioni reformandæ & ſtabiliendæ nobis auxilio fuerunt; neque de vobis tam male meriti ſumus, aut vos à patriis virtutibus uſque adeo degeneraſtis, ut metuendum ſit ne à vobis nunc deſeramur; cum eadem nunc ſit cauſa quæ olim, & mutatis tantum perſonis caſus prope idem, ac incolumitas utrique communis. Serio itaque contendamus pro fide ſanctis ſemel tradita, ut miſericordia, pax & amor ſupra nos multiplicentur.

Perpendentibus etiam nobis, quam nuperæ noſtræ actiones contra primarios noſtros hoſtes, & præcipua regni fortalitia, ut ſunt, arx *Edinburgena*, & cæt. eorum calumniis pateant, qui omnia noſtra præcedentia conſilia quantumvis neceſſaria in deteriorem partem detorſerunt; & quia ab amicis forte noſtris hic errari poſſit, qui longe remoti nequeunt ſatis percipere quam mature ſingula hic geſta ſint; neceſſarium judicavimus, ut illorum ora obſtruerentur, & his ſatisfieret, omnibus declarare, quo modo ad hæc, in neceſſariam noſtri tutelam, pro præſenti rerum noſtrarum ſtatu, adacti fuerimus.

Nullis regni hujus ſubditis ignotum eſſe poteſt, quan-

quantis minis & quam ingentibus terriculis repleta fuerint edicta compluria hic promulgata, uti fuerunt illa Iulii 4. & Decembris 18. Multiſque etiam ſatis innotuerunt literæ ad nobiles & generoſos in Anglia à rege miſſæ, quibus imperabatur ut adeſſent regio vexillo Eboraci ad Aprilis 1. & quæ edicta in Anglia promulgata ſunt, tam illud Ianuarii 29. quam hoc quod priora omnia ſuperat, Februar. 27. quibus condemnantur omnes noſtræ actiones quantumvis legitimæ, libelli ſupplices, proteſtationes, relationes quantumvis veræ & modeſtæ, quin & intentiones ipſæ, (nobis licet Deum toties & tam ſolenniter contra atteſtantibus) ut falſæ, rebelles, proditoriæ, nos vero ut rebelles & perduelles, quibus hoſtile bellum indicitur. Neque nos fugit, quibus epiſtolis tepidi noſtri amici hic excitati, & aperti hoſtes animati fuerint, quomodo pecunia & apparatu bellico contra nos inſtructi fuerint, quæque ad eos tranſmiſſa ſint mandata, quo modo ſeſe commodiſſime in noſtram perniciem conjunxerint: Quam etiam magnifice ac jactabunde noſtratium quidam, tam in aula, quam domi hic apud nos hærentes, qui amorem omnem in patriam ſuam exuerunt, in ſe ſuſceperint, exercitus ingentes tum in Borealibus tum in Auſtralibus regni hujus provinciis ſeſe collecturos, ut nos undique circumcluderent; Scotos nobiles, ſenatores regni & alios in aula coactos fuiſſe fœderi regio ſubſcribere cum hac additione; Se repudiare nuperam Synodum Nationalem, nec adhæſuros fœderi & confeſſioni à nobis ſubſcriptæ, nobiſque adverſaturos quantum poſſint, prout mandaturus ſit rex; Familiam regiam iter ſuſcepiſſe Martii. 18. regemque ipſum equis citatis ſubſecuturum Marti 27. ac tertio die Eboracum aut Novum Caſtrum adventurum, ut in Scotiam

cum

cum exercitu moveat: Mandatum nobilibus Scotis, ut cum comitatu peritorum belli ducum domum in Scotiam ſe conferant, ut amicos & clientes colligant ac ſub ſignis diſtribuant, ſub ductu Marchionis Hammiltonii, qui exteris noſtris hoſtibus in regis comitatu ſe adjuncturus ſit; Comitem Lind-ſejæ cum claſſe 17. regiarum navium inſtructa tribus militum millibus ad ea hujus regni loca exſcenſionem facturum, quæ literæ & mandatum reſignandum deſignabunt; ſexcentos equites ad limites regni mittendos ut incurſionem faciant; domeſticos noſtros hoſtes eorundem adventum exſpectare, excommunicatos noſtros præſules in Angliam profugiſſe cum aſſeclis; Prædia & fortunas Nobilium, Baronum, & opulentiorum Civium deſignari in ſpolia & exuvias inter hoſtes diſpartiendas. Quare cum ita ſe res habeant, caputque ſpei quam fovent hoſtes noſtri, ſitum ſit in domeſticis noſtris diviſionibus, in potentia & viribus quorundam pontificiorum & aliorum magnæ apud nos dignitatis, ac in locis quibuſdam munitis, ad regni tutelam contra externos hoſtes deſtinatis, (prout fuſius oſtendimus in proteſtatione noſtra) præcipue vero in arce *Edenburgena*, præcipuo ſocietatis noſtræ membro, ac conventuum noſtrorum loco. Non erat differendum nobis, verum ad has incitas redactis aliquid aggrediẽdum fuerat in noſtram incolumitatem; aut moriendum, aut cogebamur noſmet defendere, aut hoſtibus noſtris, quorum miſericordiæ crudeles ſunt, noſmet ſubmittere; hinc eſt quod ad illa neceſſario adacti fuerimus, quæ *Edinburgi* & alibi perfecta eſſe accepiſtis.

Ubi vero opus hoc Dei ceſſaturum ſit, novit Dominus qui hactenus eo uſque nos quaſi manuduxit; & ſicuti nobis ſtatutum eſt non ultra procedere quam ubi præſentiam ipſius concomitantem cernimus:

mus: ita quicquid nunc à nobis factum eſt, jure ac legitime factum eſſe omnium conſcientiis demonſtrare poſſumus; Etenim ſi defenſio licita eſt & neceſſaria, quomodo poſſint neceſſaria media ſine quibus defenſio peragi nequit eſſe illicita? & annon licebit ictum tam prævenire quam repellere? Nonne magniloquorum noſtrorum hoſtium exarmatio, & eorundem, qui regem ſereniſſ. ad tam dura contra nos impulerunt, comprehenſio tam licita erit, quam ipſa defenſio? Et annon præſtabit eos ſic comprehendere, quam in prælio? Lex tum naturalis tum civilis docet, *Quod ad defenſionem ſufficiat ſi præcedat offenſa vel juſtus timor offenſæ, & quod nec debeat quis exſpectare primum ictum: melius enim jura intacta ſervare, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere. Quando præcedunt ſigna et actus manifeſtæ offenſionis, et quando aliter noſmet tueri non poſſumus, tum inculpata ac neceſſaria dicitur tutela, ac in dubio inſultatus quicquid facit in incontinenti præſumitur ad ſui defenſionem facere.* Satis eſt ad defenſionem, ſi quis offenſam interminatus fuerit, aut certum periculum & juſtus timor offenſæ præceſſerit. Rationes omnes à nobis antehac prolatæ pro legitima defenſione & cuſtodia arcis *Edinburgenæ*, hic nunc valent, & juſtam ac legitimam eſſe demonſtrant ejuſdem interceptionem. Neceſſaria hæc præventio, in Gallia, Belgio fœderato, Germania, & olim hic apud nos obtinuit, cum ad religionis & libertatis neceſſariam defenſionem in arma protruderentur, quæ ſe depoſituros obtulerunt cum primum de ſecuritate cautum ſibi foret: Sicut & nos hodie declaramus, Arma nos ſumpſiſſe, non ut quempiam invaderemus, aut ut politicum regimen mutaremus, aut ut cuilibet damnum inferremus, aut in aliena involaremus, verum ut religionem, libertates & vitam noſtram tueremur: Atque licet altera manuum exerto in defenſionem gladio arme-

tur,

tur, altera tamen etiam tunc humillima noſtra poſtulata Regi ſereniſſ. offeremus; quibus quamprimum ſatisfactum, nobiſque de ſecuritate cautum fuerit, ac quæ ad eccleſiæ & regni pacem conducunt, ſtabilita fuerint, de manibus gladios projiciemus, & quantum in nobis eſt omnia faciemus, quibus perfecta pax procurari poſſit. Regiis interim legibus obedientiam vovemus, tutelamque perſonæ ac authoritatis regiæ; Utque ſereniſſ. noſtri regis animum ad hæc conſilia inclinare velit, antequam malum hoc deſperatum & diſſidium irreparabile fiat, ex animis Deum optimum maximum ſerio precamur.

Reviſum ex præſcripto Nationalis Synodi per me
Mr. A. Ihonſtonum, Synodi Scribam.

Edinburgi 22. *Mart.* 1639.

Primo Calendarum Maij conſpecta fuit claſſis Anglica in *æſtuario Forthæ* (qui Ptolomeo & antiquis geographis eſt Bodotria, *Lothianam* provinciam a *Fifa* dirimens) in qua erant 28 naves, & præter claſſiarios, quinque aut ſex mille pedites Angli, cum magno apparatu bellico & ingenti pecuniæ ſumma ad colligendum ære militem, ubi deſcenſum in terram faceret Marchio *Hammiltonius*, qui huic expeditioni præfuit; hiſque copiis colligendis præfuturi fuerant nobiles quidam Scoti, & alii ductores bellici, qui regiarum partium erant, & qui eadem claſſe vehebantur. Stetit in anchoris claſſis medio freto, inter *Letham* & *Bruntilandiam*; In duabus deſertis inſulis, *Betha* & *Æmona*, (quæ à ſacello olim S. Columbo ſacro & dicato, Inſula Sancti Columbi vulgo audit) milites terreſtres exponebantur, ut ſe à nauſea & jactatione marina reficerent, & unde alibi ſparſus rumor vanus ingentis victoriæ de fœderatis. Cæterum conſpecta hac claſſe Nobiles quidam, qui libertatis vindicibus antea ſe non conjun-
xerant,

xerant, magno ſtudio & ſumma alacritate cum ſuis clientelis accurrunt, & ex utroque freti littore, maritima loca circumjacentia milite replent, ut Anglorum exſcenſionem prohiberent, aut cum exſcendentibus juſta acie dimicarent. Prætereunda certe non eſt illuſtriſſima Heroina *Hammiltonia Marchioniſſa*, quæ ſupra ſexum, virilis animi pro tuenda vindicum libertatis & religionis cauſa, egregia indicia edidit, ac poſthabito omni materno affectu in illuſtriſſimum filium Marchionem Hammiltonium, quem tamen unice diligebat, ſe & ſua fœderatis laborantibus benigne obtulit. Claſſis illa regia licet hac & illac diſcurreret, nunquam tamen auſa eſt in littus alterutrum milites exponere, & plus moleſtiarum diſcurſitationibus quibus Scotos vexabat, attulit, quam terroris aut damni.

Literas ſtatim miſit Marchio *Hammiltonius* deputatus regius, ad *Edinburgi* præfectum, quibus obedientiam regi diſtricte & ſevere imperat, ut portus aperiret & reliqua omnia mandata ſtatim capeſſeret, inter quæ præcipuum, ut edictum regium quod antea *Eboraci* in Anglia 25 Aprilis promulgatum fuit, *Edinburgi* publicandum curaret, quo venia & gratia offertur omnibus Scotis qui ante elapſum octiduum regi ſe ſubmitterent, ac ante actorum veniam precarentur, ſi fœderi & decretis Nationalis Synodi renunciarent, regiæque declarationi denuo renovatæ acquieſcerent; ſecus perduelles & læſæ majeſtatis rei declarantur, ipſorumque bona fiſco addicuntur: Utq; omnes ad eorum ruinam animarentur, non ſolum promittitur impunitas villicis & vaſallis conſueta ſervitia & reditus veteribus dominis denegantibus, & debitoribus fœderatorum debita diſtrahentibus, verumetiam ſi regi ſe adjungerent, profuſa ſpes iiſdem oſtentatur beneficentiæ regiæ: Sed præſtat edictum ipſum inſpicere, quo

quo omnes fere Scoti, à rege ſuo extra Scotiam in Anglia commorante, non citati nec auditi, perduellionis damnantur: Quod de verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

PER REGEM.

Quandoquidem benigne & indulgenter omnem hactenus operam dederimus, ut ſubditos noſtros ab aliis in præcipitia & ſeditionem aſtute ſeductos, ad ſaniorem mentem & legitimam obedientiam nobis præſtandam reduceremus, ac authoritatem noſtram regiam in eo regno reſtabiliremus: Sed fruſtra, nam clementia noſtra & erga eos benignitas à multis petulanter admodum excipitur: Atque licet animos ad rebellionem eo uſque obfirmaverint, ut auſi ſint armata manu arces noſtas regias, coronam, omnia antiqua regni inſignia, apparatum noſtrum bellicum, & quicquid ad nos pertinet, intercipere, ac urbes contra nos munire: Nihilominus tamen ſincere declaramus, ac data fide pollicemur, arma hæc quibus nunc inſtruimur, nunquam vertenda ut nativo noſtro huic regno religionis quælibet mutatio obtrudatur, aut ut ipſius privilegia, leges ſupprimantur: Etenim animo uſque adeo amico in regnum hoc noſtrum, ac ſubditos qui ſe nobis fideles nunc præſtituri ſunt, ferimur, (quibus ea amoris noſtri & benignitatis indicia promittimus, quæ ipſorum merita fuerit fidelitas) ut utriuſque curam ſedulam habituri ſimus, cum ad gloriam & ſplendorem noſtrum pertinere judicemus, ut legitimam eorum libertatem & privilegia religioſe propugnemus.

Atque in hunc finem præſentibus hiſce denuo renovamus priorem noſtram fidem datam de tuenda religione & libertatibus; ac ſubditis noſtris quam

quam perſuaſiſſimum eſſe jubemus, nos quæcunque antehac noſtris edictis, declarationibus, aut quæ deputatus noſter in poſtrema pſeudo-ſynodo Nationali, noſtro nomine in ſe receperit, candide, ingenue, remota omni fraude, præſtituros. Et ut ubique appareat, deteſtandam ſeditioſorum iſtorum malitiā (qui tumultuum horum primi authores fuerant) nullo ſolido fundamento innixam fuiſſe, dum ſubditos noſtros inficerent, ac corrumperent, iiſque perſuadere adniterentur, propoſitum nobis fuiſſe Papiſmum revocare, eumque nos privatim fovere; licet ſuperfluum ſit reiteratis declarationibus teſtari ſincerum noſtrum amorem in veram reformatam Proteſtantium religionem, quam ingenue profitemur: Non incommodum tamen cenſemus populo ſignificare, Objecta hæc eſſe ſplendide falſa, neque alium ſcopum propoſitum fuiſſe excogitatoribus iſtarum impudentiſſimarum calumniarum, quam ut fidelium ſubditorum corda nobis ſubducerent, ac facilius & ſecurius rebelles & impios ſuos fines, Monarchici regiminis conculcationem, aſſequerentur: Et Deum cordium ſcrutatorem teſtamur, nos, ſicut titulo *Defenſoris fidei reformatæ* utimur, ſic eandem ſincere & ingenue profiteri, cui, Dei gratia, conſtanter adhærebimus; neque unquam permiſſuros, ut quælibet religionis immutatio in regnis noſtris ſubrepat, quin potius eandem, prout Dei verbo & legibus regnorum noſtrorum reſpective ſancitur, firmiter propugnaturos.

Et licet prorſus ignoremus, quibus verbis animi noſtri ſenſum in hoc negotio clarius exprimamus; certiores tamen facti ſumus, quoſdam ad rebellionem pronos, non obſtante noſtra hac plana & diſerta declaratione, ſummo conatu in id ferri, ut ſubditis noſtris perſuadeant, nobis nunquam propoſitum eſſe, promiſſum præſtare; Ideo præſentibus

hiſce amplius (ſi quid amplius dici poſſit) omnibus perſuademus; Intentiones omnes noſtras eſſe vere regias, æquas, ac tantum à nobis abeſſe, ut quorumlibet promiſſorum fidem corrumperemus, ut contra, eandem ſancte & religioſe in omnibus liberaturi ſimus, eadem, qua religioni ipſi adhæremus, firmitate: Et hiſce nobis perſuademus abunde ſatisfactum iri probis & dilectis noſtris ſubditis, atque illos neglectis ſeditioſorum ſuſurris, non paſſuros ſe ab obedientiæ nobis debitæ tramite deduci, proditoriis eorum artibus, qui cum ipſi manifeſtorum flagitiorum teneantur, ingenii ſui nervos omnes intendunt, ut ſequacium multitudine, perduellionis pœnas effugiant. Sciant tamen peſſimam eſſe ad innocentiam viam, multos ſeducere, & vel hoc argumento pœnarum ſeveritatem nos inflicturos.

Perneceſſarium etiam nobis hic viſum eſt, ut omnibus tam ſubditis noſtris, quam aliis Chriſtiani orbis incolis innoteſcat, quod, licet ingens ſit eorum numerus, quorum actiones in hiſce tumultibus rebelles fuerint, ea tamen ſit noſtra erga eos clementia, ut præteritorum omnium gratiam faciamus, iis qui nunc oblatam amplectentur, modo poſthac ſe nobis ac æquis noſtris mandatis ſubmiſſuri ſint. Atque eo fine, Dei gratia, propoſitum nobis eſt, Comitia regni celebrare, iiſdemque intereſſe, quamprimum pax ea ac tranquillitas regno reſtituetur, quæ honori noſtro conveniat. Quare imperamus ut nobis reſtituantur palatia, arces, corona regia, ornamenta & inſignia noſtra regalia, apparatus bellicus, & quicquid denique ad nos antehac pertinebat, & nunc à quolibet ſubditorum interceptum & detentum eſt: ut urbium munitiones ſolo adæquentur; ut prædia, domus, arces, bona fidelibus nobis ſubditis erepta, dominis ſuis reſtituantur; ut omnes ab armis diſcedant, exercitus dimittant, & pacate

ſinguli ad ſua ſe conferant, ut à conventiculis poſthac abſtineatur, idque octiduo poſt decreti hujus promulgationem. Quibus bona fide præſtitis, & ſubditis civilem & debitam in omnibus ſecundum nativi noſtri regni leges obedientiam nobis exhibentibus; Tum omnibus & ſingulis prædictis ſubditis, liberam & plenam præteritorum omnium gratiam facimus, ac in proximis comitiis ἀμνηστίας ſtatutum ſanciemus. Atque cum, pro innato, regio, tenero in nativum noſtrum regnum affectu, viſum nobis ſit laceri regni illius vulnera tam miti oleo ſuperinfuſo obligare, ejuſque errores uſque adeo leviter corrigere, ut maxime rebelles in miſericordiæ noſtræ ulnis amplecti non dedignemur; certa ſpe tenemur, oblatam hanc gratiam omnes ſubmiſſe, prout debent, amplexuros.

Quod ſi quidam uſque adeo deſperatæ indolis futuri ſint, ut nullam medicinam admittant, & poſthabita nobis, nativo regi, reverentia, in rebellione cœpta progrediantur, & gratiam hanc oblatam ante octo dies, non amplexi fuerint, (quod nullos auſuros ſperamus:) Tum eo caſu ad violentiorem & acriorem medicinam recurrere, & hanc ipſorum pertinaciam & rebellionem juſtitiæ gladio propulſare cogemur. Ideoque promulgamus hos omnes poſthac apertos rebelles, perduelles, læſæ majeſtatis reos, omnia ipſorum prædia, agros, fortunas, bona mobilia & immobilia fiſco noſtro addicta eſſe, quæ conferemus in bene de nobis merituros, nobiles & alios nobis adhæſuros, & qui æquis noſtris mandatis obtemperabunt: Atque in hunc finem, vaſallis & villicis rebellium horum interdicimus, ne dominis ſuis reditus, ac conſueta ulla ſervitia perſolvant; ſed penes ſe reſervent, alteram ſemiſſem pro ſe, alteram nobis tradituri: villicis horum rebellium, ſi dominis deſertis ſe nobis ad tuendam noſtram authoritatem

adjunxerint, pollicemur benefice cum ipſis nos tranſacturos de collocatione agrorum & prædiorum per annos plures, remiſſa etiam triente redituum qui rebellibus Dominis perſolvi conſueverunt, vaſallis rebellium Dominorum idem promittimus, modo deſertis Dominis rebellibus, ſe nobis adjunxerint. Quod ſi fidelis nobis Dominus permanſerit, vaſalli vero ac villici rebelles fuerint, & gratiam hanc oblatam intra præfinitum diem nō amplexi fuerint, declaramus, libere licere Domino, rebelles iſtos ex prædiis extrudere, & quicquid fiſco noſtro publicatione prædiorum accreſceret, illud reſignamus, ac libera donatione utendum fruendum concedimus Domino fideli, cui opem noſtram impendemus, ut beneficio hoc fruatur. Interdicimus etiam, ne, qui ære ullo alieno rebellium tenētur, illud ejuſve quamlibet partem rebellibus perſolvant, ac ſubditis noſtris fidelibus perſuaſum volumus, ex iſtis pecuniis ſingulorum in nos merita benefice repenſuros.

Si quod oppidum, urbs, aut civitas gratiam hanc noſtram intra præfinitum diem amplexa fuerit, nobiſque ad tuendam noſtram authoritatem adhæſerit; ejus libertates & privilegia in patrocinium & tutelam noſtram recipimus, eaſque urbes propugnabimus, prout juſtum regem decet.

Denique nobis viſum eſt, & præſentibus hiſce declaramus, rebellium proſcriptionem, bonorumque omnium quæ ad eos pertinent publicationem, non futuram fraudi & damno probis noſtris ſubditis nobis adhærentibus, & hanc noſtram gratiam amplexuris, ac publicationum ſeu Confiſcationum donationes onerandas ſolutione debitorum, quæ rebelles iſti contraxerant, & cæt.

*Datum & publicatum Eboraci.25.April.*1639.

Præfectus Edinburgenus ad literas Marchionis reſpondit; Integrum ſibi non eſſe in rebus tanti momenti,

mẽti,quæ ad univerſi regni ſtatum pertinerent quidpiam decernere:Reſponſum certum exſpectandum eſſe à ſupremo conventu Ordinum regni ſeu parlamento,quod indictione regia brevi conventurũ fuit.

Qui cum conveniſſent, Marchioni graviter reſponderunt, ac rationes enumerarunt complures,propter quas edictum illud evulgari nec debeat nec poſſit: niſi in leges peccare, regni dedecus propalare, ſemetipſos perfidos & perjuros, atque omnium atrociſſimarum & impudentiſſimarum calumniarum, quas in ſe congerunt adverſarii, conſcios & obnoxios agnoſcere vellent. Edictum hoc (dicebant) tam in *materia* quam *forma* illegitimum eſſe; in *forma*, quod extra regnum conderetur, & ejus promulgatio hic urgeretur, non conſulto hujus regni ſenatu, quod,uti legibus, ſic continuæ & receptæ praxi adverſatur, prout omnes regni hujus ſenatores ſatis norunt: Et ad *materiam* edicti reſponderunt: Inauditum eſſe, ut proceres omnes & univerſum fere regni corpus hoſtes publici, perduelles, læſæ majeſtatis rei declarentur, bona omnia publicentur, ſine ullo cauſæ prævio & legitimo examine in parlamento aut ſupremo criminalis juſtitiæ tribunali, quæ tamen fora ſola competentia ſunt in hujus generis & momenti negotiis. In viliſſimum ſubditorum pœnam hanc atrocem ſtatui non poſſe, niſi prius citetur, & de reatu ipſius in foro competenti contradictorio plene conſtiterit: Omnes præcedentes ſuas actiones edicto hoc declarari rebelles, quas tamen æquas & neceſſarias demonſtraturi eſſent.

In regis ſereniſſ.honorẽ impingere hoc edictum; quia illegitimum, cum tamen rex ſæpius declaraverit, & verò hoc etiam edicto declaret, ſibi ſtatutum leges & regni privilegia tueri. Senatores regios, & collegii juſtitiæ ſeu Seſſionis edictum hoc illegitimum ſæpius pronunciaſſe.Quare ſibi perſuaſum eſſe

 dice-

dicebant, regem ſuum ſereniſſ. & æquiſſimum ejus authorem non eſſe, ſed ſubdolis & improbis apertorum eccleſiæ & regni hoſtium artibus excogitatum eſſe, ut vincula omnia quibus regnum hoc regi conjungitur, penitus ſolvant, ac ejus animum a ſubditis prorſus avertant, & violentis, iniquis, ac extremis hiſce conſiliis omnia ad extrema præcipitent, unde reditus ullus ſperari non poſſit. Atque licet Regi ſereniſſ. omnem civilem legitimam ac debitam obedientiam lubentiſſime ac ſubmiſſe, uti ſemper, ſic nunc deferant, ne huic tamen edicto morem gerant, obſtare Nationale illud ſuum cum Deo fœdus; cujus obliteratio quæritur; & cujus perfidiæ ſi ſe reos fecerint, certiſſimam & horrendam omnipotentis Dei iram in ſe ac poſteros provocabunt. Omnia hactenus à ſe tentata quibus Regem ſereniſſ. de vero rerum ſuarum ſtatu certiorem facerent, ſed fruſtra: paratos nihilominus eſſe omnia adhuc experiri, ac rogare ſe Illuſtriſſ. Marchionem, ut ejus opera liceret ſibi cum Rege ipſo coram agere, quem non dubitent tandem probaturum quæcunque à ſe hactenus facta ſint: Neque ſe faciliorem aut tutiorem ad pacem viam excogitare poſſe, quam ut ſereniſſ. rex ipſe, aut illuſtriſſ. Marchio regis deputatus Parlamento regia indictione nunc convocato adſit; ac tum regi ſereniſſ. & univerſo terrarum orbi ſe demonſtraturos, in ſeſe recipiunt, Adverſarios ſuos eſſe regis, regni, eccleſiæ hoſtes; & vere reos læſæ majeſtatis divinæ & humanæ: ſe vero ſubmiſſos & probos ſubditos.

Rex interim Parlamentum differri jubet quo die primum conveniſſet. Multi qui in Scotos iniquiori animo fuerunt, ubique ſpargebant, fœderatos & libertatis vindices Rege etiam prohibente parlamentum continuaturos; ut ſcilicet eorum actiones & cauſam vulgi odio apud exteros exponerent; qui impru-

imprudenter ſatis aliorum regnorum utiliſſima inſtituta ſui regni legibus aut praxi admetienda judicant. Sed & hanc calumniam dies diſcuſſit: ac licet juris regii non eſſe (dicebant) parlamenta ampliare ſine conſenſu ordinum regni; regiis tamen mandatis ſe morem nunc geſturos: Et ne quid detrimēti difficillimis iſtis temporibus caperet Reſpub: circumſtrepente undique & aſſultante armorum impetu; claſſe regiâ littoribus imminente, ac prorege Hiberniæ occidentalibus provinciis; In borealibus vero provinciis *Boniæ* vicecomite *Huntlæi* filio tumultus excitante, rege etiam cum exercitu (fama, ut ſolet, omnia augente) & frequenti nobilitate Anglica in Scotiam movente: Quia ſibi & univerſo regno pro religione & legibus, aris & focis dimicandum eſſe proſpiciebant, de colligendo juſto exercitu deliberarunt. Et ut omnem livoris & odii materiam tollerent, inter tot proceres paris dignitatis & ordinis, communi conſenſu, & omnium ordinum ſolenni approbatione & ſubſcriptione ſupremam in omnes exercitus præfecturam *Generali Leſlio* experto militiæ duci deferunt, quod ampliſſimum munus ille nulla ambitione aut imperandi cupiditate, ſed ſola concivium ſuorum charitate & miſericordia ſuſcepit: & cum peregrinis exercitibus ſæpius cum laude præfuiſſet, vitamque ſuam pro cauſa Euangelica in Germania intrepide obtuliſſet, quod adverſorum vulnerum cicatrices clamant; non ſatis æquum aut pium judicabat, patriæ ſuæ & parenti laboranti, officium ſuum & operam tempore tam difficili obſtinatius denegare, præſertim cum de cauſæ æquitate, & belli defenſivi neceſſitate abunde illi perſuaſum eſſet, ac melior nobilitatis pars reliquique ordines regni ſuprema omnia promitterent, & vitam ac omnes fortunas ſuas in hac cauſa propugnanda ſacroſanctè devoverent: Debitam illi

ut *Generaliſſimo* exercituum ductori obedientiam in omnibus jurarunt ordines regni, præeuntibus proceribus; Ab eo etiam juramentum ordinum regni nomine exigitur, ut imperium legitime adminiſtraret, & ſe legum præſcripto ſubmitteret.

Suſcepta præfectura, leges caſtrenſes promulgat, quæ typis ubique proſtabant, delectum militum ex provinciis vicinioribus imperat, Comitem *Argathelium* cum ſuis copiis prope *Sterlinum* ſubſiſtere juſſit, ut præſto eſſet tam Borealibus quam Occidentalibus provinciis, ſi quid moveret Hibernia. *Dumfriſium* urbem Scoticam in limitibus Occidentalibus præſidiario milite inſtruit, & copiis omnibus in eo tractu præfecit *Ionſtonum*, numeroſæ familiæ principem, & Baronem parlamentarium, cum mandatis ut obviam iret Anglis & Hibernis, qui *Carleoli* hærentes Scotiæ imminebant, & ut Pontificiorum & aliorum ex clientela *Maxwellorum* conjunctionem prohiberet: *Caſſiliſſæ* & *Eglintoniæ* Comitibus Occidentalium provinciarum præfecturam demandat: Littora æſtuarii *Forthenſis* ita inſtruit ut in terram deſcendere *Hammilonius* Marchio in animum non induxerit; Et cum vicecomes *Boinæ* cum *Bamphio* ad famam appulſæ claſſis regiæ, & properantis terreſtri itinere regii exercitus, magnas turbas cierent, & à facinoroſiſſimis latronibus, (qui pacatis etiam temporibus Borealem illam Scotiæ plagam latrociniis infeſtam habuerunt) ſuppetias lubentes acciperent, ac omnibus fœderatis extremam vaſtitatem interminitarentur, & nonnullos ex *Forbeſiis* & *Fraſeriis* (familiarum ſunt hæc nomina in iſtis locis admodum potentium, & partium fœderatarum) incautos adorti fugaſſent, lata per eorum agros fuſa populatione; Abredoniam haud invitam in ſuam poteſtatem & ſocietatem denuo pertraxiſſent, at-

que

que ex clientibus *Huntilæi*, civibus Abredonienſibus, quibus cum fortuna fidem mutare animus fuerat, ac latronibus, numerum ſuum ad non contemnendum exercitum auxiſſent: Comites *Montis Roſarum*, (qui primam contra Marchionem *Huntilæum* expeditionem tam fœliciter perfecerat,) & *Mareſcallum*, cum ſatis magnis copiis ad motus illos ſedandos, & tumultuantes in ordinem redigendos mittit: Atque hi adjunctis Comitum *Aroliı*, *Fermeloduni*, *Glameſii* vaſallis ſelectioribus, & cohorte unica aut altera civium *Taodunenſium*; (qui antehac fidelem & ſtrenuam operam ſemper exhibuerant) in hoſtem recta movent, qui ſtatim dilabitur, & ad latebras circumſpicere coactus fuit; *Abredonia* ſecunda vice à fœderatis intercipitur; caſtella Nobilium qui regiarum partium in illis locis fuerunt, obſidentur, quibuſdam expugnatis: verum cum accepiſſent claſſem regiam prope *Abredoniam* in anchoris ſtare, & plurimi ſuorum dilapſi eſſent, (utpote quod expeditionem putarent prope peractam) veriti ne à reditu in Auſtrales provincias prohiberentur; conſultius judicarunt retrocedere; ut copiis auctis & redintegratis turbas iſtas opportunius prorſus exſtinguerent: ita ut expeditione illa ſecunda hoſtium ſuorum furorem magis ſuppreſſerint, poſtea vehementius erupturum, quam oppreſſerint.

Interea, uti contra armatam vim ſe pararunt Scoti fœderati, ſic nec tum deſtiterunt, remonſtrantiis ac ſupplicationibus cum rege agere; ſed haud facile reperiebantur qui regi ſereniſſ. eas traderent, nam res maximi diſcriminis tum erat in Scotorum gratiam in aula vel hiſcere, & qui à ſenatu regio in Scotiam eo nomine ad aulam miſſi fuerant;

ſuerant; aut detinebantur, aut nullo operæ pretio peracto redierunt. Forte advenerat tum in Scotiam *Moſlejus* Anglus, Theologiæ Doctor, ut oculis ipſe ſuis ſpectaret, an ad eam inſaniam proruiſſent Fœderati libertatis vindices, qua correptos fuiſſe calumniabantur hoſtes; & habitu eccleſiaſtico Anglis conſueto vicinas Scotiæ urbes perluſtravit: Cumque aliter ſe omnia habere deprehendiſſet, utriuſque regni miſeriam defleviſſe fertur; quod mendacibus paucorum calumniis utraque ſibi invicem tam amica gens in manifeſtam perniciem protruderetur. Rogat nobiles Scotos, cum quibus olim quædam ei familiaritas fuit, ut libellis ſupplicibus apud regem adhuc pergerent; eoſq; in ſemet recepit regi ſe traditurum, ac poſthabito omni periculo libere & ingenue eundem de vero rerum & actionum in Scotia ſtatu certiorem facturum, & additurum quæ regi ſereniſſ. leniendo accommoda forent.

Literas itaque ſupplices ad regem illi tradunt, quibus ſereniſſ. regis immeritam iram anxie & ſollicite deprecabantur, utpote, cum nullius in regem criminis ſe ſibi conſcios eſſe dicerent; rogant ut æquo judicio liceret ſibi experiri contra hoſtes ſuos, qui innocentiſſimas ſuas actiones detorquentes belli cruenti flammam excitant. In omnibus ex legum civilium & eccleſiaſticarum præſcripto, obedientiam ſe nunquam denegaturos, nec adhuc denegaſſe. Alias etiam literas miſere Nobiles Scoti, ad *Comitem Eſſexiæ*, *Berwici* tum præfectum, ut pro ſincero in patriam & religionem amore, preces ſuas apud ſereniſſ. regem interponeret, ne controverſiæ hujus definitionem armata violentia aggrederetur. Per eundem Theologum ad *Pembrocium & Hollandum Comites Anglos* perſcribunt in hunc ſenſum: Quandoquidem quæcunque à ſe hactenus præſtita eſſent motibus hiſce ſedandis & flammæ reſtinguendæ,

quam

quam religionis & publicæ utriuſque regni pacis hoſtes excitarunt, non ſucceſſerint; neque ſpes ulla reliqua, ſit conficiendæ pacis per nobiles Scotos interpretes, quorum opera hactenus fruſtra uſi fuiſſent, recurrere ſe tandem ad ipſorum Dominationes; quos pio & nobili ſtudio ferri ad continuationem publicæ pacis retulit *D. Iohannes Moſtejus*, cujus zelus ad ſancti hujus operis promotionem probandus eſt, licet nulla publica authoritate ad illud procurandum inſtructus venerit. Præſentibus itaque literis non ſolum duobus illis nobilibus, verumetiam aliis omnibus regni Angliæ ſenatoribus religionem reformatam & pacem communem amantibus, quibus haſce literas communicare illis viſum fuerit, declarant, nunquam ſibi faſtidio fuiſſe Monarchicum regimen, nunquam animos ſubiviſſe ut legitimam & debitam ſereniſſ. ſuo regi denegarent, aut Angliam invaderent. Calumnias has eſſe ex induſtria & conſulto excogitatas ab improbis ſuis adverſariis, ne juſta ſua poſtulata à ſereniſſ. rege obtinerent; Quorum ſumma eſt, ut ſibi ſuis legibus vivere, & religionis incorrupta puritate frui liceat. Hæc eſſe quæ poſtulent, in quæ juraverint, & quibus obtinendis, fortunas, vitam & quicquid mortalibus carum eſſe ſolet, lubentiſſime devoverint. Neque hæc poſſe juſtam ullam cauſam Nationali controverſiæ præbere, quandoquidem tam leges civiles quam decreta eccleſiæ pro nationũ varietate varia ſint, & ſicuti (inquiunt) ſummo ſtudio adnitimur leges noſtras ac inſtituta religioſe tueri, ſic iniquum ſemper judicavimus aliis eo nomine vim quamlibet facere. Generalem illam æquitatis regulam ſerio meditandam eſſe, *Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris.* Quare rogant ut eorum opera Rex tandem flectatur, neque ſe æquis ſubditorum poſtulatis tam difficilem præbeat, præſertim cum eorum conceſſione

ſione regis gloria augebitur, controverſiis hiſce, omnium cum gaudio, finis imponetur, & grata recoletur à poſteris eorum memoria, qui ad ſanctum hoc opus promovendum operam ſuam gnaviter impendent.

Cum vero indies augeſceret rumor, regium exercitum relicto *Novo-Caſtro*, *Berwicum* ad limitem Scotiæ Orientalem contendere, *Generalis Leſlius* verſus eundem limitem iter ſuſcepit; ac 21. Maij cum parte copiarum *Edinburgo* egreditur, reliquis ſubſequi juſſis; primum *Hadinæ*, dein *Dumbari* conſedit: ac nunciis in omnes vicinas provincias celeriter miſſis, ut qui *Religionem* & *Patriam* ſalvam vellent, quam poſſent celeriter in viam, cum neceſſario aliquot dierum commeatu ſe darent: Statim advolant frequentes, inſtructi commeatu & apparatu bellico ſupra exſpectationem, & ad extremam dimicationem pro aris & focis alacres: Quare *Dumbaro* relicto, *Dunglaſſium* Angliam verſus caſtra movet, ut regio exercitui qui non procul à limite hærebat, & in quo ſumma rei verſabatur, in ipſis regnorum confiniis occurreret. Ubi cum conſediſſet, accedit à *Comite Hollandiæ*, equitatus regii ſupremo præfecto Caduceator, cum literis ad nobiles Scotos, & aliis ad Comitem *Argathelium* ſolum datis, quibus eos ſerio invitabat ad civilem obedientiam regi præſtandam ex præſcripto illius edicti 14. Maij ad *Novum-Caſtrum* in Anglia conditi, ubi tunc rex cum exercitu commorabatur: quod ſimul cum literis detulerat tubicen: Ejus hæc ſumma fuit. Cum rex ipſe venturus eſſet *Berwicum* agmine pacato ad ſedandas Scotiæ turbas, & ut æquis ſubditorum poſtulatis publice in parlamento ſatisfaceret, & cum maximus rumor in Anglia eſſet, Scotos hoſtilem irruptionem in Angliam meditari; ut de bona ſua voluntate certiores

fierent

fierent utriuſque regni ſubditi, ſe per præſentes literas imperare, ne Scotorum armatæ cohortes intra decem mille paſſus *Berwico* appropinquent: ſi ſecus fecerint, ſe exercitus ſui præfectis diſtricte mandaturum, ut omnes illos pro rebellibus habeant, & tanquam Angliæ invaſores impune perdant.

Apud Scotos qui fraudulenter hæc peti putabant, privatim muſſitabant: Si huic mandato mos geratur, oportere copias quaſdam retrocedere, & hanc retroceſſionem hoſtes pro ingenio & artibus conſuetis, interpretaturos eſſe imbecillitatis & timoris publici confeſſionem; qua ipſorum audacia ad majora petenda augebitur: velut enim ignis levi aquæ aſperſione magis accenditur, ita quicquid initio conceſſeris, ad ulterius petendum fit gradus, & conceſſione ea non reſtingui, ſed inflammari hoſtes dicebant. Verendum etiam ne captata occaſione hoſtes in interiora regni penetrent, urbeſque limitaneas præſidiario milite vacuas intercipiant, aut in ſolo Scotico caſtra figant, aut cohortes à caſtris huc & illuc diſperſas deleant. Sed cum res publice ageretur in ſenatu bellico, ſtatutum fuit regis mandato morem gerere, præſertim, cum ſuperioris edicti aſperitas, quo denunciabatur, regem ſtatuiſſe in Scotos fœderatos animadvertere ut rebelles, læſæ majeſtatis divinæ & humanæ reos, hic multum leniretur; & mitior aura de longinquo ſpirare multorum conjectura eſſet, qua fœdam hanc tempeſtatem ſedatum iri ſperabant.

Itaque ad *Hollandiæ* comitem literas officii & humanitatis plenas remittunt; paratos ſe, dicunt, ſociorum omnium nomine ſubmiſſam obedientiam legibus conceſſam ſereniſſ. regi deferre: ac licet nullius ſibi ſceleris conſcii eſſent, male tamen à re-

à regia claſſe mulctatos, quæ merces omnes inter-ciperet ac mercimonia tolleret. Quicquid contro-verſi juris inter ipſos & regem eſſet, non defugere quin ejuſdem honorarii arbitri eſſent nobiles Angli; nec alios pacis interpretes & ſequeſtres quam ipſum Comitem & Nobiliſſimos ſuos ſodales requirere. In præſentiarum vero experimentum hoc propenſæ ſuæ voluntatis & ſubmiſſæ erga regem ſereniſſ. ob-ſervantiæ ſe daturos, & ex edicti præſcripto exer-citum intra præſcriptos limites retenturos, quan-quam merito ſuſpicari poſſent quo animo hæc ſibi imperarentur.

Remiſſo cum hoc reſponſo caduceatore, *Iohan-nem Humium* illuſtrem equitem auratum ad eun-dem Comitem ablegant, cum mandatis, ut Co-mitem *Hollandiæ* & ſodales verum controverſiæ ſtatum edoceret, *videl. An, liceat Scotis ſuis legibus vi-vere, et an in negotiis eccleſiaſticis*, *Nationalium Synodo-rum decretis, in politicis vero ſupremo ordinum conventui, & parlamenti legibus ſtare debeant ſubditi Scotiæ?* Horum judiciis ſe & ſua omnia permittere paratos ſemper fuiſſe, & fore, ibidemque omnium anteactorum rationem reddituros. Dein ut fidem obligaret quæ à bonis requiri poſſet, quotquot Scotorum fœdus obſignaſſent, de minuenda authoritate regia nun-quam cogitaſſe, multo minus de invadenda Anglia, (uti improbe calumniantur adverſarii, ut utramque nationem inter ſe committerent, ac publica ruina & communi incendio privatis ſuis odiis litarent.) Verum ad juſtam & neceſſariam defenſionem ſe ar-maſſe ac comparaſſe, contra injuſtam & armatam vim, quibuſcunque demum præjudiciis velatam, quam nullo modo ſubterfugere aut poſſunt aut de-bent. Doceret etiam invitos ad arma protruſos eſ-ſe Scotos, nec ſe commodiorem viam ad ſarciendam concordiam & amolienda impendentia mala pro-

ſpicere,

ſpicere, quam ſi utrinque delecti homines perſpectæ fidei & probitatis, quibus cordi eſſet religio reformata & publica pax, ac regni utriuſque ſalus, in unum coëant, neque dubitandum, quin, Dei gratia, de tota controverſia æquiſſimis conditionibus haud difficulter tranſigi poſſit.

Suſcepit hoc in ſe munus Comes, & ſeriam in illo obeundo operam eſt pollicitus.

Verum dum hæc agerētur, intervenit occaſio quæ niſi ſucceſſu exſpectato deſtituta fuiſſet, ſpem omnē reconciliationis & pacis penitus abrupiſſet: Deo tamen aliter providente, cui ſolenne ex tenebris lucem producere, è fruſtratione illius expeditionis pacificationem cum Anglis maturavit. Etenim in diverſa regione, prope *Kalſonem*, *Iedburgum*, ab illis locis quibus Generalis *Leſlius* cum primario Scotorum exercitu caſtra metabatur, diſperſa erant quatuor aut quinque millia peditum Scotorum ad commodiorem frumentationem, & ut iis locis præſidio eſſent in quibus diverſabantur: & vero, cum regis ſuperiori edicto, ne infra decem mille paſſus ad limites regni Angliæ appropinquarent, aſſenſiſſent Scoti, tum ut ſereniſſ. regi obedientiæ ſuæ experimentum oſtenderent, tum ut teſtatum facerent paratos ſe ad omnes concordiæ rationes promovendas, & irritamenta animorum omnia tollerent, quæ facile evitari non potuiſſent, ſi in mutuum conſpectum veniſſent duo exercitus; ſubverebatur tamen Generalis *Leſlius*, ne forte Angli arrepta opportunitate de intercipiendis & delendis diſperſis illis cohortibus cogitarent, quod facile illis erat cum equitatu prævalerent, ſi imparatis ſuperveniſſent in regione plana, & in oppidis, ut apud Scotos, ex veteri majorum inſtituto, vallo, aggeribus, aut foſſa non munitis, quare ut huic malo præcaveret, cum nec turmas illas revocare poſſet, niſi timoris confeſſionem ſimul

daret,

daret, & totam circumjacentem regionem Anglis in prædam exponeret, (quod conſultum neutiquam fuiſſet, cum civilia bella primis momentis maxime conſtent, & ex primis ſucceſſibus totius belli ſpem multi præſagiant) neque ipſe caſtra propius ad limitem promovere poſſet ob fidem prius interpoſitam: Quod unum reſtabat, mandat cohortium iſtarum præfectis, *Comiti Laudoniæ*, *Flaminio*, *Areſkino, Munroo*, tribunis militum, ut ſine ulla mora omnes in unum convenirent; *Kalſonem* oppidum in ripa *Tuedæ* fluminis ſitum, quantũ in ſe eſſet, contra ſubitariam impreſſionem equitatus regii munirent, ac intenſas interim vigilias agerent; nam in vicinia non ultra quatuor mille paſſus, totus circumjacebat equitatus regius: quod ſi cum præcipuo exercitus robore, adhibitis majoribus tormentis bellicis, in eos moveret rex, ſibimet ipſis tempori conſulerent, & per impedita ac equiti impervia loca ad ſe feſtinarent. Cæterum ſicuti metuebat *Leſlius*, evenit. Nam cum è tranſfugæ relatione regi innotuiſſet, unicam tantum *Areskini* tribuni legionem *Kalſoni* ſubſiſtere, ibique in maxima ſecuritate agere, aliaſque cohortes in locis a ſe invicem longe diſtantibus diſperſas eſſe, omnes vero facile opprimi poſſe; negotium datur Comiti *Hollandiæ*, qui 4. Iunii. aſſumptis equitum turmis 13. & tribus peditum millibus, ac nonnullis campeſtribus machinis, rectà *Kalſonem* iter intendit: Sed commodum ſuperiori nocte Comitis *Lothianæ*, *Flaminii*, *Munroi* copiæ ex Generalis *Leſlii* mandato *Kalſonem* advenerant, qui nuncio per exploratores accepto de hoſtili Comitis *Hollandiæ* contra ſe adventu, aciem locis opportunis inſtruunt, & pugnandi copiam faciunt, nullamque Anglis *Kalſonem* viam patere, niſi per ſua viſcera, ſic oſtendunt. Inopinato hoc viſu ictus *Hollandiæ* Comes, primo ſubſtitit, dein ordinem & animos

mos Scotorum arma expedientium, ex colle edito ſpeculatus, diſceſſum fugæ ſimilem majori quam veniſſet gradu accelerat; Scoti vero milites gregarii qui ex confuſo reditu trepidationem adverſi agminis ex propinquo aſpiciebant, Anglos hoſtiliter urgere vehementer cupiebant, & ægre certe à tribunis & præfectis ſuis contineri in ſuis ſtationibus potuerunt, qui cum ad propulſandam non inferendam injuriam arma ſuos induiſſe meminiſſent, extra limites innocuæ tutelæ in hoc primo belli tentamento progrediendum non cenſuerunt, & confeſſionem hanc timoris ipſa victoria haud inferiorem judicarunt: præſertim cum ingenue poſtea agnoverint Angli, penes Scotos fuiſſe, ſi hoſtili in ipſos animo fuiſſent, indecorum ſatis reditum efficere potuiſſe.

Fruſtrata hac expeditione, non dubium erat Anglos, ſi qua eſſet ex tali diſceſſu contracta ignominia, ſtatim reparaturos; rumor etiam fuit eos totis viribus illud moliri; quare poſtridie illius diei, 5. vid. Iunii Generalis *Leſlius* copias illas Kalſone evocat & ut ſibi ad collem Dunſianum medio fere itinere occurrerent, juſſit: Etenim cum ſatis prodidiſſent Angli expeditione illa in Kalſonem, propoſitum ſibi eſſe Scotiam invadere, caſtra propius Angliam promovet *Leſlius*, & ad collem Dunſianum (vulgo *Duns Law*, Dunſio municipio in Mercia propinquum; quod nativitate Iohannis Scoti Subtilis, & ludibrioſa Henrici Percii Northumbriæ Comitis per paſtorum crepitacula, fuga anno 1374. inſigne eſt) ſex millibus paſſuum ab Anglia diſtantem, unde proſpectus eſſet in caſtra regia, poſita ad alteram Tuedę ripam, loco editiori caſtra metatur. Ad primum Scotorum adventum Anglis prorſus inexſpectatum, ad arma clamatum eſt in caſtris regiis: Nam licet antea ex profugarum Scotorum relationibus, qui apud eos commeabāt, audiviſſent Angli, Scotos ex adverſo

conſiſtere non auſuros, eorum vires quatuor mille pedites & quadringentos equites non excedere qui ex ſuis latibulis prodire, aut pugnandi copiam facere nunquam auderent; Nunc tamen cum eoſdem tẽtoria figere in regii exercitus conſpectu, & ex ordinatione caſtrorum ſine ullo vallo, ingentis exercitus ſpeciem circumcirca collem diſpoſiti conſpicerent, falſos penitus de Scotis ſparſos fuiſſe rumores inter ſe prudentiores muſſitabant: Satis jam conſtare, Scotos fœderatos nihil hoſtile in regem aut ſuam gentem meditari, & ſi ſecus molirentur, quid olim obſtaret, quominus ante collectum regis exercitum vicinas Angliæ urbes intercepiſſent, aut *Hollandiæ* Comitem cum ſuis non ita pridem in reditu ſuo male mulctaſſent, aut nunc caſtra regia in tanta multorum trepidatione adorirentur, præſertim cum commeatuum penuria laborari ibi cœptum ſit, & multos morbis caſtrenſibus tentari aut exſtingui cognitum eſſet; contra apud Scotos omnia abundare, vegetum ac validum ipſorum exercitum eſſe, ita ut ex 24. millibus militum ne unus quidem morbo quovis caſtrenſi affectus fuerit, quod multis forte ſupra fidem erit, ſed pro certiſſimo deprehenſum: Nullum in Scotorum exercitu eſſe alterius cujuſlibet quam purioris reformatæ religionis profeſſorem, & uno excepto Germano tubicine, omnes eſſe natione Scotos qui pro aris & focis ad extrema pericula ſubeunda alacres ſe compararent. Ita qui non ita pridem Scotorum paucitatem, paupertatem deſpiciebant, in maximam admirationem converſi fuerunt, unde Scotis tantæ vires, tam conſtans & innoxia fiducia. Qui in Scotorum exercitu exploratores commeabant, conſtanter retulere, admirandum ducum & militum animorum conſpirationem ad cauſam hanc promovendam, frequentia privatæ & publicæ pietatis exercitia, ita ut longe abeſſent

quæ

quæ alibi in caſtris graſſantur ſcelera, ebrietas, ſcortatio, impudici ſermones, blaſphemiæ, execrationes, rixæ, homicidia: Horas etiam ſuas diſtribuiſſe totum exercitum, in preces, conciones, corporis refectionem, & armorum exercitia.

Cæterum cum deſperatum eſſe penitus de pace cernerent Scoti, ac non ſolum ſe rebelles declaratos, verumetiam omnes occaſiones anxie captari & avide arripi quibus funditus obruerentur, ſuamque innocentiam tam apud exteras & tranſmarinas gentes, quam apud Anglos vicinos fœde traduci; ſuggeſtum fuit a nonnullis, An conſultum foret vicinos reges & reſpublicas de rerum ſuarum ſtatu certiores facere, ut iis mediatoribus uterentur apud sereniſſ. ſuum regem ad controverſias haſce pacis potius quam belli conſiliis componendas, aut ſi illud non obtinere poſſent, innocentiam ſaltem ſuam aſſererent apud exteros quorum aures obrutæ fuerunt falſis & fictis relationibus per quoſdam mercenarios venalis ingenii & linguæ. Nobilibus qui in caſtris fuerunt conſilium hoc non uſque quaque diſplicebat: & ante omnes ut cum Galliarum rege agerent, fere perſuaſum illis erat, propter ſacrum illud fœdus per multa ſæcula poſt Caroli Magni Galliarum, & Achaii Scotorum regis tempora fideliter obſervatum. Literas in eum finem conſcribendas decreverunt, quarum hæc capita deſignabantur: Cum percognitum ſit ſereniſſ. Galliarum Regem aſylum & refugium eſſe afflictis Principibus & Rebuſpub. ad eum ſe coactos nunc confugere, ac nobilem D. Colvillum ad eum delegaſſe, ut vindicet & aſſerat innocentiam & æquitatem non actionum ſolum ſuarum, verumetiam intentionum, quas univerſo terrarum orbi notiſſimas eſſe cuperent: Rogandum eſſe ſereniſſ. regem ut pro conſueta ſua juſtitia & benignitate nobis nunc adeſſe velit, & ut eidem

Colvillo in omnibus quæ ad nos pertinent fidem habere dignetur. Mandata etiam tunc conceperunt Colvillo tradenda, ſecundum quæ munus hoc imponendum obiret: ex quibus facile intelligitur quid ſit illud quod à rege Galliarum poſtulent, quæ de verbo in verbum tranſlata ſic ſe habent.

Mandata ſeu inſtructiones tradendæ D. Colvillo.

1. In memoriam revocabitur perantiquum illud & arctiſſimum fœdus inter duo regna, Galliæ & Scotiæ, olim ſancitum, ſæpius renovatum, & religioſe ac inviolate per multas annorum centurias obſervatum, quo factum eſt ut alterutra gentium ad incitas redacta, alterius promptum & fidum auxilium ſemper experta ſit, idque ſucceſſu optimo, quod mutuis nationalibus amicitiæ viciſſitudinibus confirmatum eſſe, utriuſque regni annales & publica regiſtra teſtantur.

2. Declarabitur; Intentiones noſtras regimini Monarchico nullatenus adverſari, quin contra devotiſſimos & fideliſſimos eſſe ſereniſſ. noſtro regi ſubditos, in ejus perſonam & authoritatem tuendam, vitam & fortunas lubenter expoſituros; Neque in aliud nos ferri quam ut religionem & privilegia eccleſiaſtica & politica ſarta tecta tueamur, prout legibus ſancita ſunt.

3. Declarabitur; Non fidendum eſſe calumniis ab adverſariis noſtris contra nos ſparſis; quandoquidem ſplendidiſſima ſint mendacia, eo ſolum fine improbe excogitata, ut in vicinorum principum, Rerumpubl. ac gentium odia ac immeritam invidiam nos trahant: Cum contra, omnes noſtræ cogitationes, verba, actiones legitimæ ſint, prout qui præſentes feret, abunde edocebit.

4. Quandoquidem frequentiſſimis noſtris libellis ſupplicibus apud regem noſtrum ſereniſſ. nihil pro-

profecerimus, Rogandum eſſe Galliarum regem, ut apud noſtrum regem intercedat, quo dimittantur contra nos collecti exercitus, ac nobis liceat religione noſtra ac privilegiis frui, pacifice & libere ſub ſereniſſ. noſtri regis legitima authoritate, quantumvis non diffidamus quin Deus nobis adfuturus ſit, quandocunque armata manu noſmet tueri cogemur, quam armatam noſtri defenſionem leges Divinæ, naturæ, & gentium probant.

Sed conatus hic prorſus evanuit, nunquam tranſmiſſæ fuerunt hæ literæ, nunquam D. Colvillo tradita mandata, cum ubique clauſi eſſent portus, & ea præſentis belli moles Scotis ingrueret, cui ſoli tum vacandum fuerat.

Interim ex multorum ultro citroque commeantium congreſſibus via ad pacem aperiri cœpit. Nam cum *Fermeloduni* Comes, ad caſtra regia excurreret amicis quibuſdam ſalutandis, monetur, deſiderari ab Anglis in caſtris regiis, ut Scoti pacis media proponerent, quibus promovendis operam utilem impenderent: Cumque Scotis illud relatum fuiſſet, eundem *Fermeloduni* Comitem cum ſupplicibus ad regem literis remittunt, quarum ſumma fuit; Se ſupplices ſereniſſ. regem obſecrare, ut, poſt alia media fruſtra tentata, nunc tandem nonnullos Anglos religionis & publicæ pacis ſtudioſos deputare dignetur, qui cum Scotorum deputatis mutuo colloquio de gravaminibus, ac mediis ad pacificationem ſerio agant, priuſquam malum hoc in nervum erumpat; Nunquam ſibi propoſitum fuiſſe aliud poſtulare, quam ut liceret ſuis legibus vivere; daturoſque operam ut omnes aperte videant, per ſe non ſtetiſſe quo minus negotium hoc, pacate hactenus concluſum ſit. Literas etiam ad Comitem *Hollandiæ* & ſenatores regios in Anglia, qui tunc caſtra ſequebantur, dederunt; quibus rogant, ut ad pacem procurandam ſeſe

apud regem interponant: Omnia à ſe hactenus perfecta quibus regi ſereniſſ. & Anglis ſatisfacerent; ac niſi rex negotium pacis delegatis quibuſdam mature deputare velit, mala quæ evitari nequeunt, omnem medicam manum ſuperatura eſſe; quæ ſibi imputanda non erunt, quippe, quibus nihil aliud in votis ſit, quam ut bona regis cum venia liceat ſuis legibus vivere, ac religionis puritatem & antiqua regni privilegia ſarta tecta tueri; Neque quidlibet antiquius habeant, quam ut regi ſeren. quam devotiſſimos ſubditos, & Anglorũ ſtudioſos ſe oſtendant.

Accepta hac ſupplicatione ſereniſſ. rex *Edmundum Vernejum*, ſplendidum Equitem Anglum ad Scotorum caſtra delegat, qui moneret; regem Scotorum poſtulatis non prius reſponſurum, quam edictum illud promulgarent, April. 25. Eboraci conditum, quod hactenus ſuppreſſiſſent Scoti. Reſpondent à Scotis deputati, rationibus firmis ſe hactenus oſtendiſſe Illuſtriſſ. Marchioni Hammiltonio, quam inconſultum eſſet edictum illud, tam in materia quam forma illegitimum & prorſus vitioſum, promulgare, vitiorumque objectorum ſumma capita idem Eques in memoriæ ſuæ ſubſidium deſcripſit; ut tamen regi ſatisfacerent, in privato conclavi coram iis qui omnium nomine reſponſum expediebant, edictum prælegi jubent, ut ad ſingulas ſectiones, ejus vitia (ut ajebant) oſtenderent & refutarent. Ad ſereniſſ. regem cum rediiſſet hic Eques Anglus, tandem nobilium Anglorum ſerio interventu conſentiit rex, ut quos fœderati Scoti deputatos nominarent ad regia caſtra venirent, die Lunæ qui fuit 10 Iunii, quando ſex nobiles Angli primariæ dignitatis ipſorum adventum hora octava matutina in tentorio Comitis Arundelii, ſummi caſtrorum præfecti exſpectarent.

Quare Scoti ſtatim delegant Comitem Rothuſiæ;

Laudo-

Laudonium, nobiles ſupremi ordinis; Gulielmum Duglaſſium Equitem, Teviotiæ præfectum juridicum; Alexandrum Henderſonum paſtorem Edinburgenum, nuperæ ſynodi Glaſguenſis Præſidem, & Archibaldum Ionſtonum, Advocatum in ſuprema curia, & ſynodi nationalis ſcribam. Quæſtio quædam fuit de literis ſalvi conductus, quia ſtatutis regni Angliæ omnes ſalvi conductus literæ, læſæ majeſtatis reis præſertim conceſſæ, nullius prorſus valoris ſunt niſi magno regni ſigillo muniantur; & rex ſereniſſ. Scotos fœderatos, rebelles eſſe ſæpius aſſeruit, iiſque facultatem noluit concedere, ut in Angliam advenientes, actionum ſuarum æquitatem ei demonſtrarent: ſed deputati Scotorum quicquid ſit de literis ſalvi conductus; unius ſereniſſ. regis fidei confidere ſatis tutum judicarunt; & ad horam & locum condictum ſeſe contulerunt, ac cauſam publicam, ſereniſſ. rege præſente, quod unice in votis habebant, luculenter egerunt. Poſtulata quædam generalia offerunt, vid. 1. Ut rex pro benignitate, clementia, ac juſtitia ſua, vellet nuperam ſynodum Glaſguenſem in parlamento ad 23. Iulii indicto, ſancire. 2. Ut negotia eccleſiaſtica ſynodis, & politica parlamentis ſecundo aut tertio quoq; anno recurrente habendis definienda permitteret. 3. Ut Claſſem reuocaret; bona arreſto detenta redderet, ac damnum quod interruptione mercaturæ ſubiviſſent, rependeret: liberos denique redderet Scotos ab omni metu invaſionis ſeu terra ſeu mari. 4. Ut excommunicati à Scoticis eccleſiis, & qui privata tantum commoda ſectati, calumniis ac falſis relationibus incendium hoc belli excitarunt, in Scotiam remitterentur, ſceleribus hiſce atrociſſimis debitam pœnam ſubituri. 5. Ut declarationes, edicta ab iſtis quidem extruſa, ſed regis nomine palliata ſupprimerentur, cum in regis ſereniſſ. regnique ſui infamiam tendant.

Atque ſicut (inquiunt) nobis nunc quam graviſſime dolet, ſeren. noſtrum regem contra nos fideliſſimos & devotos ſibi ſubditos irritatum fuiſſe, ſic quã maximo poſthac nobis erit gaudio, Regi religionis noſtræ puritatem & leges tuenti, obedientiam civilem quæ à quibuſlibet fidelibus ſubditis exſpectari poſſit, præſtare, imo eam quæ aliis exemplo eſſe poſſit. Reſpondit rex: Quandoquidem ſubditi ſui Scoti nihil aliud ſibi in poſtulatis eſſe præ ſe ferant, quam ut libere fruantur religione & libertatibus ex præſcripto legum qua civilium qua eccleſiaſticarum regni Scotiæ; ſe exſpectare, ut evidenter demonſtrent, ſingula poſtulatorum capita hujus naturæ eſſe, ideoque nulla quæ legibus hactenus ſancitis non muniuntur, in controverſiam vocanda eſſe.

Redierunt hac vice ad ſuos Scotorum deputati laute & magnifice à nobiliſſimo Arundeliæ Comite ſemper excepti: ac die Mercurii Iunii 13. ad caſtra regia cum ſociorum reſponſo redeunt: quo ſuperiora poſtulata legitima demonſtrabant. Ac 1. De ſynodo ſancienda poſtulatum legitimum eſt, quandoquidem ſynodus regia authoritate indicta fuiſſet, ac in omnibus ſuis membris, ſecundum receptam eccleſiæ Scoticæ conſuetudinem, rite conſtituta; neque ullum quodvis decretum ab ea conditum fuerit, quod vel expreſſe vel per conſequentiam neceſſariam & immediatam prius non fuerit decretum in præcedentibus eccleſiarum ſynodis. Quare cum ſingula in ſynodo ordine & legitime proceſſerint, Regis eſſe, cum utriuſque tabulæ cuſtos ſit, eandem ſynodum in parlamento ſancire, præſertim cum eccleſia & regnum hoc unum quaſi corpus ex iiſdem membris conflatum conſtituant, & ſibi invicem ita arcte cohæreant, ut niſi exhortationibus ac cenſuris urgeant eccleſiaſtici debitam politico magiſtratui obedientiam, & niſi magiſtratus politicus civilem

ſanctio-

ſanctionem ad vigorem publicæ obſervantiæ, eccleſiaſticis conſtitutionibus ſuperaddat, nulla ſtabilis & firma pax exſpectari poſſit. Neceſſarium etiam eſſe ut die præfinita, regni Comitia celebrentur, cum nullam procraſtinationem aut dilationem præſens regni & eccleſiæ ſtatus ferre poſſit. 2. Secundi articuli æquitatem per ſe patere (dicebant) ut cauſæ eccleſiaſticæ in ſynodis, civiles in parlamentis definirentur, quia cauſæ hæ uſque adeo diverſæ ſunt ut nequeant in uno eodemque foro ſine extrema confuſione definiri. Et ut recurrente biennio aut triennio regni Comitia ſolenniter & ordinarie habeantur admodum neceſſarium eſſe, quandoquidem ſereniſſ. regis abſentia à regno impediantur ſubditi, ne gravamina ſua regi immediate deferant. Tertium, quartum, & quintum poſtulatum uſque adeo evidentia ſunt, ut à nullo in quæſtionem vocari poſſint.

Hac (ut refertur) vice quæſtiones quaſdam propoſuit rex, ad quas Scotorum deputatos reſpondere juſſit. 1. An regi ſoli competat ſynodi Nationalis indictio? 2. An in ſynodis ſuffragium negativum regi competat? 3. An liceat ſynodum continuare rege diſſolutionem ejus imperante? Ad quas paratam habuerunt deputati altera vice reſponſionem, cujus ſumma hæc fuerat. 1. Quæſtionum hujus generis determinationem ad ſynodum Nationalem proprie pertinere, ita ut ſi ſynodo non prius conſulta eaſdem definirent, ſynodi cenſuram merito incurrerent. 2. Si ad unam reſpondeas, ad omnes tres eadem opera reſpondebitur; nam ſi regi ſoli indictio ſynodi competat, nulla opus erit quæſtione de ſuffragio negativo, aut de diſſolutione ſynodi, dein ſi regi negativum competat ſuffragium, inutilis prorſus erit quæſtio de indictione & diſſolutione, & ſi regi liceat per ſe, ſua propria autho-

ritate ſynodum diſſolvere, fruſtra diſputabitur de indictione & ſuffragio negativo. Ad ſe, qua privatos, quod attineret, ſubmiſſe agnoſcere ſe, licere regi quando & quoties velit, omnis generis ſynodos tam Nationales quam Provinciales convocare; Agnoſcere etiam ſolennem & publicam indictionem, per modum *Compulſionis & edicti*, ad regem ſolum proprie pertinere, neque poteſtatem hanc in pontificem Romanum aut quemlibet externum transferri, nec à ſubditis ſine uſurpatione vendicari poſſe. Interim ſuos animos ſubire nunquam poſſe, dicunt, regis ſententiam eſſe; Nunquam licere eccleſiæ convenire, deliberare, & conſtitutiones proprie eccleſiaſticas ad religionis tutelam condere, idque extrema & urgente neceſſitate, ſi eccleſiæ tum deerit Magiſtratus; Nam licere rationibus hiſce demonſtramus; 1. Quia Deus eccleſiæ facultatem hanc conceſſit ut conveniat; Dei filius præſentiam ſuam eccleſiæ convocatæ promiſit, & eccleſia Chriſtiana Synodis ſemper uſa eſt ut medio ordinario & neceſſario ad religionis uniformitatem ſtabiliendam, hæreſes exſtirpandas, & mala eccleſiam penitus deſtructura, ſi Synodis deſtitueretur. 2. Quia eccleſia Scotica jure hoc divino freta, ſtatas ſuas Nationales Synodos cum ſingulari Dei benedictione ſolenniter celebravit: nam quamdiu Synodorum viguit authoritas, tamdiu ſua doctrinæ conſtabat puritas, diſciplinæ unitas, & eccleſiæ pax: eruditio laudem ſuam & præmia nacta eſt; impietas & idololatria coercebantur. 3. Quia eccleſia Scotica declaravit licere eccleſiæ in ſynodos convenire, ac locum & tempus celebrandi & habendi definire. 4. Quia idem ſtatuto parlamentario anni 1592. ſancitur; quod ſtatutum immutabile eſſe oportet, prout fundamenta ſunt quibus innititur. 5. Quia nullo decreto eccleſiaſtico, nulla lege municipali ab

ipſis

ipſis reformationis primordiis, oſtendi poteſt, regi per ſe & abſolute licere ſynodum diſſolvere, aut ſuffragii negativi jus unquam ſibi aſſeruiſſe: Quin contra diſerto & expreſſo ſtatuto parlamentario declaratur; Ius regium nullo modo præjudicare libertatibus & privilegiis eccleſiæ miniſtris a Deo conceſſis, quæ libertates ſæpius in parlamentis ſanciuntur, præſertim in poſtremo cui rex ſereniſſ. interfuit & præfuit. 6. Quia ſi hæc tria regibus concederentur, religio tota eccleſiæque juriſdictio penderet abſolute ab eorum beneplacito: Cum tamen ſereniſſ. rex publico edicto in Anglia declaraverit, juriſdictionem eccleſiaſticam in conventibus & ſynodis eccleſiaſticis, non fluere ab authoritate ſua regia, non obſtante quovis ſtatuto parlamentario in contrarium; verum ab eccleſiaſticis ipſis, & ipſorum propria poteſtate: licere itaque ipſis curias & fora ſua propriis ſuis nominibus indicere, & in iis ſententias ferre. Atque hæc ſumma fuit iſtius ſcripti ad regis tria interrogata; ſed regi ſereniſſ. fortaſſe huic propoſito diutius inſiſtere viſum non fuit; Nam reſponſum à deputatis nunquam requiſivit.

Tertia vice ad caſtra regia revertuntur deputati, quando etiam fuſe de omnibus gravaminibus & quæ hiſce motibus cauſam & occaſionem dederunt, agitatum fuit; Sereniſſ. regis ingenuitatem, ac pium candorem omnes deprædicabant, ac prout decuit, dolebant, Optimum Principem contra ingenii ſui ad pacem & æquitatem proni impetum, quorundam calumniis & ſuſurris ad extrema & violenta hæc conſilia fuiſſe pertractum: & à nullo dubitatum tum fuit quin pacate omnia componerentur, Nobilibus Anglis ſtrenuam ad id operam navantibus.

Sed

Sed cum denuo repeterent caſtra regia ad horam condictam fœderatorum deputati, regis animum nonnihil abalienatum deprehendunt, quam inexſpectatam mutationem turbulentis quorundam præſulum fortaſſe Roſſenſis conſiliis imputabant. Quare nullo operæ-pretio conventu illo præſtito ad Scotorum caſtra redierunt deputati: Cum vero res ad commune & publicum fœderatorum in caſtris concilium delata fuiſſet; varii erant animorum motus: Suſpicabantur alii, colloquiis hiſce nihil aliud quæri, quam ut bellum protelaretur in adventũ majorum copiarum ex Anglia & Hibernia, aut ſaltem ut commeatus & frumentationis inopia ad retroceſſionem cogerentur; adverſariorum verſutiæ veteres & recentes interpretando etiam auctæ omnium ſermonibus vexabantur. Quare deputatis ſuis mandarunt libertatis vindices, ut ſerio negotium urgerent, ſibi nulla ratione conſultum in dubio hærere, movenda protinus eſſe caſtra, & dilatoriis hujus generis tractatibus abruptis, figenda eſſe intra machinæ jactum prope caſtra regia. Fuerunt qui hæc omnia futiliter extulerunt, & forte uti id hominum genus ſolet, multa nunquã dicta nunquam cogitata de ſuo addiderunt, ac utrinque hujus farinæ homines non deerant. Verum Dei bona gratia regis ſereniſſ. animus prioribus & ſalubrioribus conſiliis adhæſit, ac tandem hoc edicto voluntatem ſuam declaravit, quod de verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

Edictum pacificatorium.

Perpenſis ſcriptis & ſupplicibus libellis nobis exhibitis à ſubditis noſtris in regno Scotiæ, quos admiſimus ut voluntatis noſtræ declarationem in caſtris noſtris exſpectarent, iiſdemque ſæpius auditis, in omni-

ſn omnibus, quæ in cauſæ ſuæ patrocinium proferre potuerunt, quæ ſenatoribus utriuſque regni noſtri communicavimus, unanimi & maturo eorundem conſilio, viſum nobis eſt plenum & æquum hoc reſponſum iiſdem referre. Quod, licet nolimus ratam habere Pſeudo-ſynodum Glaſguenſem multis gravibus de cauſis, quæ tum ante eandem habitam, tum poſt dimiſſam acciderunt, quibus ingens præjudicium aſſertur honori ac ſecuritati veri illius regiminis Monarchici, continua tot majorum ſerie ad nos devoluti: Nihilominus viſum nobis eſt, præteritis nuperis tumultibus, non ſolum ratum habere & præſtare omne illud; quod nomine noſtro conceſſerit aut promiſerit deputatus noſter: verumetiam prout poſtulant ſubmiſſe ſubditi noſtri, Declarare omnes cauſas eccleſiaſticas definiendas eſſe ſynodorum judiciis, & politicas parlamenti & aliorum inferiorum tribunalium: Quæ ſynodi eccleſiaſticæ Nationales, ſingulis annis ſemel habebuntur; aut prout ea in re conventum fuerit in proxima ſynodo. Et ut præſentes hæ animorum alienationes ac motus ſedentur, viſum nobis eſt, liberam ſynodum Nationalem habendam eſſe Edenburgi 6. Auguſti proxime ſubſecuturi, cui Deo favente, nobis propoſitum eſt intereſſe, & cujus legitimam indictionem ſenatui noſtro imperabimus: ac ibidem parlamentum 20. Auguſti menſis habendum eſſe, ad ſancienda Nationalis ſynodi decreta, & componenda ea omnia quæ ad pacem & commodum antiqui illius noſtri regni conducent; Et ad ἀμνηστείας ſtatutum ſanciendum.

Ad illud vero quo poſtulatur ut claſſis noſtra à littoribus, & copiæ terreſtres à limitibus revocentur, ac ut captivi liberentur, & naves ac bona arreſto aut alio quovis modo detenta reddantur, & ut illi denique ab omni invaſionis metu liberentur: Nobis

Nobis clementer & benigne viſum eſt ſignificare ; Quandocunque copias illi ſuas, conventus ac conventicula dimiſerint, nobiſque reſtituerint omnia noſtra caſtella, arces, apparatum bellicum, regalia ornamenta ac inſignia ; ſinguliſque aliorum noſtrorum fidelium ſubditorum, libertatem, bona, agros, domus, & quæcunque demum iis erepta ſunt poſt nuperam Pſeudo-ſynodum : Nos tum ſtatim claſſem ac exercitus omnes revocaturos, naves & bona arreſto detenta reſtituturos: ut appareat propoſitum nobis non fuiſſe nativum hoc noſtrum regnum hoſtiliter invadere, aut religionem & leges ejus innovare: ſed armis nos inſtruxiſſe eo ſolum nomine ut auctoritatem noſtram regiam tueremur ac vindicaremus.

Atque cum hinc liquido conſtare poſſit, nobis uti nunquam antehac, ſic neque nunc propoſitum eſſe, leges aut religionem mutare, quin contra utrumque illæſum & illibatum defendere ; exſpectamus ut fideliter & ſubmiſſe obedientiam præſtent, prout decet probos & fideles ſubditos, quales ſe toties profeſſi ſunt. Et ſicuti nobis perſuaſum eſt præſenti hac declaratione ſatisfactum iri fidelibus & pacis ſtudioſis noſtris ſubditis ; Ita Deum & univerſum terrarum orbem teſtamur ; Calamitates quæ neceſſaria noſtra coercitione arrogantiæ eorum qui pertinaciter pervicaces ſe prodent, evenient, nobis non imputandas eſſe, ſed ſibimet ipſis.

Leges porro & articuli pacificationis in quas conventum fuit in caſtris regiis, & quas utriuſque regni Secretarii poſtea ſignarunt, hæ fuerunt.

1. Exercitus Scotorum intra quadraginta & octo horas poſtquam de promulgatione hujus edicti conventum fuerit, dimittendus eſt.

2. Poſt edicti promulgationem, arces regiæ, caſtella, omne genus apparatus bellici intercepti, in-

ti, inſignia coronæ reſtituenda ſunt, quamprimum regi viſum fuerit quemlibet deputare cui tradantur.

3. Hiſce reſtitutis, claſſis regia primo quoque ſecundiore vento diſcedet, quod ſi ventus ſecundus non afflaverit, ne mercium ſubvectio & piſcatura impediatur.

4. Regi benigne viſum eſt imperare & procurare reſtitutionem bonorum omnium & navium arreſto aut quovis alio modo detentarum ac interceptarum poſt Calendas Februarias proxime elapſas.

5. Ne conventus, tractationes, conſultationes, aut quælibet ſubditorum noſtrorum conventicula præter ea quæ legibus approbata ſunt, habeantur.

6. Deſiſtendum eſſe à locis muniendis, & munitiones hactenus erectas regis ſereniſſ. arbitrio permittendas eſſe.

7. Probis noſtris ſubditis reſtituenda eſſe prædia, domus, fortunas, & quicquid iis ereptum fuit poſt diem prædictum.

Quæ cum ad ſuos retuliſſent fœderatorum deputati; Convocato frequenti ſenatu, quæſitum an edicto hoc poſtulatis ſuis ſatisfieret? & cum ſingula edicti verba & ſententias excuterent; ægre tulerunt aſperiores illas phraſes ubique diſperſas, quibus ſynodus Glaſguenſis Pſeudo-ſynodus; priores actiones, tumultus, arrogantiæ, contumaciæ vocabantur: Sed deputatorum, qui pacis interpretes fuerunt, prudentia, difficultates illæ diſcuſſæ fuerunt: Nam referebant, omnia hæc ſibi perſpecta fuiſſe, ac diſplicuiſſe, ideoque ſereniſſ. regem obſecratum fuiſſe, ut phraſium iſtarum aſperitatem leniret,

ret, & alia quædam diſertius exprimeret quibus omnes ſcrupuli ac ſuſpiciones fidelium ſubditorum animis eximi poſſent: Reſponſum quod à rege obtinuiſſe ſe dixerunt, ſcripto, in conventu illo ſociorum commiſerunt, ejuſque exemplaria nobilibus quibuſdam Anglis, quorum nobile & pium in pacis negotio procurando ſtudium ſe exeruerat, tradituros in ſe receperunt, ut ſi quæ quæſtio poſthac forte ſuboriretur ex ambiguitate & generalitate phraſium quarundam in edicto poſitarum, de ea judicium fieri poſſet ſecundum ea quæ in ſcripto illo continebantur; utpote quod contineret ea quæ privatim tranſacta fuerunt, ipſis illis Anglis nobilibus præſentibus: Scriptum vero illud ſic ſe habuit.

1. Licet præfatio & concluſio edicti regii aſperioribus verbis pungeret ſubditos regni Scotiæ, regem tamen declaraſſe, nullam ſe de iis ſiniſtriorem opinionem fovere: rationem habendam eſſe exiſtimationis ſuæ apud exteros: fruſtra de verbis moveri quæſtionem cum de re ipſa conſtiterit; & cum poſtulata obtinuiſſent.

2. Licet ſynodum Glaſguenſem Pſeudo-ſynodum vocaret, neque ulla ejus decreta approbaret præter illa quibus declaratio ſua regia publicis regiſtris inſerta eſſet, apud Scotos tamen ſe non inſtiturum, ut ſynodo illi renuncient.

3. Ad ſynodi conſtitutionem quod attinet, oſtenſum regi fuiſſe, nullum pro ſynodi membro agnoſci poſſe, qui rite delegatus non eſſet, tres vid. verbi paſtores cum unico ſeniore à ſingulis presbyteriis ſeu Claſſibus, & ab academiis ac civitatibus ſingulis unus, qui ſimul cum rege aut regio deputato ſynodum plenam facerent. Urſiſſe regem jus ſuffragii aſſeſſoribus ſuis; & cum in priori hujus edicti forma quædam phraſes inſertæ fuiſſent quibus mentio fiebat rationum prioribus edictis contra ſynodum Glaſ-

Glaſguenſem contentarum, quibus ſeniores à ſynodo Nationali penitus excluderentur; Poſtulatum tum à nobis fuit, ut omnes id genus controverſiæ, more huic eccleſiæ conſueto, ad ſynodi definitionem remitterentur: Rex vero contra videbatur inſtare, ut ad ſe remitterentur; Verum cum ſignificatum fuiſſet, Adverſari eccleſiæ conſtitutionibus, ut rerum ad ſe proprie pertinentium alium quemvis judicem agnoſceret quam ſynodum ipſam, cui rex vel per ſe vel per deputatum intereſſet & primus ſententiam ferret; Tandem concluſum fuiſſe vocem *Liberæ Synodi*, in edicto regio, ſecum ferre ac includere facultatem judicandi de omnibus quæſtionibus, quæ circa Synodi conſtitutionem, membra, aut materiam in ea tractandam moverentur.

4. De reſtitutione arcium regiarum, prout ingenue illud in ſe receperunt ſubditi, ita non celarunt quod ad regni incolumitatem pertineret ad parlamentum referendum eſſe, quando ſupplicibus literis ſereniſſ. regi poſtulata ſua offerrent: Addiderunt etiam rationem habendam eſſe ſumptuum in arcibus illis muniendis & cuſtodiendis.

5. In reſtitutionem bonorum, & aliorum interceptorum, conſenſum fuit, modo debita noſtra in publicum uſum contracta ab omnibus pariter diſſolverentur, quod aliter fieri non poterit quam ſpeciali regis mandato, aut authoritate parlamentaria. Et cum à nobis objectum fuiſſet, quædam bona fuiſſe diſperdita & hactenus conſumpta; ſereniſſ. regem reſpondiſſe, reſtitutionem intelligendam eſſe de bonis quæ adhuc ſuperſint.

6. Quum objiceretur à nobis, præjudicare regem legitimæ conſtitutioni liberæ ſynodi, quia in priori hujus edicti forma ſynodum Glaſguenſem repudiare ſe dixiſſet propter multas rationes, quæ

 priori-

prioribus ſuis edictis comprehenderentur, inter quas fuerunt illæ contra ſeniores, eorumque in ſynodis ſuffragia: Regem clauſulam illam tandem expunxiſſe.

7. Itidem cum objiceretur à nobis, phraſibus quibuſdam in declaratione regia inſerta regiſtris ſynodi Glaſguenſis, præſupponi Epiſcopatus continuationem; videl. dum dicitur, initiandos miniſterii functione in nullum aliud juramentum adigendos eſſe quam quod ſtatutis parlamenti continetur, &c, Epiſcopos ſubjici cenſuræ nationalis Synodi; cumque illa approbare neutiquam nos poſſe dixiſſemus, utpote, quod Epiſcopatum præſupponerent, Confeſſioni fidei & conſtitutionibus eccleſiaſticis adverſantem: Viſum regi fuit utramque illam clauſulam delere.

8. Cum, 15. Iunii, ſubmiſſe urgeremus, ut tot fidelium ſubditorum votis rex ſereniſſ. ſatisfacere dignaretur, declarando ſe nolle urgere Epiſcopatum; reſpondiſſe regem; In primis noſtris poſtulatis hoc non fuiſſe comprehenſum: Nobis vero inſtantibus, primis noſtris poſtulatis, quibus ſynodi Glaſguenſis ſanctionem petebamus, hoc contineri; Regem agnoviſſe; Ita quidem rem ſe habere, neque ſe illud adhuc aperte denegaſſe, verum de ea re mature deliberaturum intra biduum: Atque cum die illo condicto idem urgeremus, ac dilucide demonſtraremus, ſi vellet Epiſcopatum in hac eccleſia mordicus retinere, laboraturam eccleſiam ſchiſmate, regnum diviſionibus & factionibus quibus remedium adhiberi non poſſet; Contra vero, ſi regnum & eccleſiam ab Epiſcopatu liberaret, eam ſinceram, promptam, ac ſubmiſſam obedientiam ab omnibus omnino ſubditis præſtitum iri, qua major à nullis exſpectari poſſet: Reſpondiſſe regem

ſereniſſ.

ſereniſſ. Non debere nec poſſe ſe ſuffragii ſui libertati præjudicare : Indictam eſſe à ſe liberam ſynodum, quæ de eccleſiaſticis omnibus cauſis cognoſceret, ſtatueret, ac judicaret; cujus decreta in parlamento ſanciturus eſſet.

In majorem etiam cautelam fœderati frequentiſſimo omnis generis & ordinis ſociorum ſuorum conventu convocato, ne quis acceptationem hujus edicti regi detorqueret in alienum ſenſum, quaſi ſynodo Glaſguenſi renunciarent, aut priores ſuas actiones ut illegitimas damnarent, ſcriptum conſignarunt, quod de verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

Ne declaratio & edictum regium quo reſpondetur humilibus noſtris poſtulatis ſereniſſ. noſtro regi per deputatos noſtros oblatis; non recte accipiatur à probis, aut ab iniquioribus in alienum ſenſum detorqueatur, quo ſereniſſ. regis æquitas & clementia ſupprimantur, aut fideles ſubditi quidpiam commiſiſſe aut nunc admiſiſſe videantur, quod ſolenni cum Deo fœderi ac juramento adverſetur: Exercitus Generalis, Nobiles, Barones, Cives, Paſtores, & cohortium Ductores ante dimiſſum exercitum convenientes, perneceſſarium judicavimus ſcripto conſignare quod à deputatis noſtris relatum fuit: videl. regem ſereniſſ. iis ſignificaſſe; licet non poſſet ratam habere & agnoſcere nuperam ſynodum Nationalem Glaſguenſem, unde eſt quod in edicto illo Pſeudo-Synodus vocetur : ſubditorum tamen acceptationem hujus edicti à ſe non intelligi, quaſi ſynodo illi abrenunciarent, aut actiones ſuas præcedentes condemnarent ut tumultuoſas, illegitimas, arrogantes, pertinaces. Quare, uti enixe rogamus, ut omnes regis ſereniſſ. fideles ſubditi, ſubmiſſis ac gratis animis agnoſcant ac

confiteantur ſingularem regis ſereniſſ. gratiam, indicendo liberam ſynodum Nationalem ad 6. Augusti, & parlamentum ad ejuſdem menſis diem vigeſimum, ad ſanciendum ſynodi decreta; quod proprium & efficaciſſimum medium eſt procurandæ & ſtabiliendæ pacis eccleſiaſticæ & politicæ: Ita etiam iiſdem notum facimus, ne acceptatione edicti & articulorum pacificationis annexorum, ullo pacto renuncient aut repudient prædictam ſynodum, verum ſciant ſe adhuc teneri ut eidem ſynodo obtemperent, ac tueantur; Atque ut omnibus detorſionibus obviam eatur; Innoteſcat & ſignificetur hoc omnibus, ubicunque regium edictum promulgabitur. Etenim ſicuti hanc regis noſtri eſſe ſententiam ſæpius ipſe deputatis noſtris aperuit, ita nobis abunde perſuaſum eſt, ſic conſultum fore honori regis, ac piorum votis, & beatam hanc pacificationem promotum iri: Quæ ardentiſſimis precibus Deo Opt: Maxim: quam commẽdatiſſima facere omnes decet: & ad mentem ſerio revocare nuperum & ſolenne noſtrum cum Deo fœdus; ut eo digni incedamus ac inveniamur: Deum etiam obſecrandum eſſe ut ſynodi hujus & parlamenti opera, religio & juſtitia in hoc regno ſtabiliantur.

Tandem edictum ſeu declaratio hæc regia in Scotorum caſtris promulgatur 18. Iunii à ſupremo feciali regio, præſente Comite *Mortonio*, *Vernejo* & *Boroughio* ſplendidis Equitibus Anglis à rege ad id deputatis: *Caſiliſſæ* Comes, nomine totius exercitus Scotici ac reliquorum libertatis eccleſiaſticæ vindicum, ſubmiſſas ſereniſſ. regi gratias referebat, quod dignaretur ſubditis ſuis fidelibus eatenus gratificari; ac ſimul addebat, ſpem omnes certam fovere, Dei bona gratia, ſereniſſ. Regem meliorem opinionem de ſynodo Nationali Glaſguenſi, & ſubditorum fidelitate, brevi concepturum, quam quæ in decla-

declaratione illa expreſſa eſſet: Se cum ſociis ſynodo illi adhærere ac fœderi, quæ ſine horrendo perjurio abnegare non poſſent: Et ſimul feciali obtulit quod in frequentiſſimo conventu conſignatum fuiſſe ſtatim diximus. Atque cum eadem declaratio regia Edinburgi promulgata fuiſſet denuo, eandem repetiit D. Lindeſius, Baro Parlamentarius.

Prout conventum fuit, ad dimiſſionem exercitus ſe accingunt Scoti: multorum opinio fuit Regem ad eorum caſtra venturum, ſed quibus conſiliis non advenerit, varia fuerunt hominum judicia: hoc certum, fœderatis omnibus nihil magis in votis fuiſſe, quam ut in conſpectu ſereniſſ. ſui regis atroces illas calumnias ſpreti regiminis Monarchici, reipſa refutarent, & arma ſua, quæ inviti admodum induerant, ut vim armatam contra ſe arcerent, coram clementiſſimo ſuo Rege lubentes deponerent; nunquam aſſumenda niſi in Regis, Religionis, & patriæ Libertatis nunc denuo pactæ defenſionem. Nobiles Angli & cohortium ductores frequentiſſimi accurrebant; & omnibus, (non ſine calumniatorum infamia, & diras in eorum capita execrationes etiam per gregarios Anglos milites) evidenter perſpectum fuit, fœderatos Scotos privatis odiis non litaſſe, neque de præda aut tollendis inimicis cogitaſſe; aut de augenda re familiari, (nam nulla vox audita fuit in univerſo tractatu pacificationis, ex qua privatis commodis ſtuduiſſe fœderatorum capita, vel ſuſpicaciſſima ingenia colligere potuerant, quod alibi in ejuſmodi motibus fieri conſuevit:) ſed omnia eorum ſtudia de ſolido religionis ſtatu, pace ac æquitate publica ordinanda fuiſſe: Qui præſentes aderant, uno ore teſtabuntur, utramque gentem nunquam amplioribus mutuæ neceſſitudinis officiis amice ſe invicem com-

plexam fuiſſe : quam fœlicem concordiam perennet Dominus.

Cæterum 20. Iunij die condicto Scotorum exercitus dimittitur, & ſinguli pacatis agminibus ad ſua redierunt, læti ſine ſanguine & cæde tam ingentes motus compoſitos fuiſſe, ac Deum laudantes qui belli incruentum hunc exitum dediſſet. Eorum exercitus licet apparatu Equitatus Anglis inferior diceretur, Equorum tamen numero & Equitum fortitudine æquavit: peditatus vero longe ſuperior tam numero quam animis referebatur, utpote qui conſtaret viginti millibus militum ex flore juventutis vicinarum tantum Angliæ provinciarum, & quotidie advolabant novæ legiones, ita ut dimiſſo exercitui & domum redeunti ſæpius obviam venerint. Omnibus de belli æquitate ac neceſſitate perſuaſum fuit, & commeatus abunde ſuppetebat: Animos etiam addebat, probata ducum rei militaris peritia, & fortitudo ac fœlicitas, quarum frequentia ſpecimina adhuc celebrare poterit Germania, cujus libertati contra ſuperbam & impotentem Auſtriaco-Hiſpanicam tyrannidem aſſerendæ, ſub fœliciſſimorum Suecorum ſignis antehac ſeſe devoverant, iiſque piis conatibus immorituri fuiſſent, niſi patriæ periclitanti, filiorum ſuorum auxilia tempore tam neceſſario advocanti, accurriſſent.

Dum hæc ad limites & confinia regnorum agerentur, in Borealibus Scotiæ provinciis vice-comes Boinius, adeptus poſt ſecundam fugam peritos aliquot belli duces, & apparatum bellicum Berwico cum navibus tranſmiſſum, captata Montis Roſarum & Mareſchalli abſentia, magnas turbas movet, & ducem ſe factioni exhibet; ad quem convolarunt omnes regiarum partium, ex quibus ſpeciem quandam exercitus confecit, præſertim ſi numerus & copia-

copiarum ductores ſoli numerarentur: Et horum quidam cum omnem ſpem ſuam in celeritate ponerent, magnis itineribus in Auſtraliores Merniæ & Anguſiæ acTaithiæ provincias contendendum eſſe ſuadebant, ut fœderatos ſub ductu Montis Roſarum & cæt. vel incautos & nihil ſiniſtri metuentes ex improviſo opprimerent, aut apparatum ſaltem bellicum in vicinis oppidis interciperent: Quod factu ſibi haud difficile judicabant; Niſi magno animo prædicti Comites cum ſuis obviam eis veniſſent, quorum adventu uſque adeo terrebantur Boniæ vice-comes cum ſuis, ut, mutato priori conſilio, ingenti terrore cogerentur ad antiquas latebras confugere, & ut tutius laterent, cum ad Deæ fluminis, (quod Abredoniam præterlabitur,) pontem veniſſent, eundem obſtruunt; & diſpoſitis in ripa cohortibus, tranſitum fœderatis prohibere conantur: ſed fruſtra, quippe fœderati poſt paucorum horarum moram, pontem obſtructum admotis majoribus machinis intercipiunt, & qui non ita pridem triumphum ante victoriam canebant, ad latebras & tutam fugam, quanta celeritate poſſent, circumſpiciunt, & Abredoniam, fœderatorum arbitrio denuo exponunt, qui eam ſtatim interceperunt: Commodum certe Abredonenſibus tum fuit, quod celeri nuncio, Montis Roſarum & Mareſchalli Comites de icta pace certiores facti ſunt, nam alioqui verendum fuiſſet, ne clementia illa quam, toties experti fuerant, & qua ſe toties indignos reddiderunt cives quidam Abredonenſes (nam omnibus omnino civibus inſtabilis hæc mutabilitas imputari non potuit; quippe quod eorum quidam, licet cum manifeſto vitæ & fortunarum periculo, reliquis fœderatis ſerio ſe olim adjunxerant; neque fidem datam corruperunt) in juſtam iram verteretur, quandoquidem, ne ignem in tecta ipſa conjicerent,

 difficul-

difficulter detinebantur milites fœderati; ſed ductorum authoritate, & pacis certo nuncio aſperiora illa conſilia & conatus impediebantur. In omnibus illis motibus nihil humani ſanguinis effundebatur, præterquam in hoc ad Deæ pontem conflictu, ubi duo fœderati deſiderati ſunt, ſed ex altera parte plus minus quinquaginta, & complures vulnerati, inter quos Ionſtonus quidam tribunus, vir acris & expediti ingenii.

Motibus ſic compoſitis, ac arcibus regiis cum intercepto apparatu bellico qui adhuc ſupererat, regi traditis, & Scotorum exercitu dimiſſo; magnus eos inceſſit metus, nam cohortes regiæ in limitibus hærebant, & magno præſidiariorum numero inſtruebantur *Berwicum* & *Carleolum*, urbes quidem ditionis *Angliæ*, ſed in ipſis Scotiæ limitibus ſitæ; Indictio ſynodi procraſtinabatur; arcis *Edinburgenæ* cuſtodia perito belli duci committebatur, ac multo commeatu & apparatu muniebatur, Rex etiam sereniſſim: *Berwici* adhuc hærebat; & eo evocaverat decem & quatuor primarios confœderatorum, ut cum iis de rebus maximi momenti ageret; ac licet qui in vicinia hærebant, Nobiles fœderati ſtatim advolarent, & ſociorum ſuorum abſentiam excuſarent, renuiſſe tamen regem (referebatur) cum illis agere, ſed omnium exſpectare adventum, ac tum de ſua voluntate prolixius omnes ſimul intellecturos eſſe: Magnarum ſuſpicionum anſam hæc & plura hujus generis fœderatis præbebant, & gravius aliquid ſubeſſe multorum fuit opinio: etenim cum pauciores numero, & minoris dignitatis totum pacificationis negotium antea abſolviſſent, quorſum jam multo plures evocarentur, præſertim ſelecta fœderatorum capita? & veteres hiſtorias in mentem revocabant; neque novum eſſe differebant, in minimis fidem præſtruere ut poſtea cum

cum operæ pretiũ erit majori cum momento fallas: Atque eo uſque prævaluit hic metus, ut duos ſolummodo ex quatuordecim evocatis ſelectos *Berwicum* ad regem remitterent, cum diſerta & expreſſa reliquorum excuſatione; quod ſereniſſ. regi ingratum fuiſſe, multa poſtea prodiderunt: Duobus tamen illis ſignificavit, ſibi tunc integrum non fuiſſe in Scotiam venire; ut Synodo & parlamento prout apud ſe conſtituiſſet, adeſſet, alia quædam magni momenti negotia Londini tractanda eſſe, quæ ſuam præſentiam requirerent, prout reginæ & ſenatus ſui literis monitus fuit: Deputatum tamen ſuo nomine qui promiſſa præſtaret, miſſurum. Alia etiam quædam negotia quæ ad pacem ſtabiliendam conducere credebantur, pertractata fuere; & Regi tum oſtenſum, penes fœderatos non eſſe munitiones Lethæ demoliri, Edinburgenis aſſerentibus, licere ſibi per privilegia ſua, Letham ditionis ſuæ oppidum, & portum munire: vim etiam & injuriam Comiti Traquario, regni Theſaurario à fæce vulgi aut procacibus mulieribus illatam diligenter excuſabant, & per magiſtratum *Edenburgenum* non ſtetiſſe quominus in reos inquireretur ac ſevere animadverteretur, quandoquidem Theſaurarius ipſe judicaret haud futurum è re ſereniſſ. Regis aut pacis publicæ, ſi ſtrictius inquiſitio inſtituta fuiſſet; horum nomine injuriam hanc ſe levius ferre. Denique nihil intentatum reliquerunt fœderatorum deputati, quo regis ſereniſſimi animo ſcrupulos omnes eximerent, ne fœderatos reos aut conſcios fuiſſe aut futuros judicaret cujuſlibet facti quo fides Regi data corrumperetur; ipſorumque reſponſionibus judicatum fuit ſereniſſimum Regem acquieviſſe.

Interea indicitur mandato regio ipſis Iulii calendis ſynodus Nationalis, mandatum Archiepiſco-

pis, Epiſcopis, eccleſiarum deputatis & aliis quibuſcunque jus ſuffragii in ſynodo habentibus, ut Edinburgum ad duodecimum Auguſti diem in ſynodum Nationalem coirent, & cæt. Fœderati ſæpius inſtabant, ut nulla in literis indictionis Archiepiſcoporum & Epiſcoporum fieret mentio; utpote, cum nullos tali poteſtate præditos in eccleſia Scotica agnoſcerent; cumque illud obtinere non potuiſſent contra proteſtantur, ne ſilentio ſuo (ut loquebantur) præſules ſynodi membra agnoſcere viderentur: & ſic rei eſſent violati juramenti de tuenda ſynodo Glaſguenſi, qua miniſtrorum verbi imparitas ab eccleſia exulare jubetur, & præſules ipſi variis cenſuris eccleſiaſticis notantur; Atque licet hanc ſynodum ratam habere noluerit sereniſſ. rex; tamen (inquiunt) deputatis fœderatorum in caſtris ſuis profeſſum fuiſſe, nolle ſe cogere aut urgere fœderatos ſubditos ſuos ſynodum illam repudiare, ideoque mandaſſe ut ſententiæ illæ in declaratione ſua nupera pacificatoria expungerentur, quæ ſecum ferrent approbationem Epiſcopatus aut epiſcoporum. Quare proteſtantur & declarant. 1. Synodum illam Glaſguenſem fuiſſe legitimam, plenam & liberam ſynodum Nationalem: omnibuſque ipſius decretis, præſertim vero quæ contra Epiſcopatum & Epiſcopos ſunt, obtemperandum eſſe ab omnibus fœderatis. 2. Fœdus ſuum cum Deo eſſe legitimum, cui adhærent. 3. Præſules illos eccleſiaſticis cenſuris merito notatos fuiſſe, & uſurpatione titulorum condemnatorum pervicaciam ſuam prodere, calumniis improbis ſereniſſ. regem contra fideles ſuos ſubditos incitaſſe, & malorum omnium quæ hactenus perpeſſi eſſent, incendiarios fuiſſe; ideoque reverſuros, ab omnibus habendos eſſe, quo loco Chriſtus Ethnicos & publicanos & anathemate notatos haberi juſſerit: præ-

ſentem-

ſentemque hanc eorum citationem per literas indictionis nihil juris eis in ſynodo afferre. 4. Quandoquidem regis mandato imperetur collegio juſtitiæ, ut tempore tam importuno judicia exerceant, declarare ſe, omnes ſententias in foro illo ferendas hoc tempore nullas eſſe, cum ex legum præſcripto quadraginta dierum citatio præcederet;. quod tempus obſervari nequit: neque ſubditis cauſas in hoc foro acturis vacare poſſit., ſcripta & cauſarum documenta quæ in locis tutioribus in motuum horum fervore repoſuerunt cuſtodienda depromere; cum privatis & domeſticis ſuis negotiis aliquantiſper conſulere cogantur, quæ præparationibus ad religionem & patriam ſuam defedendam diſtenti, menſibus hiſce elapſis prorſus neglexerunt.

Hiſtorica narratio Synodi Nationalis Edinburgi coactæ.

EX præſcripto edicti regii Edinburgum convenerunt eccleſiarum deputati ad ſynodum Nationalem, quæ 12. Auguſti aperta fuit: Ubi pro recepta conſuetudine proximæ ſynodi præſes, ad Deum precibus & oratione ad ſynodum, ſeſſionem primam auſpicatus eſt: omneſque monuit, ut literas fidei ſcribæ traderent; quo facto ſeſſio illa dimiſſa fuit.

Seſſione ſecunda, Iohannes Stuartus Traquariæ Comes, ſupremus regni Theſaurarius, Deputatus regius ad ſynodum, deputationis ſuæ literas prælegendas tradidit, ac ſynodi regiſtris inſerendas: Obſervatum fuit in literis illis, ſereniſſ. regem hiſce formalibus verbis abſentiam ſuam excuſaſſe: *Quod graviſſimis maximique momenti negotiis reditum in Angliam urgentibus impediretur*: Plenam tamen poteſtatem ſe concedere prædicto deputato omnia

in ſy-

in ſynodo peragendi: *Sicut nos facere potuiſſemus, ſi in noſtra ſacratiſſima perſona adeſſemus, ſecundum eccleſiæ conſuetudinem, legeſque prædicti antiqui noſtri regni.* Dein quinque paſtorum nomina à præſide, ſynodo propoſita fuerunt, ex quibus novum præſidem eligeret ſynodus, plurimorumque ſuffragiis electus fuit David Dicſonus, paſtor magni nominis, qui provinciam capeſſens, ſuperioris ſynodi Præſidi Alexandro Henderſono publico nomine gratias egit, & oratione ad ſynodum converſa, ſcopum quo omnium tunc ſtudia collimare deberent, proponit.

Cum prælegerentur delegatorum fiduciariæ literæ, rogati ſæpius ſunt omnes, ut ſi quid haberent quod objicerent, ſtatim proferrent, alioqui ſilentium pro approbatione à ſynodo acceptum iri; Cumque nullus prodiret qui in ſpecie contrà quemlibet deputatum aut literas fidei quidvis exciperet, Declaratum fuit, ſynodum completam ac rite formatam eſſe.

Seſſione quarta, inter omnia ſubditorum gravamina quæ hiſce motibus occaſionem & cauſam præbuerunt, ſeu vere ſeu ſecus (inquit deputatus regius) quædam ſunt quæ rex ſereniſſ. edictis ſuis hactenus abrogavit; quibus excutiendis fruſtra nunc inſudabitur, duo tantum, ſuo judicio, reſtare excutienda: Perſonalia videl. Epiſcoporum crimina olim objecta: ac regem velle ut in ea legitime inquireretur: & Epiſcopatum ipſum: atque hic mature & ſerio perpendendum omnibus eſſe, Regem ſereniſſ. cum in ea eccleſia educatus ſit in qua approbaretur, ſolidas rationes exſpectare, quid ſibi de eo ſtatuendum ſit in hac eccleſia: Quare Synodo dandam operam eſſe, ut regi Sereniſſimo ſatiſfiat. Ejus orationem excepit præſes, & Eccleſiarum gravamina recenſuit, quæ videlicet fuerunt.

1. Na-

1. Nationalium ſynodorum legitime formatarum per annos complures defectus. 2. Approbatio & ſanctio ſynodorum corruptarum, ac non rite formatarum, quales fuerunt, binæ Limnuchenſes, Glaſguenſis, Abredoniana, Andreapolitana, Perthana. 3. Severa obtruſio quinque articulorum Perthenſium. 4. Et libri liturgici, ac Canonum, cum curia celſæ commiſſionis. 5. Violatio fœderis Nationalis cum Deo ſolenniter ſanciti. 6. Epiſcopatus. 7. Eccleſiaſticorum politica munia, ac Epiſcoporum in ſynodos & omnes conventus eccleſiaſticos tyrannis. Hiſce (inquit) mala omnia noſtra imputamus; Deumque cordium noſtrorum ſcrutatorem teſtamur, nobis ſemper propoſitum fuiſſe, regem noſtrum ſereniſſ. colere, ejuſque mandatis legitimis ex præſcripto legum obtemperare, quicquid contra obloquuti ſint ac calumnientur adverſarii noſtri, nam licet reges omnes Chriſto Dei filio ſubditos eſſe agnoſcamus, ac quicquid ejus gloriæ ac regno adverſetur, eliminandum cenſeamus; ſi tam charum nobis eſſet quam oculus dexter, tam utile ac neceſſarium quam dextra manus: politicas tamen poteſtates, utpote à Deo ordinatas, reges & in eminentia conſtitutos noſtro bono, ulla injuria aut contumelia affici nunquam patiemur. Reſpondit deputatus regius, ſynodum hanc à rege ſereniſſ. indictam ut mature & in timore domini perpenderent, an hæc omnia ita ſeſe habeant, hoc eſt, an hæc vera & ſola ſint eccleſiarum gravamina? Si demonſtretur vera & juſta eſſe, ut ex eccleſiis removeantur, ſin minus, æquum eſſe ut adhuc obtineant: verbi gratia (inquit) ſi Epiſcopatus ſit inter juſtas & veras cauſas gravaminum, tum oſtendendum erit adverſari conſtitutionibus hujus eccleſiæ: & ſic de cæteris. Conditionem hanc Synodi nomine accepit Præſes, ac in ſe recepit, ſynodum

nodum liquido & ad oculum demonſtraturam; ab ipſis reformationis primordiis, eccleſiæ Scoticæ ſemper propoſitum fuiſſe, Epiſcopatum profligare, & Apoſtolico eccleſiæ regimini per ſynodos, & Claſſes adhærere: Radices etiam ipſas Epiſcopatus & omnes ejus fibras fœliciter convulſiſſe, quæ licet ſæpius poſtea pullulaverint & ſuccreverint, ſuppreſſas tamen purioribus temporibus ſemper fuiſſe, cum primum capita exererent. Cæterum ut ab intricatis diſputationibus abſtineretur, monebat deputatus regius conſultiſſimum ſibi videri, ſi ex authenticis ſynodorum regiſtris extracta prælegerentur, quæ in hanc rem facerent: Sed quæſtio fuit à quo anno incipiendum eſſet: aliis inſtantibus ut ab anno 1560, quando religio reformata publica authoritate ſancita fuit; aliis vero urgentibus ut ab anno 1580. quia in confeſſione fidei obſignata illius anni facta eſt mentio, initium fieret. Aſt tandem viſum fuit omnibus ab anno 1575, Conſtitutionum ſynodalium lectionem inchoare: Nam ab illo anno in Synodis Nationalibus frequentiſſima eſt Epiſcoporum mentio, qui tunc temporibus, invitiſſimis & reluctantibus eccleſiis multa ſibi arrogabant, videlicet, titulos dignitatum, civiles functiones, poteſtatem in paſtores, immenſos titulos, ac eccleſiaſtica politicis commiſcebant: quæ omnia cum frequentibus ſynodorum decretis, corruptiones manifeſtæ regiminis eccleſiaſtici dicerentur, neque ullis legum repagulis ſatis coerceri poſſent, tandem paucorum illorum titularium Epiſcoporum obſtinata pervicacia identidem prorumpente, coactæ fuerunt Synodi Nationales, reſecatis antea ramis, radicem ipſam petere, atque anno 1580. declaraſſe, illicitum eſſe quicquid ordinarii unius gregis miniſtri mu-

nus

nus excederet : Quare ridiculum eſſe quod a quibuſdam objicitur contra decretum ſynodi Taodunenſis, anno 1580. habitæ, quaſi Epiſcopatum tantum rejiceret ac ex eccleſia Scotica profligaret, quatenus à Pontifice Romano dependeret : Nam ſi reſecentur ea quæ in Epiſcopatu ante illud ſynodi decretum damnata fuerunt, quid quæſo Epiſcopo ſupererit ſupra ordinarium quemlibet unius gregis paſtorem? Addebat alius, non ſolum profligatum fuiſſe ex eccleſia Scotica omnem omnino Epiſcopatum ἰξομερῖτως ſeu ſingulariter ſic dictum, verumetiam exteris Theologis illud quam notiſſimum fuiſſe, producta in medium Theodori Bezæ, viri maximi, Epiſtola ad Iohannem Cnoxum eccleſiæ hujus reformatorem, anno 1571 ſcriptam. *Sed & iſtud (inquit) mi Cnoxe, te cæteroſque fratres meminiſſe velim, quod jam oculis pene ipſis cernitur, ſicut epiſcopi Papatum pepererunt, ita Pſeudo-epiſcopos papatus reliquias epicureiſmum terris invecturos : hanc peſtem caveant qui ſalvam eccleſiam cupiunt ; & cum illam in Scotia profligaris, ne quæſo illam unquam admittas*, &c cæt. Deputatus regius reſpondebat, ſibi minime ſtatutum quidlibet urgere, niſi eo modo qui omnibus probis ſatisfaceret : ſed ſyrtes & ſcopulos hic eſſe à quibus utrinque ſollicitè caveretur, eoque nomine venire quæcunque pacem & veritatum impedient : Sereniſſ. Regem in mandatis ſibi dediſſe, ut nihil intentatum relinqueret, quo utrumque ſolide ſtabiliri poſſit : Interim ſynodo providendum, ut regis honorem quam commendatiſſimum habeat ; quod in ſe recepit præſes.

Ante ſequentem ſeſſionem inter ſynodi membra abſente deputato regio, ſerio inquiſitum fuit qui eſſent in ſpecie ſcopuli illi, ac deliberatum quibus mediis eccleſiæ pax ſtabiliri poſſet ita ut regi ſereniſſ. ſatisfieret, & eccleſiæ libertas ſarta tecta remaneret.

Cumque in ſynodum conveniſſent: Deputato regio ſignificavit præſes, ſe omnes in illud intentos fuiſſe quod tam ſerio commendaſſet, neque ullam ad pacem & veritatem convenientiorem viam excogitari à ſe poſſe, quam quæ a rege ipſo ſereniſſimo demonſtrata fuit; videlic: Cum nihil ſit quod in quæſtionem vocari jam poſſit præter nuperam ſynodum Glaſguenſem; quam quia rex ratam habere noluit, eam nunc non urgere ſtatutum eſt, ita tamen (inquit) ut nullatenus hoc accipiatur quaſi eandem rejiceremus, præſertim cum Rex ſereniſſimus pollicitus ſit ſe illud nolle urgere, quippe, quod ad ejus Synodi authoritatem tuendam quamplurimis arctiſſimis vinculis ſubditos conſtrictos intellexiſſet: Ab utroque itaque extremo diligenter cavendum eſſe: Deputatus regius reſpondit. Fœliciter viſas & deſcriptas eſſe à quibus metuebat ſyrtes & ſcopulos, precatus ut pari fœlicitate præternavigarent, ſe curſum ſuum in medio directurum.

Dein ſynodi ſcribæ mandatum, ut acta ſynodalia de Epiſcopatu fideliter & alta voce prælegeret, auſpicaturus ab anno 1575. Inter legendum autographon ſibi tradi ſæpius juſſit Deputatus regius & oculis ipſe ſuis luſtrabat extracta cum originali convenire: Ac ſcribam pergentem in prælectione Canonum contra Epiſcopatum, interpellavit; Quin (inquit) ad alia gravaminum capita tranſis, nam in hoc abunde mihi ſatisfactum, habeo hoc pro confeſſo. Hæc formalia fuerunt ejus verba, quibus innue-

innuebat ſe ſatis jam conſpicere, Epiſcopatum adverſari conſtitutionibus eccleſiaſticis: Interim ut alii omnes perſpecta haberent fundamenta, quibus actiones ſynodi Glaſguenſis, tam miſere traductæ à calumniatoribus, inniterentur, prælectio deducebatur ad ſynodum Taodunenſem, quæ 1580 habebatur.

Seſſionibus ſubſequentibus prælectæ fuere rationes contra quinque articulos Perthenſes, ſex Pſeudo-ſynodos, Librum liturgiæ, Canonum, Ordinationis, Celſam Commiſſionem: quæ cum eædem ſint cum illis quæ in ſynodo Glaſguenſi propoſitæ fuerunt, ex illius ſynodi hiſtoria petantur: Et ante dimiſſam ſeſſionem electi fuerunt ex omni ordine quidam, qui decretum Synodicum de præcedentibus in formam redigerent.

Seſſione octava, Literæ ab Epiſcopo Orcadum ad præſentem ſynodum miſſæ prælegebantur: quibus pœnitentiam profitebatur, quod Epiſcopatus ordinem amplexus fuiſſet, quem verbo Dei penitus diſtitutum eſſe, ac ingentium malorum in multis Chriſtiani orbis regnis, præſertim vero in Scotia, primariam fuiſſe cauſam confitebatur.

Ideoque ſe abjuraſſe, ac præſentibus hiſce abjurare & rejicere (dicebat) omnem illam Epiſcopalem poteſtatem & juriſdictionem; ſicuti & ea à majoribus abjurata fuerat anno 1580, quando Nationalis confeſſio primum obſignata fuit. Pollicebatur itidem, ac per tremendum Dei nomen jurabat, ſe poſthac Epiſcopali iſta poteſtate directe ſeu indirecte nunquam uſurum, neque illam vel privatis ſermonibus aſſerturum, quin contra nuperæ ſynodi Glaſguenſis decreta defenſurum ac reformationis opus, quantum penes ſe foret promoturum. In cujus fidem præſentes literas manu propria obſignavit, teſtibus quatuor paſtoribus, quorum duo cum ſynodo interC c eſſent,

eſſent, genuinum & verum eſſe auctoris ſcriptum teſtati ſunt.

Tum prælegitur decretum quod à ſynodi deputatis formatum fuit ac de verbo in verbum ſic ſe habet.

Quandoquidem ſereniſſ. Rex benigne declaraverit, ſibi placere, ut omnes controverſiæ de religione & rebus eccleſiaſticis per ſynodos determinentur; ac publico edicto præſentem hanc ſynodum Nationalem indixerit ad motus præſentes componendos, & perfectam pacem ſtabiliendam contra diviſiones & tumultus ac animorum diſtractiones, regi non minus ingratis, quam probis ſubditis graves: Sereniſſ. Regis deputatus Iohannes Traquariæ comes, ſufficientibus literis fiduciariis inſtructus, præſenti huic ſynodo, in omnibus ſuis membris rite formatæ ac conſtitutæ notum fecit, ſincerum ſereniſſ. regis erga reformatam religionem zelum, ac vere regiam ſollicitudinẽ ac paternum amorem erga hanc eccleſiam, cui nativitatem ſuam & baptiſmum debet, & inſignem animi dolorem ob varias tum in regno tum in eccleſia diviſiones, ardentiſſimum deniq; deſiderium omnia noſtra vulnera, leni & paterna quantum fieri poterit manu, perfecte ſanandi. Ac licet pro recepta hujus eccleſiæ conſuetudine, omnia hæc gravamina in prioribus ſynodis hactenus ita excuſſa ſint, ut omnibus abunde ſatisfactum eſſe poſſit: Cum tamen illuſtriſſ. deputato viſum eſſet, eorundem mentionem denuo facere ac inquirere ſedulo in veras omniũ quæ perpeſſi fuimus malorum cauſas, declaratũ eidem fuit per ſynodum hanc, ex multis has fuiſſe primarias. Primam, Quod præſules ſine ulla authoritate eccleſiaſtica, huic eccleſiæ obtruſiſſent *Librum liturgicum*, qui præter formam mere pontificiam, contineret multiplices ceremoni-

monias & errores pontificios, ac ſemina multiplicis idololatriæ & craſſiorum ſuperſtitionum; ſimul *cum libro Canonum*, nulla etiam authoritate eccleſiaſtica munito, quo ſubvertitur penitus diſciplina hujus eccleſiæ recepta & regimen per ſynodos, ac in Epiſcopos tyrannica poteſtas in eccleſiam confertur: Cum *Libro ordinationis*, ſine ulla omnino authoritate ſeu civili ſeu eccleſiaſtica, quo munia & officia quædam eccleſiaſtica ſine ullo verbi Dei fundamento eriguntur in eccleſia; directe adverſantia diſciplinæ & decretis hujus eccleſiæ; cum *celſa commiſſione*, quam curiam ſeu tribunal ſine ulla authoritate eccleſiaſtica erexerunt, quo juriſdictionem & ordinaria judicia eccleſiaſtica ſubverterunt, ac mere eccleſiaſticis utriuſque gladii poteſtatem, & mere politicis poteſtatem clavium ac cenſuræ eccleſiaſticæ commiſerunt. Secundam Cauſam fuiſſe articulos quinq; Perthenſes, vid. celebrationem feſtorum dierum; genuflexionem in S. Cœna; confirmationem; adminiſtrationem ſacramentorum in locis privatis, qui articuli introducti fuerunt per Pſeudo-Synodum, & adverſantur confeſſioni fidei anno 1580. & ſæpius poſtea obſignatæ, ordini etiam & decretis hujus eccleſiæ. Tertiam cauſam fuiſſe, Mutationem regiminis eccleſiaſtici à ſynodis ad paucos eccleſiaſticos, qui nomine Epiſcoporum præeminentiam ſingularem & poteſtatem in fratres ſibi arrogarunt, contra prædictam fidei confeſſionem, ac ordinem hujus eccleſiæ libris politiæ deſcriptum; & conſtitutiones ab ipſo reformationis exordio repetitas. Quartam cauſam fuiſſe, Officia & poteſtatem politicam eccleſiaſticorum, qua epiſcopis conceſſum, fuit ſententiam ferre in ſeſſione ſeu collegio juſtitiæ, camera rationum, parlamento; aliis vero eirenarchas agere, quæ non ſolum adverſantur ſpirituali eccleſiaſticorum

vocationi ſecundum hujus eccleſiæ decreta, verum etiam alio non tendunt, quam ut ſuperbe efferantur ſupra fratres & collegas, ac miniſterium impediant. Quintam vero, quod habitæ & ſancitæ ſint Pſeudo-Synodi quædam, videlicet Limnuchenſis anno 1606. & ibidem altera 1608. Glaſguenſis 1610. Abredonenſis 1616. Andreapolitana 1617. Perthana 1618. quæ illegitimæ ſunt, quia non ſolum indictæ ac formatæ fuerunt contra decreta & ordinem qui in hac eccleſia conſtanter obſervatus fuit a reformationis initio; verum etiam novationes contra ordinem & religionem hic ſancitam introducunt; omni itaque authoritatis ſpecie deſtituendæ ſunt. Sextam cauſam eſſe defectus Nationalium & liberarum ſynodorum, quæ legitime formatæ ex paſtoribus, doctoribus & ſenioribus annuatim haberentur aut ſæpius pro re nata, ſicuti ſtatuto parlamentario ſancitum anno 1592 fuit. Dein ſynodus univerſa concordibus omnium ſuffragiis nullo contradicente aut hæſitante declaravit, hæc & id genus alia, orta à neglectu & violatione Nationalis fœderis hujus eccleſiæ & regni cum Deo anno 1580. initi; veras & primarias fuiſſe omnium noſtrorum malorum & diſtractionum cauſas. Ideoque decernit ſecundum conſtitutiones hujus eccleſiæ, & fundamenta reſpective ſupra deſignata, Ut liber liturgicus, Canonum, ordinationis, celſa commiſſio adhuc rejiciantur; interdicit praxin articulorum Perthenſium; ſtatuit ut regimen eccleſiæ per epiſcopos, ac civilia munia & authoritas politica eccleſiaſticorum in hac eccleſia illegitima cenſeantur; ut ſex illæ ſynodi poſthac nullius prorſus ſint authoritatis. Atq; ut religio ſarta tecta & incorrupta maneat, ac hujuſmodi calamitatibus poſthac opportune obviam eatur, decernit, ut ſynodi Nationales rite formatæ, tanquam pro-

prii

prii & competentes rerum omnium eccleſiaſticarum judices quotannis poſthac ſemel habeantur, aut ſæpius, prout occaſio & neceſſitas poſtulaverint: ita tamen ut ſynodorum pro re nata neceſſitas Regi ſereniſſ. per libellos ſupplices prius remonſtretur: Decernit etiam, ut conſiſtoria (ſeu ſeſſiones, presbyteria (ſeu Claſſes) ac Synodi provinciales rite formentur ac celebrentur, ſecundum ordinem & diſciplinam hujus eccleſiæ.

Antequam decretum hoc in ſuffragia iret, viſum fuit præſidi, veteranos quoſdam ex omnibus regni partibus paſtores, rogare, an decretum hoc ſatis placeret? Quod omnes uno ore affirmarunt; ac longius provecti fuſius diſſerebant de diverſo eccleſiæ Scoticæ ſtatu, quem oculis ſuis conſpexerunt; quanta fuiſſet ejus puritas ante aſtute introductum Epiſcopatum, quam efficaciter tunc operaretur Spiritus Sanctus per miniſterium ſervorum ſuorum nullo ſæculi typho turgentium, in animis fidelis populi: poſtea quanta tepiditas omnium invaſiſſet animos, ita ut admirati ſæpius ſint, Deum de cœlis inſigniori aliqua pœna, apoſtaſiam illam non vindicaſſe: Nunc vero ſopitos illos zeli ignes reſuſcitatos, ac eccleſiam purgatam licet oculis ſuis aſpicerent, vix tamen iis fidere, quippe quod eſſent veluti qui ſomniant; Gratias immenſas Deo optimo maximo deberi, qui dignatus eſſet per manum ſereniſſ. ſui regis Caroli, genuinum nitorem caſtæ ſuæ ſponſæ reſtituere; & ſerenam hanc cœli faciem, (nam complures dies elapſos vix conſpectus fuerat Sol, cujus coruſcantes radii templum in quo convenit ſynodus tum repleverant) ſpectatorum oculos non tantum afficere, quantum fœlicis hujus diei memoria piorum animos vero & ſolido gaudio perfunderet. Singuli ſua proferebant, ſed omnes læta & fauſta ſereniſſim. regi precati ſunt:

Tandem præſes rogat ut ſi cujus animo ineſſet ſcrupulus, libere eundem nunc proponeret ante colligenda ſuffragia, & recitata deputatorum nomina: Sed cum nullus prodiret, Deputatus regius primus ſententiam rogatus eſt; qui urſit ut poſtremi ſuffragii gratiam ſynodus illi concedere vellet, quippe quod in mandatis habere ſe diceret, ut ſi plurimorum ſuffragiis hæc propoſita gravamina veras ac juſtas fuiſſe præcedentium malorum cauſas concluderetur, & ipſe calculum ſuum adderet, ac eccleſiam ab iis liberaret; licet (inquit) ſatis hactenus colligere poſſim ex hilariori omnium vultu, ac reverendorum illorum paſtorum orationibus, quo tandem res hæc ceſſura ſit. Cum ad ſuffragia deventum fuiſſet, ſingulorumque delegatorum nomina ordine conſueto ex Catalogo per ſcribam recitarentur, Reſponſum ab omnibus, *placet*, *aſſentior decreto*: Deputatus vero regius in hunc fere modum loquutus eſt: Sæpius (inquit) venerandæ huic ſynodo dixi, & nunc repeto, ſereniſſim. regem velle, ac mihi in mandatis dediſſe, ut, ſi Epiſcopatus ſynodi hujus judicio declararetur illicitus, ac conſtitutionibus hujus eccleſiæ adverſus, (prout ſupplicibus veſtris libellis ſæpius ſignificaſtis) ſynodi judicio conſentirem, idque ratum facerem ac ſancirem: Quare decretum hoc ex animo probo. Interim certiſſime mihi perſuadeo, nullum iniquiori animo laturum quod rex noſter ſereniſſim. ſe non tam facilem quam multorum vota poſcebant, in hoc negotio exhibuerit, ſi in memoriam revocaverit ubi & quo modo ſereniſſim. Rex educatus ſit: Neque hujus regni ſolum regem eſſe, verumetiam aliorum duorum, qui huic rejecta probant: Quare ſi cujus animum ſcrupulus aut metus quilibet olim male habuerit,

rit, ſpero nunc exemptum fore: Et veſtri muneris eſt qui paſtorum officio fungimini, omnem operam dare ut populus ſereniſſim. Regis benignitatem incomparabilem & juſtitiam ſentiat. Quod voce protuli, ſcripto ſanciam. Regis porro nomine ſic ſubſcripſit. 17. Auguſti.

Ego Iohannes Comes Traquariæ, *Deputatus regius ad præſentem hanc Synodum, regis nomine declaro, ſereniſſim. regem pro incomparabili ſua benignitate, ut preſentes diſtractiones componeret, & ſubditorum votis ſatisfaceret, decretum hoc approbare, licet contra ſuadeat regis indoles ſeu opinio, ac multæ alię graves rationes: Et ego regis ſereniſſ. Deputatus ſupraſcripto decreto aſſentior, idemque chirographo meo obſigno.*

Iohannes Comes Traquariæ Commiſſionarius.

Sequenti ſeſſione, quæ fuit 19. Auguſti, ſynodo exhibitæ fuerunt literæ Alexandri Lindeſii, quondam Epiſcopi Caledonii, quibus palinodiam canebat, ac Epiſcopatui ſimpliciter renunciabat: quem nullo verbi divini fundamento niti, ac fœderi nationali & canonibus eccleſiaſticis adverſari profitebatur.

A nona ad decimam ſextam ſeſſionem agitatæ fuerunt privatæ quædam controverſiæ, & excuſſa eccleſiarum gravamina; auditi etiam qui ſententiis Deputatorum ſynodi Glaſguenſis gravatos ſe affirmarunt, cum quibus varie actum fuit, deputato regio ſemper præſente.

Seſſione decima ſexta, propoſitum fuit ſynodo, univerſam eccleſiam Scoticam & complura primaria illius membra, ſingulari injuria ac non ferendis contumeliis affici per librum

quendam, qui licet regis ſereniſſ. nomine extruderetur, ejus tamen nomen impudenter mentiretur, cui titulus, *Fuſior declaratio*; in quo introducit author, regem ſereniſſ. præcedentium actionum ſeriem deducentem, quaſi ſingulis actionibus interfuiſſet; calumniis vero, detoſionibus, falſitatibus, ita refertum fuiſſe dicebant, ut nihil ſupra. Deputatus regius inſtabat, ut vel huic negotio penitus ſuperſederetur, vel ſi illud impetrare non poſſet, ut parce admodum uti probos ſubditos decet, de eo loquerentur, quod regis titulum præ ſe ferret. Reſpondit Comes Rothuſius ſenioris nomine ad ſynodum deputatus, Regis ſereniſſ. honorem omnibus cordi eſſe, neque ſevera cenſura infamis hujus ſuppoſititii libri ullatenus lædi poſſe, præſertim cum liquido conſtet, regem ejus authorem non eſſe, vindicandam itaque eſſe eccleſiæ famam; Neque poſſe titulum regis, libro præfixum, authorem quiſquis ſit, à debita cenſura magis liberare, aut ſubditorum actiones & querelas juſtas contra eundem impedire, quam titulus & inſcriptio regia à falſario adulterinæ monetæ impreſſa, adulteratorem pœnis lege ſancitis eximere. Addebat alius, à nullo tam graviter læſum eſſe regem, quam ab illius libri authore, qui regem ea confidenter aſſerentem introduceret, quorum contraria hiſce meis (inquiebat) auribus ſereniſſ. regem affirmantem audivi. Cum res ad ſuffragia relata fuiſſet, placuit, ut ſelecti quidam delegarentur, qui librum excuterent, & de omnibus ad ſynodum referrent: Atque hi poſtea diligentiæ ſuæ rationem publicam dederunt, ac in ſeriem congeſſerunt quæ animadverſione digna judicarunt, quibus prælictis, Præſes quorundam ſententias rogabat, quid factu conſultiſſimum eſſet; Politici quidam eccleſiaſtica cenſura non contenti ad aſperiores pœnas recurrendum ſuadebant, inter alios Baro

de

de Kircoubrie deputatus ſenior a Claſſe ejuſdem nominis, dicebat: Dolendum eſſe, ſi in viros aliàs bonos, ad aurium uſque amputationem & naſi mutilationem, ob libellos quoſdam ſcriptos alicubi ſevere animadvertitur, & ſi in nebulones ſereniſſ. regis nomen mentiri auſos, libri hujus authores, vel amputatione capitis non animadverteretur: Sed monebat Præſes pœnas omnes ejus generis excedere ambitum ſynodorum Nationalium; Et communibus omnium ſuffragiis decretum fuit, ſynodi nomine ſupplicibus literis regis deputatum compellandum eſſe, quibus rogabant, ut perpenſo ſpecimine craſſiſſimarum abſurditatum quibus author libri iſtius inſigni injuria Deum, Regem, Eccleſiam Scoticam, & per ejus latus alias reformatas, ac totum hoc regnum ac primaria ejus membra affecerit; regi omnia repræſentaret, ac Synodi nomine ſereniſſ. regem obſecraret, ut libri revocatione, & publica interdictione notum omnibus faceret, quam ſibi diſpliceret; dein ut authores, ac fautores, ſaltem qui in hoc regno Scotiæ nati fuerunt, ad hoc regnum amandare vellet, & judicio ſeſe ſiſtere juberet, præſertim vero *Gualterum Balcanquellum*, decanatu Dunelmenſi nuper amplificatum, qui ſe ejus authorem jactat; ut exemplari pœna deterreantur alii ab improbis omnibus id genus conatibus, quibus ſeditionem inter regem & ſubditos ſerere ſatagunt. Supplicem hunc libellum tradit ſynodus Deputato regio, qui in ſenatu regio eundem poſtea prælegit: ac promiſſum tum fuit eundem regi communicandum fore.

Seſſione 20. Cum propoſuiſſet præſes, Omnium vota eo tendere, ut deputatus regius vellet Confeſſioni ſubſcribere, ac non ſolum exemplo ſuo aliis præire, verum etiam pro authoritate ejuſdem obſignationem imperare; Reſpondit ille, Scriptum il-

 lud

lud cujus obſignationem urgeret ſynodus duo continere: Confeſſionem ſcilic. fidei, de qua (inquit) nulla nunc poterit eſſe quæſtio, quippe quod abunde ſibi perſuaſum eſſet, tum verba formalia ejuſdem, tum explicationem per ſynodum cui ſubſcripſerat 17. Auguſti, verum eſſe: Scrupulum tamen nonnullorum animis hærere de altera ſcripti parte, mutuo ſcilic. fœdere, qui ſuo judicio commoda explicatione facile poſſet removeri, ita ut regi ſatisfieret. Præſes dicebat, ſynodum ignorare quid amplius dici poſſet, quam quod hactenus dictum eſſet: ſed re ad ſequentem ſeſſionem dilata, poſt longam diſceptationem, decretum fuit, offerendum eſſe libellum ſupplicem ſenatui regio, quo peteretur ut pro more majorum, ſenatus fœdus illud ſanciret, ejuſque obſignationem modo politico omnibus omnino regni ſubditis imperaret: qui de verbo in verbum tranſlatus ſic ſe habet.

Nos in ſynodum hanc Nationalem congregati, ſubmiſſa & debita animorum gratitudine complures recentes favores à rege ſereniſſ. in nos collatos agnoſcentes, ac perpendentes, nihil jam reliqui eſſe, quo regis erga nos benignitas compleri poſſit, quam ut omnia hujus eccleſiæ & regni membra, una & eadem confeſſione ac fœdere cum Deo, rege, ac mutuo inter ſe conjungantur: & in memoriam revocantes primariam remoram & impedimentum tam boni operis, & tot anxiis omnium votis expetiti, fuiſſe ſiniſtriores relationes Regi ſereniſſ. factas de noſtris intentionibus, quaſi ſtatutum nobis fuiſſet civilem & debitam ſupremis poteſtatibus obedientiā excutere, ac regis authoritatem & amplitudinem diminuere: Nunc vero cum ex animis anxie deſideremus, illud cum aliis omnibus impedimentis removere, quæ obſtaculo eſſe poſſint tam perfectæ unioni; ac fidelitatem noſtram vindicare & aſſerere: Noſtro

ſtro & reliquorum omnium ſubditorum quos nunc repræſentamus nomine, Illuſtriſſ. deputato regio, ac Dominis honoratiſſimi ſecretioris concilii regii, ſubmiſſe, prout decet, remonſtramus, ac coram Deo & univerſo orbe ingenue declaramus, nunquam nos cogitationem quamlibet in animis noſtris foviſſe aut fovere, de ſubducendis nobis ab himili ſubjectione & obedientia regi ejuſque regimini debita; cujus authoritatem à centum & ſeptem regibus, majoribus ſuis traditam, majorum noſtrorum exemplo lubentes agnoſcimus: Neque mentem noſtram unquam ſubiiſſe, ut quidlibet aggrederemur, quod ad diminutionem amplitudinis aut authoritatis regiæ tenderet: quin contra agnoſcentes quietem ac fœlicitatem noſtram dependere à ſalute noſtri regis, (tanquam Dei deputati nobis ſuperimpoſiti ad religionis tuitionem, & juſtitiæ adminiſtrationem) ac amplitudinis & regiæ authoritatis defenſione; ſolenniter juravimus ac juramus, nos non ſolum in cauſa religionis, libertatis ac legum hujus regni tuendarum, regi adfuturos, in eumque finem, vitam, fortunas intrepide expoſituros; verumetiam in omni cauſa quæ ad regis ſereniſſ. honorem pertinet, (ſecundum hujus regni leges & fidelium ſubditorum officium) cum amicis & clientibus adfuturos, ſeu armato ſeu pacato agmine, prout Rex, ſenatus, aut regis deputatus imperaverit.

Atque cum nihil nobis antiquius ſit, quam ut ab id genus obloquiis innocentiam noſtram aſſeramus; majorum noſtrorum exemplo, anno 1589. celſitudinem tuam, regis noſtri ſereniſſim. deputatum, & Dominos honoratiſſimi ſecretioris regii ſenatus ſupplices rogamus, ut edicto ſenatus confeſſionem hanc & fœdus, (quibus in teſſeram ac pignus fidei erga Deum, & fidelitatis erga Regem hacte-

hactenus ſubſcripſimus) ab omnibus ſereniſſ. regis hujus regni ſubditis, cujuſcunque demum dignitatis & ordinis fuerunt, obſignari imperetis, & cæt.

Synodi in hoc libello ſupplici poſtulatum conceſſit ſenatus,ac regiſtris ſenatus inſeri juſſit; quod non ſolum ſtatuto formato 30. Auguſt. demonſtravit, verumetiam Deputatus regius ſeſſione ſynodi penultima publice coram ſynodo dixit; Libellum illum ſupplicem ſenatoribus regiis uſque adeo placuiſſe, ut non potuerint non eidem ſimpliciter aſſentiri; Ad ſe vero quod attinet quatenus deputatum regium, lubenter fœderi ſubſcripturum, ſed cum hac addita declaratione.

Quandoquidem ſynodus hæc, pro laudata conſuetudine antehac obſervata, deputatum regium, ac Dominos ſenatores honoratiſſimi ſecretioris ſenatus regii ſubmiſſe obſecraverit, ut fœderi cum explanatione hujus ſynodi ſubſcriberetur, ac omnibus hujus regni ſubditis ſenatuſconſulto idem imperaretur. Atque cum, in ſupplicatione hac ſua ad ſenatum, clauſulam addiderint, qua fœdus hoc declaratur idem eſſe quoad ſubſtantiam cum eo quod a ſeren. regis Patre beatæ memoriæ annis 1580. 1581. 1590. obſignatum fuit, & ſæpius poſtea renovatum, ut ſeſe ab omni ſuſpicione infidelitatis erga regem, aut diminutionis amplitudinis & authoritatis ſereniſſ. noſtri regis vindicarent. Quare ego quatenus regius deputatus, quo ſubditis abunde ſatisfiat, & plena pax eccleſiæ & regni ſtabiliatur, approbo & aſſentior (ſecundum prædictam meam declarationem decreto ſynodi ſubjunctam, quod 17. Auguſti conditum fuit) ut ab omnibus hujus regni ſubditis

ditis fœderi ſubſcribatur, in cujus teſtimonium præſentes has mea manu ſubſcripſi.

Iohannes Comes Traquarius Commiſſionarius.

At quatenus inter alios regni ſubditos eſſet, profitebatur ſe ſimpliciter cum aliis omnibus ex ſenatus præſcripto ſine ulla addita declaratione ſubſcripturum, æquum etiam eſſe ut omnes ſubditi idem faciant, quandoquidem rationes quæ regem ad limitatam hanc ſubſcriptionem urgeant, ſubditorum nullum tangere poſſint, ne ſe quidem quatenus Comitem Traquarium eximendum eſſe: Addebat ſibi curæ futurum ut in parlamento præcedentia omnia ſancirentur; Quæ vox ſummo omnium cum gaudio, ac ſenſu favoris divini & benignitatis regiæ accepta fuit.

Cæterum præſes ſynodum monuit, conſultum fore, ut decreto ſynodico idem ſanciretur: quod ſic ſe habuit.

Synodus exploratum habens ſingularem fœlicitatem, quæ oritur à plena & perfecta unione regni & eccleſiæ hujus, in unum & idem fœdus cum Deo, rege ſereniſſ. ac mutuum inter ſe coeuntis; cumque ſolenni juramento ſinceritatem & fidelitatem intentionum noſtrarum in univerſa præcedentium actionum ſerie declaraverimus, ac ſupplicibus literis Illuſtriſſ. deputatum regium & D. honoratiſſimi ſenatus regii obſecrati fuerimus, ut ſenatuſconſulto imperarent omnibus hujus regni ſubditis obſignationem confeſſionis fidei & fœderis, cui à nobis antehac ſubſcriptum fuit, ut arrha & pignus eſſet fidei in Deum, & fidelitatis noſtræ erga regem: Atque cum noſtris poſtulatis ab Illuſtriſſ. deputato regio, & D. Honoratiſſimi ſenatus regii ſatisfactum ſit, omnibuſque omnino ſubditis ejuſdem fœderis obſignationem imperaverint authoritate politica, ut

unio

uno plenior ac perfectior ſit, decreto & conſtitutione eccleſiaſtica prædictum fœdus in omnibus ſuis clauſulis, & ex omni parte ſynodus hæc probat, ac denuo decernit ſub pœna eccleſiaſticæ cenſuræ, ut Academiarum præfecti, profeſſores, ſcholarum præceptores, ſtudioſi ad ſcholaſticos gradus promovendi, omnes de papiſmo aut quovis alio errore ſuſpecti, ac denique omnia & ſingula hujus eccleſiæ membra, eidem fœderi ſubſcribant, hiſce verbis ſubſcriptioni præfixis. (Articulus hujus fœderis qui in prima ſubſcriptione relatus fuit ad determinationem Nationalis ſynodi, cum nunc definitus ſit, ac quinque articuli Perthenſes, regimen eccleſiæ per Epiſcopos, civilia officia & politica eccleſiaſticorum poteſtas, declarata ſint in hac eccleſia eſſe illicita ob rationes decretis ac canonibus Nationalium ſynodorum comprehenſas; Nos ſubſcribimus ſecundum determinationem præcedentem.) Ac ſtatuit ut fœdus cum hac declaratione publicis omnibus hujus eccleſiæ regiſtris, Nationalibus, provincialibus, & claſſicalibus, ad perpetuam memoriam inſeratur: Submiſſe etiam rogat Illuſtriſſim. deputatum regium, & honoratiſſimos ac ampliſſimos regni ordines in parlamento convocatos, ut ſua authoritate, eadem ſanciant, ac ſub pœnis civilibus imperent: Quod non dubitamus quin ceſſurum ſit in Dei gloriam, religionis purioris præſervationem, ſereniſſ. regis honorem, ac perfectam regni & eccleſiæ pacem.

Propoſuit tum Deputatus regius quæſtionem, An fœderis hujus cum prædicta explanatione obſignatio, extra limites regni Scotiæ obligaret? Ac negativam ſpecioſe aſtruebat, ſed cum ſynodus perſpiceret, quo conatus ille tenderet, reſpondit: Unicuique cum ſua conſcientia conſulendum eſſe, licet omni metu à cenſuris eccleſiaſticis liber eſſet.

Decla-

Declarationem tamen ille protulit, qua ſignificabat, prædictorum praxin prohibitam, intelligendam tantum eſſe intra limites regni; neque obſignatores cenſuris ullis eccleſiaſticis notandos eſſe, ſi extra regni limites, hic damnatis uterentur; Ac licet declaratio hæc ſynodo non arrideret, multorumque judicio putaretur non ſatis convenire cum iis quæ tam liberaliter promittebat antehac deputatus regius, omnibuſque etiam importuna videretur, ſub nomine declarationis proteſtationem reipſa continens; ſynodi tamen regiſtris ex mandato deputati inſeruerunt; ſed recitative ſolum, hoc eſt, non quaſi approbarent, ſed quod talia publice protuliſſet Deputatus.

Seſſione ultima decretum fuit ut ſequens ſynodus Nationalis, Abredoniæ ad 28. Iulii menſis anni ſubſequentis 1640. conveniret, & claſſi Edenburgenæ commiſſum fuit, ut interim diſpiceret ne quid damni pateretur eccleſia, ac pro ratione gravaminum neceſſitatem ſynodi regi ſereniſſ. remonſtraret. Statutum tum ut ad regem literæ ſynodi nomine, perſcriberentur, quibus gratiæ agerentur ob beneficia hactenus obtenta, & ſynodi ſanctio per parlamentũ poſtularetur: neq; ullus fuit, cujus animo non fuerit abunde perſuaſum, omnia hæc in parlamento Deputatum regium rata habiturum, quippe quod in articulis pacificationis hoc diſerte pactum fuiſſet, ut quod definiret ſynodus, illud ſanciret parlamentum; ac publice ſæpius in ſynodo deputatus regius in ſe recepiſſet publicam ſynodi ſanctionem, cujus omnes actiones ſuffragio ſuo comprobaſſet.

Peractis omnibus ob quæ convenerat Synodus, luculentam orationem habuit præſes, cujus ſumma capita fuerunt. Dominum mira in oculis ſuorum operatum eſſe, ac juſtitiam & miſericordiam ſuam

ſuam manifeſte nunc exeruiſſe, Iuſtitiam. 1. In paſtores eccleſiæ, in quos Deus merito animadvertit, ob ſupinam illam rerum divinarum negligentiam. 2. In nobiles & alios regni ordines; qui conniventia ſua paſſi eſſent, præſules conſcendere ad ſuperbam illam dominationem, qua procerum cervicibus arroganter inſultarunt, 3. In præſules ipſos, qui ſtatione ſua non contenti, Domini non miniſtri hæreditatis Chriſti haberi ſe volebant, quorum faciem infamia replevit nunc Dominus. In medio tamen iræ memorem fuiſſe Deum, pro benignitate ſua, miſericordiarum, idque 1. in nos paſtores, quibus oculos opportune aperuit, ne in foveam præcipitaremur, unde vix ſperari potuiſſet exitus: noſtraſque animas morti & erroris efficaciæ non tradidit. 2. In regem ſereniſſ. quem à fuſione innocentis noſtri ſanguinis retinuit, atque id uſque adeo mirifice, ut in noſtra defenſione humanam potentiam conſpici vix voluerit: imo nobis ad incitas ſæpius redactis, & ignaris (inquit) quo nos converteremus, Deus exerto quaſi digito exitum ſemper monſtravit, & benigna ſua providentia ad noſtrum commodum & ſolatium ſingula convertit. 3. In Rempub. hanc; à miraculo certe non longe abeſſe merito dicas, integram gentem præſertim Scoticam, (cujus ingenium apud exteros præfervidum audit) tamdiu commotam & ſedibus ſuis excitam, ſine cæde & ſanguine propemodum ſedatam, idque mediis legitimis. Præſules in cœlo nidificantes ac ſe triumphantem eccleſiam venditantes, in contemptum hunc quo hodie merito obruuntur à Deo dejectos, cernere; ac ſereniſſ. Carolum, regem nobis eſſe, (cui vitam & fœlicitatem perennet Dominus) licet nulli ſint Epiſcopi, contra ipſorum κυρίαν δόξαν: Nullus Epiſcopus, nullus Rex.

Dein ad Paſtores oratione converſa, ſerio eos monuit

monuit officii ſui, ut ita ſe gererent quaſi rationem redditurì Domino de animabus curæ ipſorum creditis, ut depoſito typho & faſtu ſæculari fraterne inter ſe degerent, obliti præcedentium infœlicium controverſiarum, quas æterno ſilentio ſepeliendas dicebat, & quibus ſoli Satan & Antichriſtus lucrati fuerunt; Hancque unicam ſuam gloriam judicarent, multas animas Diaboli laqueis ereptas Chriſto lucrari: Monebat ſerio, ut nihil intentatum relinquerent quo populus bonam opinionem de Rege foveret, ac promptam & paratam obedientiam legitimis ėjus mandatis præſtaret, ſupra omnia vero, ut ex corde eum diligeret, præſertim cum vix inveniatur princeps iis donis inſtructus, quæ ſereniſſ. regi conceſſit Dominus: ita quidem, ut licet abeſſet dignitas illa regia, qua ſupra omnes ut Dei in terris deputatus fulget, Chorus tamen ille virtutum vere Heroicarum, in oculis ſubditorum eum merito amabilem redderet. Abalienationem quandam hactenus fuiſſe, quæ, cum Dei benignitate mutata ſit in ſuavem reconciliationem, amoris redintegrationem debere ſecum ferre: præſertim ſi ipſa abalienatio penitus inſpiciatur, ſatis cuilibet appariturum, per regem ſolum, ſecundum Deum ſteriſſe, quo minus in majorem flammam incendium illud non proruperit. Nam 1. (inquit) perpendi velim ab omnibus, quænam fuerit ſereniſſ. regis noſtri educatio; & an cuipiam mirum videri debeat, ſi, quibus ab incunabulis prope aſſuetus fuerit, uſque adeo mordicus adhæſerit? 2. Regibus neceſſario utendum eſſe conſiliariis, cum ipſi ſuis oculis ſingula conſpicere non poſſint; Ac quorum quæſo conſiliariorum opera confidentius uti potuiſſet Rex noſter ſereniſſ. quam eorum qui illi omnia debebant, & ob id ſolum ad dignitatum faſtigia evecti erant, ut ſalutaribus conſiliis ei ad-

eſſent, ac de ſubditorum ſtatu vere certiorem facerent? Sed dolendum, quod in Epiſcopos inciderit, qui gratia qua apud eum pollebant fœde abuſi ſunt; ac ſibi tantum proſpicientes, & turpibus affectibus abrepti, conſiliis ſuis ſpecie lætis, ſed tractatu duris, & eventu, niſi Deus ſtulta reddidiſſet, triſtioribus, malorum omnium authores fuerunt quæ hactenus (inquit) perpeſſi ſumus, & per eos non ſtetit quominus de nobis conclamatum, & ſtatus hic in extremam uſque ruinam (quam Deus pro ſingulari ſua providentia tam benigne antevertit) præcipitatus ſit. 3. Quantum ex ſerie tota actionum ſereniſſim. regis contra nos colligere poſſum; videre mihi videor regem hoſtile quid ſerio in nos non meditatum fuiſſe, ſed omnia eo ſpectaſſe ut probaret quo poſtulata noſtra, ab adverſariis noſtris miſere & fœde diſtorta; revera tenderent, & animorum noſtrorum candida & aperta fidelitate penitus perſpecta, placabilem ſe tandem, frendentibus turbidis iſtis conſiliariis, oſtendiſſe, ac halcyoniam hanc, quam diuturnam voveo, conceſſiſſe. Sed altius in ſecreta hæc conſilia penetrare conſultum non judicarem: Regum corda in manu Domini ſunt, qui ſerio precandus eſt, ut ad ea conſilia poſthac flectat, quibus glorioſo huic operi extrema manus addi poſſit, & ut regis noſtri ſereniſſ. ſolio ſemper adſit.

Denique quia in ſynodo mentionem fecerat Deputatus regius eorum nobilium, quorum opera uſus fuiſſet ſereniſſ. Rex à motuum horum initiis, ac de eorum ſtudiis candide judicari rogaverat, de iis etiam quædam loquutus eſt Præſes, ac in tres Claſſes diſtinguebat politicos omnes qui fœderi adverſati fuerunt, ac præſulibus adhæſerunt, Alii (inquit) erant pontificiis erroribus addicti, qui ſub

ſub umbra præſulum tuto latere ſe poſſe, ſibi haud immerito perſuaſerant: alii vero errore mentis ſeducti fuerunt, licet papiſmum averſarentur; & hos commiſeratione complectendos ſibi videri: Tertius vero ordo eorum, quibus viſum fuit politicis conſiliis incedere, atque hi (inquit) ſatis oſtenderunt, ſe Regem ſereniſſim. & eccleſiam ac regnum pariter dilexiſſe, ac ſemet quaſi bipertitos fuiſſe, nam licet ipſi adeſſent regi, nobis tamen liberos ſuos reliquerunt, ut hoc pignore & obſide certos nos redderent, pacem ſibi ex animo propoſitam fuiſſe; hiſce, prout decet, proſpera omnia vovemus, eorumque actiones candide interpretabimur. Præſertim vero illuſtriſſim. Marchioni Hammiltonio, (quandoquidem ſtudioſiſſimum pacis fuiſſe retuliſſet Deputatus regius) ſynodi nomine gratias meritas referebat, ac ſenatoribus regiis,qui Deputato in ſingulis ſeſſionibus adfuerunt; ac tandem oratione ad illuſtriſſim. Deputatum converſa, licet actionum harum laudem modeſte a ſe amoliretur, ac Echum tantum ſe agere profiteretur, qui ſereniſſim. regis verba repeteret. Inter alios (inquit) iniquum eſſet ſi tua Celſitudo præteriretur, cui plurimum ſe debere fatetur ſynodus, quod, antehac in adverſam partem proniorem conſpexiſſet, nunc tamen piorum votis & deſideriis propemodum ſatisfecerit: Agnoſcenda tibi (inquit) eſt Dei gratia, qui te ut ſingulare ac inſigne inſtrumentum elegit perficiendi hujus operis, cui jam nihil deeſt quam ut ſanctione Parlamentaria extremum colophonem addas: Ac animo grato ſingulares illas ingenii dotes à Deo conceſſas, in Chriſti honorem ac eccleſiæ commodum impendas, qui ſe honorantes honorat, neque ullos ſe colentes immuneratos unquam dimiſit.

Poſt preces ad Deum, & publicum Pſalmi vigeſimi tertii cantum, Præſes benedictionem precatus, ſynodum dimittit. 30. Auguſti menſis. *Finis.*

Die ſequenti poſt dimiſſam ſynodum, regni ordinum conventus, ſeu parlamentum (prout edicto regio imperatum fuit) cogitur: Alexandro Henderſono luculenta oratione de inſtitutione, fine, utilitate magiſtratus, actionem auſpicante. Dein ad electionem Dominorum ad articulos deventum; (hi vero ſunt octo ex ſingulis ordinibus electi, quibus committi ſolet præparatio omnium negotiorum quæ ad pleni parlamenti cognitionem deferenda ſunt; quæ quia in articulos referunt, *Domini articulorum*, ſeu ad articulos videl. formandos, dicti vulgo ſunt, & quia ad id munus electi, *Apolecti* ab hiſtoricis vocantur) Deputatus regius in vicinum conclave evocatis ſupremi ordinis nobilibus ſecedit, relictis duobus aliis regni ordinibus provinciarum & civitatum deputatis in ordinaria Comitiorum aula, ignaris prorſus quid rerum agendum eſſet, & ad rei novitatem ſtupentibus: Qui longioris moræ tandem pertæſi, quoſdam ablegarunt, qui ſciſcitarentur, quid ſibi vellet illa Nobilium ſeparatio; & cum compertum habuiſſent, Deputato regio ſtatutum fuiſſe Apolectos ſuo & nobilium ſuffragiis eligere, excluſis provinciarum & civitatum ſuffragiis; intercedunt, nec ſatis æquum aſſerunt, ut Apolecti, qui parlamenti totius nomine publica negotia procurant, ab aliis quam univerſis regni ordinibus in pleno parlamento eligantur, præſertim cum tota illa, qua veſtiuntur authoritas à parlamento dependeat, eamque deputatorum à parlamento nomine exerceant: Ante annum 1617. quando Epiſcopi electionem hanc ſibi primum arripuerunt, in plenis comitiis omnium ſuffragiis electos ſemper fuiſſe; epiſcopis vero nunc

fœli-

fœliciter ejectis, æquum dicebant fore, ut electio hæc Apolectorum vel ad priſtinum ſuum ſtatum poſtliminio reduceretur; vel ſi illud non placeret, à ſingulis ordinibus ſui ordinis deputati eligerentur; cum, quod omnes tangit, ab omnibus approbari debeat: Quod ſi inſciis ac non conſultis & invitis parlamenti ordinibus reliquis, ab uno ſolum ordine, quiſquis is demum ſit, eligantur, non poſſe haberi pro parlamenti deputatis, & eorum acta omnia prorſus fore irrita, cum fiant à non habentibus poteſtatem.

Hæc interceſſio multis uſque adeo æqua viſa fuit, ut incorruptior nobilitatis pars in eam ſententiam, ut Reipublic. maxime ſalutarem conceſſerint; & pari ſtudio urgendum eſſe omnes ſtatuerint, ut illimitata illa & tantum non abſoluta poteſtas Apolectorum, arctioribus, quam quibus aliquot annis ſupinâ ordinum regni conniventiâ uſi fuerunt, limitibus circumſcriberetur: præſertim cum nullo ſtatuto municipali ſancitum eſſet, debere Apolectos eſſe, aut eorundem poteſtas ullibi definiretur: Atque cum à parlamento deputati eſſent, abſurdum fore niſi non ſolum tenerentur eidem rationem reddere omnium quæ ipſis proponentur, verumetiam niſi pro utilitate & neceſſitate ipſis præſcribi poſſit. De facto quidem à regno *Davidis Brucii* fuiſſe quoſdam Apolectos, ſed in actibus liberis non currere præſcriptionem. Addebant civitatum & provinciarum legati, literis ad parlamentum citatoriis, citatos omnes non vocari ſolum ad ſententiam ſimpliciter ferendam, verumetiam ut ſingula examinent, ac diligenter diſcutiant, quod uſurpatione Dominorum ad articulos prorſus ademptum eſt, qui cum omnia definiant, nec ſolum in articulos diſcutienda referant, verumetiam ſtatutorum formas inconſultis reliquis parlamenti membris componant, eorumque ſolum rubricas in pleno parlamen-

to prælegant, quid cæteris quæſo relictum eſt præter ſimplicem aſſenſum aut diſſenſum? Idque ſine ulla libertate explicandi & confirmandi ſententiam ſuam, nedum contrariam refutandi. Naturam etiam delegationis ſuæ, cum perſonalis ſit & inhærens, non ferre ut poteſtatem ſibi à provinciis & civitatibus commiſſam, in alios præſertim ſe inconſultis & invitis electos transferant. Quare utiliſſimum fore regno judicabant, & ad ſupremi hujus tribunalis ſplendorem plurimum collaturum; ſi omnia gravamina in parlamento pleno exhiberentur; & ſi pro re nata communi omnium authoritate delegarentur; qui eadem excuterent, & ſingula ad plena comitia referrent, & ſtatutorum formas cum omnibus communicarent, ut ſic ſinguli exacte intelligerent ea de quibus ſententia ferenda ſit. Sed neutrum à Deputato regio obtineri potuit; interim tamen ne controverſiæ hæ de electione & poteſtate apolectorum, comitiorum progreſſum in ipſo limine impediret, hoc temperamento contenti fuerunt ordines, ut quos deputatus regius cum nobilibus elegiſſet, iidem etiam ab aliis ordinibus denuo eligerentur, utraque parte in ſcriptis proteſtante de ſalvo ſuo jure, & quæſtio de apolectorum poteſtate ante dimiſſa comitia definiretur.

Poſtea actum fuit de *conſtitutione parlamenti* præſentis, quomodo pro plenario & omnibus ſuis membris integro haberi poſſet, cum deeſſet tertius ordo, pro clero videlicet epiſcopi & abbates. Pauci cum Deputato regio dicebant; ideo eſſe plenarium, quod omnes quorum adeſſe intererat legitime citati fuiſſent: alii vero omnes addi volebant, nullum pro clero debere adeſſe, & ante omnia declarandum eſſe, Epiſcopis, Abbatibus, neque ullis eccleſiæ nomine jus ſuffragii in comitiis eſſe, cum ſynodi nuperæ judicio decretum eſſet, epi-

ſcopos

ſcopos ex eccleſia ejiciendos eſſe, qui jure illo ſuffragii ſe gaudere jactitabant, quod eccleſiæ perſonam in Comitiis repræſentarent: ac interdictum ſevere paſtoribus, quia eorum functio ſpiritualis eſt, & aliis quibuſcunque, ne eccleſiæ nomine in Comitiis regni ſuffragium ferant: quibus decretis cum aſſenſiſſet Deputatus regius in ſynodo, rogant ut ante omnia declaretur, præſens hoc parlamentum omnibus ſuis legitimis membris ita integrum eſſe, ut ejus integritas ſubſequentium ſit menſura conſtans & perpetua: Etenim cum ſtatutis parlamentariis anni 1609. ſancitum ſit, irrita eſſe omnia parlamenti ſtatuta niſi conſenſum habeant trium ordinum regni: & vero clerum ordinem unum feciſſe multa ſint quæ perſuadeant, epiſcopoſque pro Clero ſententiam tuliſſe, cuivis obvium eſt, primum & ante omnia decernendum eſſe, Clero nullum jus dicendæ ſententiæ nunc eſſe, & qui contra ſentiunt, non videre dicebant, poſticam apertam, qua hujus parlamenti ſtatuta à principio irrita fuiſſe neceſſario affirmari poſſet, neque negarunt quin mutatio quædam hæc ſit, verum neceſſaria, originem ſuam trahens à decreto nuperæ ſynodi, obſignato à deputato regio, cujus ſynodi ſanctionẽ, cum edicto perpetuo Rex ſereniſſ. pollicitus ſit in hiſce comitiis, eo præſertim nomine indictis, ejuſque edicti beneficium urgeant eccleſiarum à ſynodo Deputati, abſurdum prorſus eſſe inferebant, niſi eccleſiis quæ regio promiſſo innituntur flagitantibus ſatisfiat, ac ſtatuta omnia præcedentium comitiorum de jure ſuffragii in Comitiis pro Clero penitus refigantur, cum manifeſto adverſentur nuperæ ſynodi decretis. Deputatus regius ſynodi ſanctionem aperte non denegabat, ſed ſtatuta adverſantia ut refigeret, aut ut Clerum à jure ſuffragii in perpetuum excluderet, nequicquam ei perſuaderi potuit, quan-

tam, æquorum poſtulatorum pertinaci rejectione, conjiciebant complures, ſero illum pœnituiſſe quod in abdicationem epiſcopatus & ſubverſionem civilis poteſtatis eccleſiaſticorum in ſynodo tam liberaliter conſentiiſſet: aut novis forte ab aula mandatis inſtructum fuiſſe, nam poſthac obſervatum fuit nihil proponi potuiſſe, quantumvis neceſſarium & luce ſua perſpicuum, quin objectis novis difficultatibus aut ſimpliciter rejiceretur, aut ejus definitio procraſtinaretur, donec ab aula rediret tabellarius.

Dein ſumma animorum contentione diſputatum fuit de *ſtatuto ἀμνηστίας et pacificationis*, quo quæcunque poſt exortos hos motus accidiſſent, perpetuæ oblivioni traderentur; Deputatus regius urgebat, ut contenti eſſent ordines ſtatuto remiſſionis, quo præteritæ fœderatorum actiones damnabantur ut illegitimæ, ſeveriſſimas pœnas meritæ, & cæt. quas tamen ſereniſſ. rex pro ſingulari ſua clementia indulgenter remitteret: At ordines regni aſſerebant, in tractatu pacificationis nuper inito, innocentiam ſuam fœderatos coram rege vindicaſſe, qui ideo dignatus eſſet clauſulas quaſdam aſperiores, quibus in prima edicti pacificatorii formula, innocentia eorum perſtringi videretur, expungere: Cauſam quam tutati fuiſſent, juſtam eſſe, ac in ejuſdem proſecutione perſuaſum ſibi eſſe, quod legum limites non exceſſerint, & ſi res denuo poſtulaverit, (quod avertat dominus) ejuſdem cauſæ defenſionem ſuſcepturos, ad quam ſacroſancto cum Deo fœdere, cui deputatus regius cum omnibus regni ſenatoribus ſubſcripſiſſent, expreſſe obligati eſſent: Neque ita male de ſe meritum eſſe Chriſtum, ad quem hæc cauſa proprie pertineret; ut confeſſione reatus, (cujus licet nondum ſibi conſcii eſſent, acceptatio tamen remiſſionis extorqueret) eum deſererent, quem in omnibus difficultatibus præſentem ſemper experti

perti eſſent. Quare formulam ἀμνηςίας à ſe compoſitam deputato regio offerunt, in qua ſereniſſ. regis æquitatem, bonitatem & clementiam erga regnum Scotiæ, qua tandem permiſerit motus hoſce pacificis & legitimis mediis componi, ita deprædicabant, ut ſuam interim aſſererent innocentiam, & in alios authores & fautores malorum quibus preſſi hactenus fuerunt, culpam oblique conjicerent: Sed & hæc formula à deputato regio, non ſine verborum aſperitate, rejecta fuit.

Actum poſtea fuit de *ſalutaribus & efficacibus remediis, contra latrocinia, furta & cædes graſſantium latronum* in Borealibus montanis prope Grampiũ provinciis; *De libro illo in Anglia non ita pridem typis publica authoritate excuſo*, quem gravi cenſura à ſynodo notatum ſupra meminimus; *De ſuffragiis deputatorum à ſingulis provinciis ad Comitia*, an utrique deputatorum (nam duo ſemper à ſingulis provinciis delegantur) diſtinctum & ſeparatum concedendũ ſit in comitiis ſuffragium? An non conſultum eſſet ſancire, *ne majoris nobilitatis honos* (cui jus ſuffragii in comitiis ſemper adjunctum eſt) *exteris concederetur, niſi annuum cenſum decem mille marcarum Scoticarum in Scotiæ regno poſſideant? An ſenatus regius à parlamento judicari non poſſit? An conſultum eſſet non concedi remiſſionem facinorum criminalium*, *ut furti, cædis, niſi primum parti læſę ſatisfiat? De renovatione legum antehac ſancitarum; contra protectiones à decoctoribus procuratas* cum damno creditorum; *De electione eirenarcharum*; *De mutuo auxilio*, hoc eſt, an æquum non ſit ut omnes omnino regni Scotiæ ſubditi, pro rata bonorum portione cenſeantur? ad diſſolvendos ſumptus hiſce poſtremis motibus impenſos, præſertim cum cauſa omnes ex æquo tangeret, conſervatio religionis & libertatis ſubditorum; & omnes regni ordines, paucis quibuſdam nobilibus exceptis, lubentes conſentirent; *De apparatu bellico ab exteris regionibus in*

 Scotiam

Scotiam advecto, an a vectigali liber eſſe debeat? *An*, prout legibus olim ſancitum eſt, *Preſes collegii juſtitiæ ſeu ſeſſionis, à collegii illius judicibus eligendus ſit? An ſuffragia nobilium à Comitiis abſentium, per procurationes, admittenda & numeranda ſint? De abroganda minutiore iſta moneta ænea, aut ea ſaltem ad juſtum valorem reducenda, & an conſultum eſſet, non mutari valorem monetæ niſi ex conſenſu ordinum regni in Comitiis*, prout à majoribus ſalubri conſilio factum fuiſſe docent comitiorum regiſtra publica. An conſultum non eſſet, *Ut arces regni munitæ*, (quales *Edinburgena*, *Britannodunenſis*, *Sterlinenſis*, cum claves regni ſint, in ejuſdem tutelam & cuſtodiam contra externum hoſtem ædificatæ,) *conſenſu ordinum regni in Comitiis, traderentur civibus in Scotia natis?* neque earum militaris cuſtodia exteris quibuſlibet committeretur, ne liberum Scotiæ regnum in devictæ & ſubactæ provinciæ formam redigatur. *De mercatura & opificiis promovendis, & de mercimoniorum vectigalibus non augendis, niſi ex conſenſu ordinum regni.* Hæc & complura hujus generis quæ ad pacem & commodum religionis & regni neceſſario conferebant, in articulos referri inſtabant ordines regni per apolectos, quorum plurima, quæ prioribus ſtatutis olim ſancita non fuere, quum fere ſemper intercederet deputatus regius & moras nécteret, nunc hoc nunc illud objiciens, expreſſam habebant clauſulam referendi eorundem definitionem ad ſereniſſ. regis arbitrium.

Cum vero inter deputatum regium & ordines regni nunquam fere conveniret, illo objiciente, ordinum hæc poſtulata regi non innotuiſſe, eorundemq; conceſſionem mandati ſui limites excedere, ac regem prius de ſingulis monendum eſſe, neque ſeren. regi ingratum fore, ſi procerum quidam omnium nomine ad aulam excurrant, ut coram poſtulatorum ſuorum æquitatem demonſtrarent, in hunc finem

oſtenſa

oſtenſa epiſtola regia. Ac licet illud novum multis videretur, liberorumque comitiorum libertatem deſtruere, neque ſatis conveniret cum promiſſis regiis, de Deputato cum plena poteſtate delegando; ſtudio tamen ſingulari omnia offendicula removendi, & æquitatis ſuæ conſcientię confiſi, duos nobiles ſupremi ordinis, *Comitem Fermeloduni, & Laudonium* ad regem sereniſſ. mittunt, literas fidei & mandatorum ſubſignantibus ipſis calend. Novemb. 1639. plurimis omnium nomine: Eo fere ſpectabant mandata ut articulorum à regni ordinibus poſtulatorum æquitatem & fundamenta demonſtrarent, neque aliud quidpiam quæri, quam ſine quo religio & libertas ſarta tecta eſſe nequit: eorumque conceſſione & ſanctione regii juris nihil diminutum iri: (nam audiebant ſuggeſtum fuiſſe ab adverſariis, poſtulata ordinum Scotiæ radicem ipſam regiæ authoritatis petere; quibus conceſſis umbram tantum regiæ dignitatis regi relictam) in omnibus religioſe ſibi caviſſe ordines ne limites in pacificatione poſitos tranſilirent, ac explicite nunc ea ſolũ petere, quæ in cumulo & implicite tunc concedebantur; ac latebant ſub phraſi, *concedendi & ſanciendi ea quæ ad eccleſię & regni commodum & ſtabiliendam pacem conducere judicabit Synodus et parlamentum.*

Verum cum poſt tam longum & moleſtum iter nobiles hi à parlamento delegati Londinum perveniſſent, ad regem non admiſſi fuerunt, & imperatum ut confeſtim in Scotiam redirent, hoc prætextu, quod inconſulto deputato regio legationem eam ſuſcipere auſi fuiſſent, cum tamen omnibus in ore eſſet, in id maxime delegatos fuiſſe, ut de Deputato ipſo ejuſq; in parlamento actionibus quererentur: ſagaciores tamen ſatis videbant alia conſilia tum coqui, & Scotorũ hoſtes in aula ſedulo in id incumbere, ut modis omnibus Scotorum animi exulcerarentur, ac aliquid committerent, quo bello, quod ſeminabant, ſpeciem aliquam

aliquam arriperent: exiſtimantes præſervida gentis illius ingenia tam nobilium internunciorum contemptum æquis animis ferre non poſſe: verebantur etiam ne conſilia quæ meditarentur in aula nondum ſatis matura per importunos hos internuncios ut ſpeculatores emanarent, quos idcirco procul ablegandos voluerunt. Sed & hæc conſilia irrita fuerunt: nam ordinibus regni Scotiæ viſum eandem denuo tentare ſemitam, & cum ſcirent rem ſibi eſſe non cum extero quovis principe, ſed cum rege ſuo ſereniſſ. injuriam illam non tam internunciis quam ſibi illatam diſſimulant, ac quendam cum ſupplicibus ad regem literis denuo mittunt, quibus enixe & humiliter rogabant ut ſi regi viſum non eſſet deputato ſuo imperare comitiorum expeditam concluſionem, ſaltem reſcripto ſignificare dignaretur an vellet aliquot à parlamento deputatos ad ſe mitti, qui coram plenius edocerent rationes & fundamenta eorum quorum ſanctio jam poſtulatur; atque interim ne hoſtium ſuorum, in aliorum miſeriis ſolatium quærentium, contra ſe obloquiis fideret. Reſponſum fuit à rege 11. Decemb. & obſignatum à ſecretario regni Scotiæ in aula commorante Comite Sterlinenſi: *Se permittere, ut quot vellent ad ſe delegarent, qui monſtraturi eſſent poſtulatorum in parlamento rationes et fundamenta.*

Quo benigno reſponſo nondum plane conclamatum de fœlici exitu parlamenti ſperabant: niſi in fumum protinus abiiſſet hæc ſpes.

Nam 18. Decembris deputatus regius declarat, ſereniſſ. regem ſibi imperaſſe reſcripto minori ſigillo obſignato, ut comitia hæc ſtatim diſſolveret, ac in ſecundum diem Iunii ſubſequentis anni prorogaret, idque regia tantum authoritate, ad quem ſolum res hæc pertineret: quandoquidem ſatis perſpectum haberet rex, ſcopum & intentionem ordinum non

eſſe

eſſe religionem, ſed mutationem & innovationem regiminis politici; Diſſolutionem itaque ſe ordinibus imperare ſub pœna læſæ majeſtatis.

Ordines vero regni contra declarant; Nunc primum poſt viginti ſæcula in Scotia audiri, ut plenum & in omnibus ſuis membris legitime conſtitutum parlamentum, poſt electionem apolectorum, eorumque quindecim plus minus hebdomadarum continuas ſeſſiones, poſt formatos & præparatos omnes articulos, ſine ordinum regni in comitiis conſenſu diſſolveretur: nullum hujus nunc primum auditæ diſſolutionis veſtigium vel volam exſtare in publicis præcedentium omnium comitiorum regiſtris, ad quæ provocarent: Quicquid à regibus alibi fiat, & ſibi vendicent ex plenitudine regii juris, non eſſe ſuum diſquirere; nec à poſſe ad eſſe legitime conſequi; quod, ut in divinis ἀθεόλογον eſt, ita in humanis, imprudentiæ & impotentis judicii proles eſt, & confuſionis mater: ſereniſſ. regem ſæpius profeſſum eſſe, ſibi nunquam inſtitutum, ſubditis ſuis in regno Scotiæ quidpiam imperare quod legibus regni & majorum praxi conforme non ſit: Nullibi vero legem ullam inveniri poſſe, quæ ab ampliatione & prorogatione comitiorum ordines regni excludat, quin contra perpetuam exſtare praxin pro conſenſu eorundem neceſſario: ejuſdem commatis etiam eſſe pœnam læſæ majeſtatis, pronunciatam, contra univerſos regni ordines, (penes quos ſtat poteſtas definiendi quæ ſint læſæ majeſtatis crimina) ob nullam legum quarumlibet violationem, verum ob id ſolum quod patriis ab omni ævo receptis inſtitutis adhæreant: Neq; perſuaderi ſibi poſſe quin hoſtium religionis ſuæ opera prodeat hæc comitiorum prorogatio, qui conſilia hæc ſuggerunt poſthabito regis honore, regni commodo & pace, ut cruentum ſuum ſcopum quovis modo promoveant; qui ſi eſſent quales

les haberi ſe volunt, meminiſſe poſſent prorogatione hac corrumpi promiſſum regium ſereniſſima majeſtatis ſuæ manu obſignatum, quo conceſſum fuit parlamentum ad ſancienda ſynodi decreta, & controverſias omnes politicas definiendas: Cumque aliis negotiis avocatus fuiſſet ſereniſſ. rex, ut ſacra ſua præſentia ſynodum & comitia cohoneſtare non poſſet; (quo uti nihil magis in votis nobis fuerat, ita maximo ſolatio fuiſſet) dignatum tamen fuiſſe verbo ſuo regio certos nos reddere, ſe deputatum miſſurum ſufficienter, & plena poteſtate inſtructum; qui promiſſa abunde præſtiturus eſſet: Literas etiam mandati & fidei, quibus Comiti Traquario deputatio illa committebatur, magno ſigillo munitas mentionem tantum facere *tentionis et obſervationis parlamenti*, ſine ulla prorogationis clauſula: quibus prævalere nequaquam debent privata quælibet reſcripta minoribus ſigillis obſignata. Eum eſſe præſentem regni ſtatum, qui prorogationis hujus moram ferre non poſſit, ſine manifeſto confuſionis periculo, cujus non ignari hoſtes noſtri omnia ſua ſtudia eo gnaviter collimant, ut diſcordiarum ſemina inter ſereniſſ. regem & nos fideles ſubditos in utriuſque perniciem ferant. Ac licet (inquiunt) recepto majorum more, tum literis indictionis, ac articulis in pacificatione pactis licitum nobis eſſe declaremus non obſtante ampliationis mandato, Comitia continuare; ut tamen maledicis noſtris hoſtibus omnem obloquii anſam præriperemus, eorumque ora, (quod ſperari vix poterit,) obſtrueremus, nunc tantum decrevimus regi ſereniſſ. exponere fundamenta & rationem reddere actionum noſtrarum in comitiis, ut conſtet quam nulla noſtra culpa factum ſit, quod optatum exitum nondum aſſequuti ſimus, & quam neceſſe ſit ut poſthabita omni mora aliquid tandem operæpretii agatur, quo eccleſia &

regnum

regnum hoc ab extremis miſeriis conſerventur, quas utriuſque & regii ſimul honoris ac pacis noſtræ hoſtes machinantur: In quem finem ſelectos ex ſingulis regni ordinibus delegavimus, cum mandatis ut Edinburgi commorentur, ad accipiendum & referendum quod à rege ſereniſſ. reſponſum fuerit æquiſſimis noſtris poſtulatis, utque ea omnia agant quibus regem de æquitate & neceſſitate noſtrorum poſtulatorum certiorem reddere poſſint. Quod ſi obſtinata hoſtium noſtrorum malitia eouſque prævaleat, ut ipſorum artificioſe excogitatis major fides habeatur, quam univerſæ gentis hujus, in ſupremis comitiis coactæ, ingenuis & ſinceris declarationibus: Deum & homines teſtamur nobis non imputanda eſſe, quæ exinde neceſſario eventura ſint mala: nobiſque ſemper licere illud agere quod eccleſiam & regnum ab extrema interminata pernicie vindicare poſſit. Hæc ſumma eſt declarationis prælectæ in magna comitiorum aula, præſentibus omnibus regni ordinibus, & in futuram rei memoriam publicis Comitiorum regiſtris inſertæ.

Simul etiam ſinguli ordines ex inſtituto ſupramemorato, ſuos Deputatos elegerunt: ſupremus nobilium ordo pro ſe nominavit, *Lothianæ et Dalhuſium*, *Comites*; *Yeſterum*, *Balmerinonem*, *Cranſtonum*, N*aperum*, Barones parlamentarios: idem etiam à provinciarum & civitatum Deputatis factum.

Ultimo hoc actu diſſolutis comitiis, non ſine bonorum omnium ingenti mœrore, qui ſubſequentis anni calamitates proſpiciebant, Deputatus regius, confirmatis prius factionis ſuæ animis, & inita conjuratione cum quibuſdam in primariorum procerum fœderatorum, ut ferebatur, perniciem,

quæ

quæ poſtea detecta fuit, ad aulam properat, relaturus quam belle perſonam ſuam ſuſtinuiſſet in comitiorum theatro, ejuſque rerum Scoticarum relatione fuſa, (quam vera & ingenua ea fuerit poſtea memorabitur) uſque adeo incenſi fuerunt ſenatores regni Angliæ, ut univerſos regni Scotiæ ordines ne auditos quidem ſtatim damnaverint, & ex unius relatione & fœderatorum Scotorum hoſtis, ut dicebant, dignam judicarent univerſam gentem, in quam ferro & flamma ſæviendum eſſet: Sed cum deeſſet pecunia belli nervus, Hierarchicis ſuperioris belli (cujus authores & ſuaſores erant) impenſis exhauſtis, indictio parlamenti in Anglia promovetur, ſumma quidem omnium cum admiratione, quibus cognitum fuerat quam antehac ſemper factio iſta vel ad parlamenti nomen expalleret: idem etiam factum in Hibernia, quo vero ſucceſſu, poſt memorabitur.

Dum calerent hæc conſilia in aula, tandem adveniunt Scotorum internuncii ſeu legati; Comes *Fermelodumi* & *Laudonius*, *Guilielmus Donglaſſius*, Eques ſplendidus, & *Robertus Barclajus*, præfectus Irwinenſis vir probæ & ſpectatæ fidei, cum mandatis tum 1. Novemb. anni 1639, tum novis 20. Ianuar. 1640. à comitiorum deputatis obſignatis: quorum ſumma fuit. 1. Ne cauſam hanc agerent coram ullis à rege deputatis, vel ipſo ſenatu Angliæ, quaſi judices eos in hac cauſa agnoſcerent, quandoquidem hoc eſſet violare jus liberi regni Scotiæ, Deo & regi ſolis ſubditi: interim tamen non detrectarent eoſdem aut quoſvis alios auditores, dum coram rege ſereniſſ. cauſam dicturi ſint, addita ſemper proteſtatione de regni Scotiæ & Comitiorum independentia: imo inſtarent, ut præſente ſenatu Anglico, ſed nullatenus judice, tota hæc cauſa excutiatur ad removendam pravam illam opinionem, quam regni illius ſenatores, ex relatione detorta Comitis Traquarii,

con-

contra ordines regni conceperunt. 2. Ut ſcriptis omnia agerent. 3. Ut demonſtrarent ſingula comitiorum poſtulata, quæ maxime controvertuntur, uſque adeo neceſſaria eſſe, ut ſine eorundem conceſſione nulla ſit religioni aut legibus ſecuritas, & uſque adeo æqua, ut legibus municipalibus, majorum continuæ praxi, ac ſanæ rationi prorſus conſonent, neque regis authoritatem, cui tutandæ (inquiunt) nos & noſtra omnia religioſe vovimus, ullatenus lædere, quin contra eorundem ſanctione dignitatem regiam augeri. 4. Si interrogata ulla ad publicum regni ſtatum ſpectantia, quorum ſolutionem adjunctæ mandatis chartæ non exhiberent, propoſita fuerint, ad eà ne reſpondeant; ſed ad deputatos, Edinburgi ex præſcripto comitiorum hærentes, tranſmitterent, eoſq; quam ſæpiſſime de rerum ſuarum ſtatu certiores ſubinde redderent; ac reditum maturarent ante 25. Menſis Martii. 5. Ad faciliorem veritatis manifeſtationem, inſtate, ut in apertam lucem proferantur publica comitiorum regiſtra, ad quæ acceſſus vobis pateat, quæ contra omnem æquitatis ſpeciem nobis hactenus pertinaciter denegata fuerunt. 6. Inſtate ut, ſecundum expreſſum tenorem pacificationis cum rege initæ, liberi parlamenti beneficio promiſſo fruamur, tam ad ſynodum ſanciendam, quam ad componendas civiles omnes controverſias; & ut abruptum ſine mora revocetur. 7. Oſtendendum, eſſe contra leges pacis, quod arx Edinburgena muniatur apparatu bellico contra urbem Edinburgum, cui extrema omnia minatur, & triplo majori militum numero inſtruatur, quam qui defenſioni ſufficiat: idem etiam de Britannoduno arce, quæ præſidiariis Anglis, contra leges, inſtruitur. 8. Querendum, quod Scoti in Hibernia, & qui negotiorum conficiendorum gratia in Angliã excurrunt, in juramenta

illicita, & fœdus noſtrum, à Deputato regio ejuſque ſenatu approbatum & obſignatum, damnantia adigantur. 9. Denique rogandus eſt sereniſſ. rex pro amore & ſtudio in antiquum hoc & nativum ſibi regnum, ne iniquis quibuſlibet contra nos relationibus, ab apertis hoſtibus excogitatis & ſuggeſtis, credat; niſi prius noſtrum contra eas reſponſum audiverit; quod fieri nequit, niſi dignetur earum copiam nobis facere, & cæt.

Porro cum cognitum ſatis haberent Scoti machinas omnes admoturos adverſarios ſuos in Anglia, ut regni illius populum univerſum calumniis & ſuſurris contra ſe commoverent, conſultum duxerunt breve quoddam ſcriptum typis mandare, directum ad probos ſubditos regni Angliæ, quo calumnias contra ſe nunc denuo extruſas diluerent, & Anglis oſtenderent neceſſitatem & æquitatem poſtulatorum in comitiis, atque in eum finem quæ maxime in controverſiam vocari ac invidioſiſſime exagitari apud exteros, legum Scoticarum imperitos acceperant, vindicant. Dein oſtendunt in quas anguſtias regnum Scotiæ hoſtium artibus redactum ſit, & quibus novis injuriis & calamitatibus, etiam poſt pacem anno ſuperiori initam, contra expreſſas pacis leges affecti eſſent regni illius ſubditi, ita ut, niſi maturo conſilio ſanguinolentis hoſtium ſuorum conatibus obviam eatur, cogendi forent Scoti ad extremam eccleſiæ & regni perniciem vitandam, alia quam quibus hactenus uſi eſſent media & remedia adhibere. Scriptum vero illud, de verbo fere in verbum fideliter tranſlatum, ſic ſe habet.

Infor-

Informatio directa ab Ordinibus regni Scotiæ ad Anglos. 1640.

COmpoſitis propemodum qui anno priori regnum hoc afflixerant, tumultibus; ac ſedatis tempeſtatibus quæ utriq; paritur regno ingentia mala minitabantur; pacificatione in caſtris regiis ad regni limites: Subditi hujus regni ad ſua ſe contulere, non ſolum certa ſpe fruendi pace domeſtica per parlamentum & Synodum, verbo regio pactam, quibus motus omnes, horum defectu hactenus orti, facile componi potuerunt; verumetiam in arctius amicitiæ vinculum cum vicinis Anglis coeundi, quandoquidem calumnias iſtas atroces nobis impactas tam perſpicue diluiſſemus, non ſolum actionibus noſtris innocentiam ſpirantibus, verumetiam apertura fontium, unde mala quæ Dei beneficio tum evaſeramus, veram ſuam originem deduxerant. Neque dubitandum, quin fœlices fuiſſemus, ſi facta promiſſis nobis præſtitis reſpondiſſent, uti nos iiſdem ingenue fidebamus.

Verum adverſarii noſtri pro conſtanti ſua impietate & malitia tum ſtatim cœperunt, & quotidie pergunt, hoſtile aliquid ſecretò contra nos machinari, & ſicuti hactenus juſtam querendi materiam nobis exhibuerunt, procuratione violationis articulorum ſtipulatorum in pacificatione, & ſingulari iſta diſſolutione parlamenti noſtri, cujus nullum exemplum ab omni ſeculo in hoc regno oſtendi poteſt; ita quotidie ſatagunt, falſa actionum noſtrarum relatione, ſereniſſimum noſtrum regem contra nos excitare, Anglorumque animos, quorum aures mendaciſſimis calumniis replent, nobis averſos reddere, quaſi legitimæ noſtræ actiones ſeditionem ſpirarent, ac innocentiſſimæ noſtræ intentiones,

ad apertam rebellionem, & profanam civilis obedientiæ conculcationem ſpectarent: Quas impudentes & putidas calumnias à ſe primum excogitatas, in Anglia ſpargendas ubique curant per emiſſarios ſuos, præſertim pontificios, utpote qui ægre ferunt, ſincera & legitima hac reformatione ſe Scotia excludi, metuentes ne eandem brevi fortunam in Anglia etiam experiantur. Atque hic duplici damno contendimus: 1. Quod ipſorum calumniæ contra integrum regni corpus, (licet primitus inventæ ac ſparſæ à pauculis profugis, patriæ ſuæ juratis hoſtibus; ac corruptis Eccleſiaſticis) fidem tamen obtineant apud imperitos ſine ullo prævio examine; Contra vero, Declarationibus ordinum hujus regni, actionumque noſtrarum vindicationi, nulla habeatur fides, licet ſæpius obſecrati ſimus, ut legitimo judicio liceret nobis contra illos experiri, ipſorumque calumnias refellere, ac noſtram innocentiam tueri. 2. Quod libere liceat iſtis, calumnias has apud regem & ſubditos in Anglia ſpargere, nos vero ab ipſius præſentia, & juſta vindicatione penitus excludamur. Nam ſicut anno ſuperiori obtinuerunt, ut interdictione tabellariorum & epiſtolarum, ac ſeveriſſimis edictis contra informationes ex Scotia miſſas, omnia media occluderentur, per quæ Angli quovis modo ad veram cognitionem actionum ac intentionum noſtrarum devenirent; ita nunc quoque eandem terunt ſemitam, neque liberum ſolum epiſtolarum commeatum interrumpunt, verum etiam effecerunt, ne deputati noſtri à conventu regni ordinum delegati, (idque ſpeciali & expreſſo mandato ſereniſſ. regis per epiſtolam ad Comitem Traquarium, regis ſupremum Deputatum ſeu Commiſſionarium, miſſam, & à multis viſam) ut regem de ſtatu vero rerum noſtrarum certiorem facerent, ad regis præſentiam admitterentur, utque iis ſtatim

manda-

mandaretur, ut in Scotiam omni mora poſthabita redirent; ne, videlicet, eorum opera de vero actionum noſtrarum ſtatu certiores fierent Angli: Licentia hac adverſariis noſtris conceſſa nobis impune calumniandi, & libertate juſta nobis adempta innocentiam noſtram vindicandi, facillime putant ſe poſſe ſereniſſ. regem ac Anglos, qua præjudiciis, qua calumniis in ſuam ſententiam pertrahere, ac tandem renovatis tumultibus utramque gentem ſanguinolentis ſuis conſiliis ad arma protrudere; unde duplex ſibi ceſſurum lucrum ſperant, prout ex duobus hominum generibus conſtant. Nam Eccleſiaſtici, jure meritoque ex hac eccleſia ejecti, cum deſperent de reditu ad priſtinam conditionem, ſi legitime ac ordine motus hi in Scotia componantur, omnia hic tumultu & ſanguine replere adnituntur; ac per vim, Anglorum opera, reſtitui: quæ vis aperta utrique pariter regno periculoſa erit, ac ingenti damno utrumque regnum afficiet, præſertim ſi mutuis vulneribus alterutrum conciſum, à Pontificiis hoſtiliter invadatur, qui opportunitatem hanc è manibus elabi non patientur. Alii vero hoſtium noſtrorum ſunt politici quidam, animo in patriam ſuam iniquiore, iique, vel qui tumultibus conditionem ſuam jam pæne ad extrema redactam, ex aliorum ruinis reſtaurare ſe poſſe putant: vel qui ad inſignia publica munia antea provecti; ut judicii aleam effugiant, & pœnas facinoribus ſuis promeritas, (quas parum abfuit quin ſubiviſſent, & optime norunt eas neceſſario ſibi ſubeundas eſſe, ſi reſcripto & mandato regio liceret iis diem dicere atque in jus vocare, non ob vetera ſolum ſed & nova maleficia) ſummo conatu adlaborant, ut flamma in Republica accenſa, ruinam ſceleribus ſuis procuratam evitent, certa ſpe impune evadendi in mediis bellorum tumultibus. aut vulgata illa ἀμνηστία,

 quæ

quæ compoſitionem magnorum Nationalium tumultuum ſequi ſolet, præteritorum ſcelerum omnium gratiam obtinendi.

Interim ſperamus Anglos non paſſuros ſibi ab impoſtoribus iſtis ſecunda vice illudi: Nobilibus quippe Anglis & aliis qui in caſtris regiis fuerunt, in memoriam redeat; cum plene & peſpicue de noſtris actionibus, earumque fundamentis certiores à nobis facti eſſent, cumque iis abunde cognitum eſſet nihil aliud à nobis poſtulatum fuiſſe, quam ut liceret nobis noſtris legibus vivere, ac religionis puritate frui; redeat (inquam) iis in mentem, ingenue ſe agnoviſſe falſis informationibus ſeſe deceptos antehac fuiſſe, ac ſupervacaneas tanti temporis & ingentium ſumptuum impenſas queſtos fuiſſe; facili iſta credulitate ſua multorum vitam manifeſto periculo objectam fuiſſe, ac utrumque enervatum regnum ac tantum non deſtinatum in prædam exteris exercitibus aut claſſibus, niſi Deus miſericordiæ ſuæ oculos in utramque gentem opportune flectere dignatus fuiſſet, ac perſuaſiſſet ut pacate convenirent ad aperiendam impoſturam ejuſque authores; & ut Nobiles Angli qui in noſtram perniciem deſtinati fuerant, pro nobis ſedulo apud regem intercederent, ut regia authoritate Synodum Nationalem, & parlamentum obtineremus; quibus poſtulatorum noſtrorum ſumma continebatur, utpote quod per ea, aptiſſima remedia curandis tam Reipub. quam Eccleſiæ vulneribus, inventum iri ſperabamus. In quo conventu hoc nobis præſertim ſolatio fuit, quod regi pacato agmine diſcedenti, ac fratribus noſtris Anglis, abunde ſatisfactum fuerit de actionum noſtrarum æquitate, & falſitas calumniarum nobis ab hoſtibuis noſtris impactarum ſplendide innotuerit, qui antea impudenter ſpargere auſi fuerunt; Nobis propoſitam fuiſſe mutationem

tionem regiminis politici, & hoſtilem in Angliam excurſionem & invaſionem, qua ſpoliis ejus ditaremur: quorum utrumque nunquam nobis in mentem veniſſe, uti antea ſæpius declaravimus, ſic actionibus noſtris tunc teſtatum fecimus, quanta fidelitate ſeren. regem, quanto amore Anglos proſequeremur.

Quibus conſiliis adhæreſcere nobis adhuc propoſitum eſt, ac ſerio & ex animis imprecamur graviſſimam omnipotentis Dei iram in eorum capita, qui primi alterutros ut hoſtes invadent; idemque devovemus iis qui aliam quamvis regiminis politici formam ſuam præſentem, deſiderent, aut alium Rectorem quam ſereniſſ. noſtrun regem apud nos natum, cui longævum & juſtum regnum comprecamur: Interim nullus eſt qui æquiſſimum eſſe non judicabit, ſi, hoſtili invaſione ſeu terra ſeu mari ad anguſtias redacti, nobis defendendis, ac vindicandis, ſicuti pios Chriſtianos, & patriæ ſuæ veros cultores deceat, operam dederimus, ſi provido ac maturo conſilio rationem optimam iniverimus, qua nos regnumq; hoc ab extrema ruina tueamur, ac evitemus confuſiones illas quas hoſtes noſtri interminantur ſæpius, regem nobis illaturum impediendo publicam juſtitiæ adminiſtrationem, differendo mederi præſentibus quibus premimur gravaminibus moleſtiſſimis, ac inter noſmet ipſos diviſionem & factiones urgendo. Etenim hoſtes noſtri jactitarunt, ſe effecturos, ut Rex maria noſtra claſſe armata occludat, mercaturam omnem maritimam impediat, ut exercitu terreſtri agros noſtros vel levibus excurſionibus depopuletur: quo aut ad iram & vindictam provocemur, & ſemina Nationalis belli ſpargãtur, aut continuis motibus exagitati, & re familiari ac fortunis omnibus exhauſtis inermes tandẽ opprimamur. Quod ſi obtinuerint, prudentibus rerum æſtimatoribus judicandum relinquimus, quid faciendum nobis erit? & annon ſatius multo ſit (licet

animo alias prorſus reluctãte)fortiter pugnando anguſtias & miſerũ carceris ſqualorem effugere, quam ut miſere in eo pereas: Atque hic quidem eſt rerum noſtrarum ſtatus, quandoquidem plurimi noſtratium mercatura familias alant, quibus omnibus inedia pereundum brevi erit, ſi negotiari ipſis non licet; & qui mercaturam non tractant, ad illas incitas redigerentur, ut, relictis artibus quibus ſe ſuoſque alerent; propriis ſumptibus armati præſidia agentes, invaſionem hoſtilem exſpectarent, & propellerent: aut ut depoſitis armis, & limitibus præſidio nudatis patriam hoſtiũ populationibus exponerent. Verum, uti confidimus, Omnes probos & fideles Anglos operam daturos, ne quid hoſtiliter ſeu terra ſeu mari in nos agatur, ſic, ſi ad neceſſariam noſtram defenſionem cogamur, non judicaturos, ſe teneri malis illis vindicandis, quæ hoſtes noſtri in capita ſua contrahunt, quin potius ſe obligari ad eorum improbitatem caſtigandam, qui ſummo ſtudio nituntur ut ab iis ſejungant nos, in quibus primarium & fidiſſimum robur ſitum eſt, ſi ab externo hoſte invadentur: Neque eſt quod quivis ægre ferat, quod fidiſſimum dicamus; Nam uti nos judicamus, nullum vinculum religione arctius ſtringere, ita etiam qui religioni noſtræ adverſantur, judicant, & cum axioma illud eos tam arcto vinculo ſibi invicem conſtringat, nonne danda eſt opera omnibus ſinceris Chriſtianis & patriam communem colentibus, qui in hac inſula degunt, ut amicitiam mutuam inter nos ac cum reliquis noſtræ profeſſionis eccleſiis, ſincere colamus? An non ſtimulos nobis languentibus adderent fortitudo & fœlix ſucceſſus gentium non æq; ac nos potentium, ut unitis viribus contra Babylonicam iſtam meretricem ejuſque fulcra coiremus? An non aures tandem aliquando potius aperiendæ ſunt queſtibus regiorum liberorum unicæ ſororis ſereniſſ.

reniſſ. noſtri regis, qui in longe diſſitis orbis terrarum partibus,à majorum hæreditate omnes exulantes,noſtram opem anxie implorant,quam ut vinculis quibus toties tam arcte conſtringimur, ruptis, ludos faciamus Pontifici Romano, ac ipſius genuinis liberis, Epiſcopis, ut mutuis noſtris cædibus ipſorum ſuperbiam & tyrannidem tueamur?

Votorum noſtrorum hæc ſumma eſt, ut præteriti ſaltem temporis experientia fratres Anglos edoceat impiam hoſtium noſtrorum perfidiam, neque faciles aures præbendas eſſe iis crimina contra nos objicientibus. Atque quamvis probabile ſit indictionem parlamenti à quibuſdam ſic accipi, quaſi noſtro damno intenderetur, (utpote, quia licet parlamentum toties antea ſummis omnium deſideriis expetitum fuiſſet, ſemper tamen denegatū fuit, nunc vero illius primum mentio facta ſit ſubito poſt relationem actionum noſtrarum in parlamento noſtro, apud ſenatum regium in Anglia, quæ calumniis tota ſcatebat, qua relatione author oſtendit plus ingenii & acuminis fingendo ea quibus gratum ſe redderet ſummis quibuſdā auditoribus, quam ingenui amoris in patriam ſuam, eaq; expiaturum ſe putabat iram in ſe conceptam, ruinam extremam ſibi minitantem,) nunquam tamē metus à parlamento ſollicitos nos tenebit; cum perſpectū nobis ſit ſummū illud tribunal, pro ſolita ſua prudentia, gravitate, ac æquitate, in juſtitiæ trutina omnia perpenſurū, neq; determinationes & conſilia ſua fundaturum ſuper falſas criminationes ab apertis noſtris hoſtibus ſuggeſtas, nec ſe immiſturum noſtris legibus aut parlamentis: Nam ſicuti noſmet nunquam legibus aut parlamentis Anglię permiſcuimus, orta inter regem & eos diſſenſione, (hoc enim eſſet in alieno choro pedem ponere) ita æquum non eſt, ut ſe noſtris immiſceant Angli: quandoquidem duo hæc regna ſint independentia, nec alterum alteri

 ſub-

ſubalternum, utriuſque regimen ſit diſtinctum, neq; alterum alterius exemplo confirmari velit, in rebus etiam neceſſariis; multo certe iniquius eſſet, ſi alterum alteri moleſtiam faceſſeret, cum de rebus agitur quibus neutrius juri damnum aliquod intenditur aut afferri poteſt. Quin contra, prudentiores pronunciabunt, ſi hic aut ibi illegitimum quodvis perpetretur, curandum eſſe illud legibus & poteſtate regni illius cujus jura violantur; neque cum officio Chriſtiani aut politici conſiſtere, mala (ſi quæ ſint quantumvis maxima) cruento bello velle curare, quod utriuſque regni cives præſentes & poſteros maximis calamitatibus involvet, hoc enim eſſet, remediis, quovis hujus generis morbo deterioribus, mederi velle.

Porro animorum abalienatio inter gentes tam arctis vinculis ſibi invicem conjunctas à duplici errore oriri poterit; Primus eſt, ſi de vicinorum ſtatu certiores ſe fieri patiantur, per eos a quibus maxime cavendum ſit; recenti adhuc experientia comprobatum fuit, quam iniqua & lubrica ſit hæc via; & in ipſis caſtris polliciti ſunt Angli, ſe talibus in poſterum fidem non habituros, verum ut in hunc errorem falſa relatione unius, (quantæcunque demum dignitatis & eminentiæ) & pauculorum turbonum, trahantur, abſurdiſſimũ eſſet: Intelligimus autem relationem iſtam quam de noſtris actionibus fecit Deputatus regius coram ſenatoribus regiis in Anglia; cui complures nimia credulitate fidunt: O egregiũ, & ſi quodquod ullum aliud notandum certe vaframentum! Ut negotium ſcil. hoc noſtrum inſtar pilæ luſoriæ datatim volitet inter manus paucorum aſtute & improbe colludentium & prævaricantium, aliis hinc remittentibus, aliis vero apud vos excipiẽtibus, parva ſua quidem cum jactura, ſed inſigni utriuſq; regni ſpectantis, & dolo hoc circumventi, diſpendio: æquius erit mutuas operas conjungere, ut fraus hæc opportune aperia-

aperiatur, ne ſero tandem utraque gens damnum, in quod turbones iſti aſtuti nos præcipitare ſatagunt, ſentiat, & fortaſſe fruſtra reſarciat: Neque patiamur, ab iſtis pauculis improbis prævaricatoribus in belli, quod machinantur, incommoda, nos errore hoc trahi; præſertim cum utriuſque regni commodum hic vertatur, ſeu potius apertum diſpendium. Secundus error oritur à legum noſtrarum ignorantia; quodque veſtro pede nos metiēdos putetis; Etenim accepimus in hoc totos eſſe noſtros hoſtes, ut vobis perſuadeant nos violata civili & temporali obedientia, jus regium invaſiſſe, ac in parlamento ſtatuta quædā propoſuiſſe ſancienda, quæ juri regio derogarent, uti ſunt ſtatuta, *De abrogatione civilis & politicę poteſtatis Epiſcoporum & eccleſiaſticorum, ac reſciſſione legum prius ſancitarum, quibus dignitates illæ politicæ conceſſę fuerunt. De poteſtate & perſonis conſtituentibus ac ratione eligendi Articulorū Dominos. Contra procurationes abſentium à parlamento,* (ne vid. liceret iis ſententiam dicere aut ſuffragiū per alios quos ſcripto deputant, ferre.) *De pacificatione ſeu ἀμνηςία. De mutuo auxilio. De moneta ęnea. De reſtituendis presbyteriis ſeu claſſibus ad jus ordinationis paſtorum. De declaratione ab ordinibus regni facta contra inſolitam parlamenti diſſolutionem,* & hujus generis ſimilia.

Nobis nunc non eſt propoſitum curioſius inquirere, an hæc, ex legum veſtrarum præſcripto, juri regio derogent: Nobis tamen pernotiſſimum eſt ex omnibus regni hujus publicis regiſtris, eorundē cognitionem proprie pertinere ad noſtrum parlamentum, ac diſtincte demonſtrari poteſt, nos in hiſce tractandis aliis fundamentis innixos non fuiſſe, quam quæ leges noſtræ & praxis uſitata, nunquam antehac à quolibet in quęſtionem vocata, ſuppeditant; ſingulisq; demonſtrandis jam vacaremus, ſi certo ſciremus de quibus inter vos eſſet dubitatū: & niſi horum fuſa tractatio in majoris molis volumen excreſceret; à cujus impreſſione temporis anguſtia excludimur. In-

Interim ut conſtet quantum æquitati cauſæ noſtræ fidamus, ad ſereniſſ. regem deputatos amandavimus, rationibus a lege & cõtinua regni hujus praxi deſumptis bene inſtructos, ut regis animo ſcrupulos omnes eximant, & reſpondeant ad omnia & ſingula, quæ contra nos objici poſſent: Quos uti nunquam delegaſſemus, ſi cauſæ noſtræ juſtitiæ, & omnium noſtrarum actionum æquitati diffiſi fuiſſemus, ita omnes probos enixe rogamus, ut ſibi perſuadeant, nihil nos aggreſſos eſſe, quod non conſiſtat cum fundamentalibus hujus regni legibus, (utcunque ab hoſtibus calumnias atroces patiamur) quibus religioſe obſervandis, & ſecundum quas ſe nos gubernaturum juramento ſolenni ſeſe obſtrinxit rex: Quas confidimus ſereniſſ. regem nunquam violaturum, neque vicinos in quæſtionem vocaturos; quibus omnia proſpera, & liberum præſertim Parlamentum vovemus, in quo hoſtium noſtrorum, qui calamitatum harum authores unici ſunt, ſubdolæ machinationes in apertam lucem proferantur, ac oſtendatur iſtis ſuis artibus multa tam in regni quam religionis ſtatu mutare, propoſitum fuiſſe; quibus ſemel cum fautoribus ſuppreſſis, eccleſia regnoque à metu novationum quas urgent & promovent liberatis, non dubitandum quin exinde fœlicitatis plurimum tam regi ſereniſſ. quam utrique regno redundaturum ſit. *Auferatur improbus coram rege, utique ſolium ejus juſtitia ſtabilietur*: Et ſicuti parlamenti poſtulatio eſt *Vox populi*, Conceſſio ejuſdem, *Vox Regis*, ſic Deum optim. maximum precamur, ut in concluſione audiatur *Vox Dei*, qua Chriſti regnum promoveatur, & Antichriſti tyrannis ſubmoveatur.

In certam etiam ſpem adducimur vicinam gentem hoſtium noſtrorum contra nos ſuſurris & calumniis ſibi denuo imponi non paſſuram; quin potius auxilio nobis futuram, & preces concordes ad

regem

regem conjuncturam, ut tandem aliquando liberemur ab innumeris & graviſſimis quibus hodie premimur oneribus & gravaminibus, quibus certe ſine extrema noſtra pernicie diutius ferendis impares ſumus, niſi mora omni ſublata remedium opportunum ſereniſſ. rex afferat; parliamenti videl. interrupti concluſionem legitimam imperando. Gravaminum autem horum brevem ſynopſin ſubjiciemus.

Etenim cum in articulis pacificationis, menſe Iunio in caſtris regiis inter alia tum obſignata, promiſſum nobis fuiſſet, Synodi Nationalis & parlamenti convocatione motus & tumultus omnes compoſitum iri, omniaque eccleſiaſtica negotia ſynodi judicio componenda, & politica authoritate parlamenti ad diem 20. Aug. indicti, ac ſynodi decreta parlamentum ſanciturum, omnia denique, ſine ulla prælimitatione, quæ in pacem & commodum regni hujus conducerent, ad parlamentum remitterentur, idque tabulis ſignatis: licet omnia in ſynodo proſpere ac legitime procederent. Cum tamen ad parliamentum deventum eſſet, *obſtinate renuit Deputatus regius ſe Synodi decreta ſanciturum, niſi cum limitationibus, reſtrictionibus, declarationibus,* accepto videl. mandato privato à rege (ut ferebatur) ne Epiſcoporum abolitioni conſentiret: quod adverſabatur inſtructionibus ſecundum quas, omnes ſuas actiones in ſynodo compoſuerat, priuſquam mandatum illud ad manus ejus deveniſſet. Ut incommodum hoc quovis modo reſarciret, nulla habita ratione ſolennis promiſſi regii in legibus pacificationis, & ſui coram plena ſynodo ſæpius repetiti, *Declarationē quandām publicam obtrudere voluit contra decretum Synodi,* in quod 17. Augu. ipſe cum aliis omnibus eccleſiarū ad ſynodum deputatis, unanimi ſuffragio conſenſit. [*Decreto vero illo, ſecundum Synodicas eccleſiæ hujus conſtitutiones rejiciebantur libri liturgię ſeu Communium precum, Canonum, ordinationis, nobis obtruſi; ſimul*

ſimul cum celſę Commiſſionis foro: Ceremoniæ, ſeu quinq; articuli Perthenſes : Epiſcopatus : & eccleſiaſticorum politica munia ac dignitates, in hac eccleſia illicita eſſe declarantur; Pſeudo-Synodi quædam reſcindebantur: Synodi nationales rite ac legitimę conſtitutæ, quibus proprie rerũ eccleſiaſticarũ judicium competit, decernebantur habendę ſingulis annis ſemel ordinarie. Quod ſi urgente neceſſitate ob extraordinariam aliquam occaſionem ſæpius pro re nata convenire oporteat Synodos nationales, licere, modo neceſſitas ea regi prius remonſtretur libello ſupplici: Seſſiones ſeu conſiſtoria, presbyteria ſeu Claſſes, ac Synodos provinciales conſtituenda eſſe juxta politiam hujus eccleſię declarabantur : Et denique de fœdere nationali.] Qua declaratione admiſſa ſynodi ſanctio inutilis fuiſſet, & perſpicue præjudicatum fuiſſet ſynodi decreto, ſi aliter ſancitum fuiſſet in parlamento, aliter vero in Synodo. Atque licet aſtrictus eſſet Deputatus regius non ſolum expreſſe ſancire & rata facere ſynodi decreta, ut vim legis haberent ad vigorem publicæ obſervantiæ, verum etiam reſcindere & refigere quæcunque ſuperiorum temporum ſtatuta ſeu directe ſeu indirecte ſynodi decretis contraria eſſent, prout ſemper apud omnes fieri ſolet, (abſurdum quippe eſſet, ut ea ſtatuta parlamenti, quæ ob id ſolum condita ſunt ut ſynodi canones ſanciant, non refigerentur, cum fundamentum cui innituntur, ab eccleſia euerſum fuerit, quæ cum ex ſe non poſſit civilem ſanctionem abolere à parlamento; cum eccleſiæ decreta ſancit, neceſſario refigenda ſunt ex conſequente, & ex natura rei) *Renuerat tamen ſuperiorum temporum ſtatuta, quę pręſentis Synodi decretis contraria eſſent, abrogare. Reniſus eſt etiam ne eccleſię privilegia ſua reſtituerentur.* Ordinationis, videlicet, paſtorum per presbyteria ſeu claſſes, & plantationis quarundem eccleſiarum ab Epiſcopis vi presbyteriis ereptarum, licet Deputati eccleſiaſtici obtuliſſent ſe ſtatim demonſtraturos, jus illud controverſum proprie

prie ad Eccleſiam pertinere: *Denique quicquid ab eccleſiarum deputatis propoſitum fuit in evidentem eccleſiæ utilitatem, non ſolum directe rejecit, verumetiam eoſdem aſpere habuit*, ſæpius repetendo, paſtores tandem futuros pejores Epiſcopis; & ſimilibus verborum contumeliis: Atque ſic ſpe omni præſentia mala corrigendi excidimus; promiſſiſque manu regia obſignatis prorſus fruſtramur: Nam quanquam per ſynodum nationalem, ipſo deputato regio aſſentiente, omnibuſque ad ſynodum deputatis, ſine unico contradicente aut hæſitante ſuffragio, adſtipulantibus; Epiſcopatus ex hac eccleſia ſubmoveatur; *retinent tamen Epiſcopi conſuetos titulos & ſubſcriptiones, & pari quo antea dignitatis & honoris gradu coluntur*: Iudicet itaque mortalium quilibet, an religioni debita ſua ſecuritas præſtetur, (quod diviſioni & factionibus inter nos procurandis toties fruſtra objicitur) an non vero potius eadem ſubvertatur, & ſpe noſtra nos fruſtremur?

Rebus ad eccleſiam ſpectantibus ſic repudiatis, negotia quædam politica urgebamus (quandoquidem in eum finem coeant parlamenta, ut gravamina corrigant, & leges ſanciant, & sereniſſ. rex indictionis mandato declaraverit ſe illud convocaſſe, ut libere ſine ulla prælimitatione vacaret determinationi cauſarum omnium civilium, & procurationi ſolidæ pacis in regno) præſertim vero illud urgebamus, de *Conſtitutione plenaria membrorum parlamenti & Dominorum pro articulis*: ad quæ Epiſcoporum abdicatione cogebamur. Sed hiſce, utcunque ſumme neceſſariis, Deputati regii aſſenſum impetrare non potuimus, licet ſemper obtulerimus, legitimos fuiſſe noſtros hoſce conatus, ex ipſis parlamentorum publicis regiſtris demonſtrare, quæ cum ex induſtria nobis ſubducta fuiſſent, (& hoc etiam à ratione quam longiſſime abeſt, ut non liceat ſupremo tribunali ſua ipſius ſcripta publica conſulere) & nos obtuliſſemus locum

pecu-

peculiarem deſignare ubi laterent, Deputatum humiliter ac enixe obſecrantes, ut mandato ſuo proferri juberet in publicum parlamenti uſum, polliciti ſine damno eadem nos repoſituros; Sed & hoc etiam rejecit, quo ſatis oſtenditur conſulto & dedita opera ſcripta illa nobis tum ſubducta fuiſſe. *Statutum pacificationis* ſeu legem ἀμνησίας ſancire recuſavit: niſi eo tenore formatum amplecteremur, quo ad ſempiternam noſtram infamiam, fœdæ rebellionis crimen literis indelebilibus inſcriberemus frontibus noſtris. Solenne illi fuit, cum argumentis minime dubiis quidpiam urgeremus, reponere, *Aſt aliter vult rex, et coget vos ad illud, ſi non pejora, faciendum*: argumentum certe periculo plenũ, quod in liberis parlamentis audiatur, & quo alii aliquando etiam premi poſſunt; uti nos hactenus. Cum Deputatus regius objeciſſet contra ea quæ à nobis propoſita fuerunt; quod regi vid. antea non innotuiſſent, nec inſtructionibus ſuis comprehenſa eſſent, licet parlamentum noſtrum libere poſſit ſententiam pronunciare de omnibus civilibus negotiis ad regni utilitatem pertinentibus, & manifeſtæ ſervituti ſubjiceretur regnum hoc, ſi parlamento magni ſigilli obſignatione munito non liceat proponere & determinare de rebus quibuſlibet ad ſe proprie pertinentibus, niſi primum petita venia & reſcripto ſeu mandato ab aula in eum finem miſſo: Parati tamen fuimus eorundem, contra quæ objeciſſet, relationem in acta differre, ſeu de quibus dubitatum fuit, regi ſcrupulum hæſiſſe, donec plene de omnibus ipſius majeſtatem certiorem feciſſemus; dummodo quædã extra omnem controverſiæ aleam poſita, ac paci ſtabiliendæ multum opportuna, ſublata omni procraſtinatione concludi pateretur: Et hoc etiam nobis fuit denegatum, & *deputati noſtri, mandato regio miſſi ad aulam, ut regem de ſtatu actionum noſtrarum in parlamento, certiorem facerent, inſiuſq; Maj. ſatisfacerent,*

ſtatim

ſtatim ab aula dimiſſi fuerunt ſine ulla audientia : ut vobis ſatis ſuperque notum eſt. *Deputatis etiam expreſſe imperavit parlamenti continuationem ſola regis authoritate, ſine conſenſu ordinum regni* (quod legibus & praxi hujus regni directe adverſatur) *atque alias eadem authoritate diſſolutionem parlamenti ſub pœna rebellionis & læſæ majeſtatis nobis imperavit*, licet excedat ambitum cujuſlibet edicti regii vel minimum ſubditorum cauſa non examinata reum declarare rebellionis, multo minus omnes regni ordines, a quibus quæ rebellionis nomine cenſenda ſunt, declarari oportet. Atque quantumvis perſpectiſſimum haberemus licere nobis legitima authoritate in parlamentum ſemel coëuntibus, non obſtante quolibet reſcripto in contrarium, parlamenti ſeſſiones continuare? Nihilominus ſtatim morem geſſimus, confiſi novo hoc ingenui amoris & ſubmiſſæ fidelitatis exemplo (dum ea tam æquis animis pateremur, ad quæ nulla officii noſtri ratio nos cogeret) facilius tandem potituros aſſenſu regio præſentibus noſtris æquiſſimis poſtulatis, & firmandis in futurum privilegiis, ac ſatisfacturos Anglis, & re ipſa hoſtium calumnias diluturos, (qui pro ingenio ſuo actionem illam noſtram in deteriorem partem procul dubio detorſiſſent.) atque patientiam & animorum noſtrorum in omnibus moderationem orbi univerſo teſtaturos, licet nulla conditio ſtipulata nobis ſincere præſtetur, quod imputamus illis, qui hinc, omnia in deterius torquentes ad aulam perſcribunt, & hoſtibus noſtris qui hæc in aula ſuadent. Hiſce addendum, *quod publica juſtitiæ adminiſtratione privemur*, quo regnum hoc ſimilitudinem refert navis fœda tempeſtate jactatæ, & omnibus periculis, ſine clavo, velis, puppi, aut funibus expoſitæ. *Quod mutuo ſubſidio expenſarum & ſumptuum, quos legitimæ defenſionis gratia ſubivimus, orbemur*: hoſtibus ſtatuen-

tibus nos ſic tandem adigendos ad incitas & extremam confuſionem. *Quod paſtores eccleſiis vacuis non præſententur*, quo paſtorum defectu lupis in prædam exponuntur greges plurimi. Quod *poſtulata noſtra, pro reſtitutione bonorum pauperibus nautis ereptarum, negligantur. Quod ſenatores & alii publicis regni muniis fungentes, indicta cauſa & parte non audita, officiis ſubmoveantur*, quod non novum ſolum eſt, verumetiam legibus regni hujus prorſus adverſatur. *Quod author fuſæ declarationis ſive manifeſti in jus non vocetur, neque in eum animadvertatur*, quod cumulum ſplendidiſſimorum mendaciorum & atrociſſimarum calumniarum contra nos in librum illum conjecerit, quorum, uſque ad 200. numerum, deputati noſtri in caſtris regiis obtulerunt refutationem: Atque licet liber iſte mendaciis & calumniis ſcatens, tum ſynodi tum parlamenti judicio damnatus ſit, ab omni tamen ulteriori cenſura, & in authores inquiſitione abſtinuimus, contenti apud ſereniſ. regem hanc noſtram querimoniam humiliter depoſuiſſe, quia ſub nomine maj. regiæ prodierat: quod tamen ejus verum authorem non magis liberaret ab exemplari pœna, quam regii nominis & inſignium impreſſio falſarios monetæ a ſeveriſſimis pœnis liberat, neque plus fidei apud quemlibet obtineret, quam adulterata moneta. Quod religioſe pacta & conventa omnia præſtiterimus, ac omnia reſtituerimus, præter pauxillum pulveris tormentarii qui conſumptus fuerat, & paucas (*musketas* ut vulgo vocant) de quibus quid factum ſit ignoratur; quorum in utriuſque pretium non excederet ſummam quadragentarum librarum, quam obtulimus rationibus noſtris deputati, cum nobis ſatisfactum fuerit de ſumma nobis debita aut ſtipulata. Quod *nova munimenta erigantur, & magna præſidiariorum militum manus* Berwici & Carleoli *retineatur*,

tineatur, quo diffidentiæ & ſuſpicionis nota nobis regis ſereniſſ. fidelibus ſubditis immerito inuritur, cum tamen pari diligentia locis aliis, majoris momenti, & hoſtium externorum incurſionibus magis opportunis, non provideatur: Atque ut infamia illa & metu liberaremur, deputati noſtri obtulerunt, ordines Scotiæ ſe obligaturos, quamprimum certiores fierent imminentis cujuſlibet periculi, ſexcentos milites ad urbes eas muniendas ſtatim ſubmiſſuros ac poſt duos dies, bis mille, & poſt ſex aut octo dies, 8000, aut 10000. quibus ab omni externo hoſte defendi poterunt. Atque cum milites utrinque dimittendos eſſe articulis in pacificatione ſtipulatis cautum ſit, & nos noſtros ſtatim exautoraverimus, ac dimiſerimus, ſatis patet retentione tot militum in locis nobis vicinis, pactorum conventorumque fidem corrumpi. Quod *arx Edenburgena ab uſu cui deſtinatur*, hoc eſt, ut urbem tueretur, ac civibus auxilio eſſet, *convertatur in civitatis terrorem, & quod in eum finem*, (expreſſe contra conditiones pacificationis, ut videl. omnia in eo ſtatu collocarentur ac retinerentur, in quo ante exortos motus fuerunt,) *ita inſtruatur commeatu & milite; ut ſextuplo excedant numerum, qui a rege ſereniſ. & Marchione Hammiltonio arci cuſtodiendæ ſufficere tum judicabatur*, aut quem comes Traquarius pollicitus erat ſe ſubmiſſurum. Imo qui arci jam præeſt, declaravit 50 aut 60 præſidiarios arci muniendæ ſufficere; cum nunc hunc numerum longe ſuperent, quorum quidam exteri ſint, (contra diſertam legem in parlamentis olim ſancitam, quibus cavetur ne exteris quibuslibet arcium cuſtodia committatur:) inſtructi tormentis ignivomis ſeu pyrobolaribus & aliis inſtrumentis bellicis ad urbes perdendas & comburendas idoneis; defendendis vero prorſus inutilibus. Quod *ſolis peregrinis militibus arx Britannodunenſis*, contra

parlamenti ſtatuta, *muniatur. Quod in inſolita & nova ſacramenta adigantur Scoti, qui negotiis ſuis privatis procurandis in Angliam & Hiberniam excurrunt,* in quæ nullæ aliæ exteræ nationes adiguntur. *Quod diſſidiis adhuc ferveat hoc regnum, neque aliquid operæpretii præſtetur ad domeſticam ejus pacem procurandam. Quod inſigni damno & moleſtiis pauperiores præſertim afficiantur moneta illa ænea*, cujus pretium licet ſenatus edicto diminutum fuiſſet, ſexto tamen poſt die contrario edicto id reſciſſum eſt, quo factum eſt, ut illubenter ac difficulter monetam illam recipiant cives, quæ juſtum valorem ſexies ſuperat: adde quod monetæ hujus prætextu, falſarii ab exteris regionibus omnia repleant adulterata moneta, nullius prorſus pretii. Denique, *quod nihil intentatum relinquatur, quo diviſiones ſpargantur & ſuccreſcant inter nos ſemina*, ſed, Deo gratias, nam artes illas infœliciori quam quo ſuperiori anno, ſucceſſu promoventur, quando ab hoſtibus noſtris jactitatum fuit, ſe factionem inter nos inſignem excitaturos, quæ nos opprimeret, à quà, eventus docuit, non fuiſſe quod multum metueremus. Neque certe putandum eſt hoſtes noſtros aliud hiſce graviſſimis malis, quibus, eorum opera, conſultò premimur, ſibi proponere, quam ut iis fracti tandem opprimamur. Quare Dei & naturæ legibus nobis licet aliquid in noſtram ſalutem ſuſcipere, & innocuam noſtram defenſionem aggredi, cui cœpto benedicat Dominus, quem ſerio precamur, ut velit tandem excitare ſereniſſ. noſtrum regem ad ſeriam Davidis etiam regis imitationem: *ut oculi ipſius attendant ad veraces terræ, ut hos amet, amplectatur, videat libenter, atque his ſociis ſeu miniſtris ſeros ſenectus impleat annos, ut ſævi ſceleris miniſtri nunquam illi cenſeantur inter amicos candidos, ut impios longe, mora nulla, terræ finibus pellat, ac a civitate Iehovæ monſtra hæc flagitiorum reſcindat*: Deum etiam

rogamus,

rogamus, ut ſpiritu prudentiæ & fortitudinis omnibus probis in Anglia adſit, qui cauſam noſtram poſthabito omni diſcrimine, acturi ſunt, ac malum quod imminet impedituri. *Amen.*

Scriptum hoc quam benevole a probis acceptum fuit, tam diligenter etiam repræſentata ſuppliciorum acerbitate ab aliis fuit ſuppreſſum; qui in id ſedulo incumbebant, ne ulla vera rerum Scoticarum relatio ad Anglos perveniret; & ab impenſis belli quod jampridem excitare ſtatuerant, averſos redderet: manu itaque carnificis publice comburenda quæ inveniri potuerunt exemplaria, curarunt, ſatis acerba in Scotos odia & exulcerati animi indicia exhibentes verum prout nihil aliud ab iſtis exſpectari potuit, ita maximo dolori Scotis fuit, quod vulgo creditum fuiſſet regii ſenatus in Anglia decreto id fieri.

Legati Scotorum cum ad aulam regiam veniſſent, 20 Februarii, ſereniſſ. regi ſe ſiſtunt, ac perorante *Laudonio*; demonſtrant, fidelibus regni Scotiæ ſubditis ipſa morte acerbius eſſe, quod nunc denuo poſt tot illuſtria fidelitatis ſuæ in regem exhibita teſtimonia, eadem in quæſtionem vocetur: & innocentiſſimæ ac æquiſſimæ ordinum regni in comitiis actiones traducerentur ut illegitimæ, & jus regium diminuentes, idque a comite *Traquario*; ſe regis ſereniſſ. permiſſu nunc delegatos eſſe, ac adeſſe paratos ad poſtulatorum æquitatem aſſerendam, & diluendas objectiones & calumnias: Rogant itaque regem ſereniſſ. ut coram ipſo, in præſentia ſenatorum utriuſq; regni liceret ſibi ordinum innocentiam vindicare: Epiſtolam a nupera nationali ſynodo regi ſereniſſ. tradunt, in qua poſt ampliſſimas gratias regi actas, ſynodicorum decretorum ſanctionem poſtulabant. Reſponſum fuit a rege, omnia ipſorum poſtulata tradenda eſſe in ſcriptis; ſeque per comitem *Traquarium* ſignificaturum

rum quid ſuæ voluntatis eſſet. Ominoſum ſatis videbatur ſereniſſ. regem noluiſſe altero internuncio aut interprete uti quam *Traquario* cujus opera ingrata fœderatis & infœlix hactenus fuit; ſed difficultates hæ nunc erant negligendæ, & diſſimulandæ: & literas ſupplices quam primum conſcribunt, ejuſdem fere tenoris cum prima oratione, & rogant etiam, ut relatio illa comitis *Traquarii* de actionibus parlamenti; iiſdem verbis quibus expreſſa fuit in regio ſenatu, ſibi traderetur, quo commodius ad ſingula reſponderi poſſit, & ſereniſ. regi ac omnibus faſcino iſtius fucatæ orationis ſeductis plenius ſatisfieret; literas has imperante rege obſignant ſinguli chirographis, rogantes ut idem a *Traquario* fieret, regium reſponſum referente.

Significatum fuit legatis regem velle ut die ſequenti, qui fuit 3. Martii, coram deputatis ex ſuo ſenatu comparerent. verum cum expreſſis mandatis vetarentur, ne ſenatum ipſum vel quoſlibet deputatos judices admitterent; & compertum etiam haberent, ſereniſſ. regem, cui ſoli rationem actionum parlamenti reddere poſſent, ad aulam *Hamptonianam* eo die profecturum; per *Marchionem Hammiltonium* regi ſignificant, ſibi non integrum eſſe quempiam in hac cauſa judicem agnoſcere præter ſolum regem; ideoque enixe ſe rogare ut rex ipſe adeſſe dignaretur; quod factum fuit. Itaque ad regem præſentibus illis deputatis admiſſi, primum vivâ voce, dein ſcripto declarant, Quanto in honore ordines regni Scotiæ habeant ſupremam ſummi magiſtratus authoritatem, quibuſque arctiſſimis vinculis ad eandem defendendam obligarentur: quam chara ipſis eſſet religionis ſuæ puritas & patriæ libertas, quas licet ſubvertere nonnulli niterentur, quæſita ſpecie promovendi prærogativam regiam, ſed revera cauſam tantum ſuam agentes; ſperare tamen ſe ſereniſſ.

regem

regem pro prudentia ſua non permiſſurum, ut *viperæ iſtæ & peſtes regum & regnorum* (prout beatæ memoriæ Rex *Iacobus* indigitare ſolebat) umbra authoritatis regiæ abutantur ad impios ſuos fines conſequendos. Quod ſi peccata (inquiunt) noſtra in Deum, gravem hanc pœnam in nos provocaverint (quod abſit) cogemur bonæ cauſæ & Deo conſtanter niti. Dein priuſquam ad ſpecialem cauſæ vindicationem progrederentur, Rogarunt ſenatores Anglos præſentes, ut æquis auribus dicenda acciperent, neque protinus damnarent, ſi quæ fortaſſe proferantur legibus aut praxi regni Angliæ per omnia non conformia: Nam ſui muneris eſſe, demonſtrare actiones comitiorum regni Scotiæ legitimas eſſe; non ex aliarum nationum inſtitutis, ſed ex præſcripto domeſticarum legum & conſuetudinum regni Scotiæ, ex quibus ſolis earum æquitas aut iniquitas venit nunc dijudicanda: deinde diligenter diſtinguendum eſſe inter actiones ordinum regni in comitiis, quibus legum figendarum & refigendarum poteſtas ſine controverſia competit: & actiones privatorum civium, qui læſæ majeſtatis rei futuri ſint, ſi leges latas propria & privata ſua authoritate refixerint. Denique ſi omnibus objectionibus nunc plene non ſatisfiat; in cauſa eſſe adverſariorum aſtutiam, qui licet actiones parlamenti nunc ſugillent, ſumma tamen diligentia laborarũt, ut objectiones omnes & oppoſitæ difficultates quas nunc ex improviſo expromenr, ab ordinibus regni ſupprimerentur; conſulto etiam ſuppreſſa fuiſſe publica comitiorum regiſtra, licet ad ea ſemper appellatum fuiſſet, uti & adhuc ad eadem conſtanter appellamus.

Poſt ad ſpecialia poſtulatorum capita deſcendunt, inter quæ præcipue illud *de excluſione clericorum à comitiis regni, & jure ſuffragii*: nullum inde oriri

 poſſe

poſſe damnum eccleſiæ, cum in ſynodo, approbante deputato regio, unanimi omnium ſuffragio, renunciatum ſit privilegiis omnibus eccleſiæ in hunc finem antehac conceſſis; ac declaratum pariter ſit, jus illud ſuffragii in comitiis pro clero repugnare eccleſiæ naturæ, quæ ſpiritualis eſt, & damnum inſigne eidem ſemper protuliſſe; eccleſiæ itaque ſano judicio volenti ſe a jure ſuffragii in comitiis excludi, nullam hic fieri injuriam: Sic neque regno ulla fiet injuria clericorum ſeu eccleſiæ excluſione, cum hoc omnium regni ſubditorum flagrans votum ſit, ut ſynodi decreta, in quæ conſentiente deputato regio jurarunt, in comitiis ſancirentur. Sed nullum etiam poteſtati regiæ inde accreſcere poteſt detrimentum; nam cum reges Dei in terris deputati ad tuendam religionem & juſtitiam, inſtar ſtellarum coruſcantium ſint, quibus a Deo conceſſus eſt ſplendor in orbis commodum, bonorum cordibus hoc infixum ſemper erit, ut populi ſibi ſubditi commoda pro ſuis habeant, ac populi ſalutem ſupremam legem ſibi ſtatuant, uti ſereniſſ. rex ſæpius profeſſus eſt, & ut omnibus idem conſtaret, monetæ inſcribi voluit vere regium illud & aureum lemma, *præſum ut proſim*. Prærogativa etiam regia legibus regni Scotiæ definitur. *Ius illud quod regi, quatenus regi, competit in omnium ordinum cujuſcunque conditionis & vocationis ſubditos*: Non vere ſpeciale intereſſe, (ut loquuntur) in unum ordinem magis quam in alium: quæ prærogativa regibus competebat, cum nunquam eſſent in Scotia Epiſcopi, & non ita pridem jus illud prærogative poſſedit rex, cum objuratus eſſet epiſcopatus: Atque cum nullus alius ordinum regni ſcopus ſit, quam ut religionem & pacem ſecundum fundamentales regni leges, & articulos pacificationis ſtabiliant, cumque omnium judicio, parlamentum liberum ſit unicum ſaluberrimum

mum & efficaciſſimum remedium curandis præteritis & præſentibus malis, reſarciendæ concordiæ, ac paci ſtabiliendæ: rogant enixe omnes ſubditi, uti sereniſſ. rex dignaretur imperare progreſſum & continuationem comitiorum, ut articuli hactenus agitati, diligenter excuſſi ac formati definiantur: Interim ſi ſcrupulus hæreat, paratos nos (inquiunt) profitemur ad eundem eximendum, modo ſcripto exhibeatur. Multa tum a variis objecta fuerunt, quibus plene reſponderunt legati, quibus ad hoſpitia reverſis reſponſum affertur, ut poſt reditum sereniſſ. regis ab aulâ *Hamptoniana* mandata ſua oſtenderent.

Itaque rege reverſo ad palatium *Whitehall*, a legatis, 9. Martii comparentibus, exhibita fuerant mandata; & objectum fuit, non eſſe valida & ſufficientia, nec ſubſcripta ab iis quorum intererat. Reſponderunt legati: mandata ſua plena eſſe, ſecundum tenorem reſcripti regii 11. Decemb. 1639. quo permiſerat ordinibus, ut quot vellent ad ſe mitterent, ad demonſtrandas poſtulatorum rationes; & primum ſubſcripta fuiſſe a compluribus ex ſingulis regni ordinibus, tam aliorum quam ſuo nomine, dein obſignata & amplificata, 20. Ianuarii, anni præſentis, a parlamenti deputatis. Idem denuo agitatum fuit, 12 Martii, legatis de ſententia ſua nihil remittentibus; cumque quæſitum fuiſſet, quo jure deputati iſti gauderent poteſtate obſignandi & concipiendi mandata, omnium regni ordinum nomine dimiſſo nunc parlamento; Reſponderunt legati, poteſtatem hanc illis conceſſam fuiſſe in plenis comitiis: in cujus ſubſidium cum ſcriptum quoddam authenticum citarent; sereniſſ. rex juſſit totum prælegi, quia quædam continere videbatur, quibus dicebat jus ſuum regium ſummopere lædi; erat vero ſcriptum illud Declaratio ordinum regni

contra parlamenti prorogationem ſola authoritate regia: multá voce viva hinc & inde in opinionum confirmationem & refutationem proferebantur; & ſtatutum, ut Martii 16. regi demonſtrarent rationes & fundamenta quorundam poſtulatorum, à comite *Traquario* deſcriptorum.

Quibus ſcripto reſponderunt fuſe, ſolutis omnibus contrariis objectionibus: De *prorogatione parlamenti, per regem ſolum excluſis regni ordinibus in comitiis*, dixerunt, novum prorſus eſſe, neque oſtendi poſſe ullum Regum in regno Scotiæ fuiſſe, qui poteſtatem illam ſibi unquam vendicaſſet, aut exercuiſſet, quin contra præter antiqua, recentia eſſe exempla, (& citabatur parlamentum anni 1604, prorogatum à rege cum expreſſo ordinum conſenſu) quibus conſenſus ordinum regni neceſſario aſtruitur: Quod ſi quis objiciat, in prorogatione quorundam comitiorum hanc formulam inveniri, *De mandato domini regis*; nullam vero fieri ordinum regni mentionem Reſpondebant deputati: licet ſtatutum aliquod à rege denominationem habeat, ut comitiorum capite, non tamen inde inferri poſſe, excluſum fuiſſe ordinum conſenſum: nam & exſtant ſtatuta quædam in quibus ordinum regni ſolummodo mentio facta ſit; puerile eſſe ſi quis inferat, regem excluſum fuiſſe: multa in hanc ſententiam nervoſe preſſa fuerunt, quorũ ſumma capita, in ipſa ordinum regni declaratione, expreſſa ſunt, eodem etiam ſcripto demonſtrarunt neceſſitatem & æquitatem quorundam capitum, quæ à Comite *Traquario* regis mandato in quæſtionem vocata fuerunt, videl. de definienda poteſtate dominorum ad articulos: de novis vectigalibus non imponendis ſine conſenſu ordinum regni: de conſtituendo juſto & certo valore monetæ: de cuſtodia arcium munitarum: & de explicatione ſtatuti de camera rationum regia. Quod ſcriptum coram rege prælectum

ctum fuit, & ad objectas difficultates viva voce reſponſum à legatis; qui tum etiam queſti ſunt Comitem *Traquarium* deputatum regium in comitiis renuiſſe ſancire decretum illud nuperæ ſynodi, de removendo ex eccleſia epiſcopatu & cæt. 17. Auguſti menſis, ſuo ipſius aſſenſu condito, quod bis obſignaſſet cum aliis ſenatoribus ſimpliciter ſine ulla limitatione; rogaruntque ſereniſſ. regem ut cum benigno reſponſo, redeundi licentiam ſibi concedere dignaretur, ac comitiorum interruptorum progreſſum quamprimum imperare; cum ex longiori mora periculum non leve creari poſſet.

Verum nihil aliud tum reſponſum fuit, quam comparendum illis eſſe denuo, ad 23 Martii, ut reliquorum etiam poſtulatorum rationes oſtenderent; Quod præſtituta hora, prolixiori ſcripto præſtiterunt: quumque (inquiebant) ſinceris & apertis animis pro ratione muneris nobis impoſiti ſinceram explicaverimus intentionem fidelium majeſtatis tuæ ſubditorum in æquis & neceſſariis illis poſtulatis, quorum ſanctionem in comitiis ex pacificationis præſcripto flagitent, dieſque noſtro reditui præfinitus jam fere tranſierit, rogamus ut redintegratione parlamenti via obſtruatur ingentibus ex mora naſcituris periculis, nobiſque munere noſtro perfunctis, bona cum Majeſt. tuæ venia liceat ad noſtros redire, cum gratiſſimo benigni tui reſponſi nuncio. Reſpondit rex, ſe tempore ſibi maxime opportuno rationes ab iis prolatas perpenſurum, ac prout rebus ſuis commodum judicabit, quid ſuæ voluntatis eſſet, declaraturum: verum nullum ad reditum diem poſſe adhuc ſtatuere. Neq; poſtea publice auditi: ſed primum retenti, dein tres in cuſtodiam judicum *Londinenſium* traditi; *Laudonius* vero turri *Londinenſi* commiſſus fuit, & quid regiæ voluntatis eſſet, ex declaratione regia typis excuſa primum innotuit, qua Scoti conquiſitis

quiſitis undique cauſis violatæ pacis anno ſuperiori initæ accuſantur, poſtulata ordinum regni læſæ majeſtatis regiæ damnantur, intentio reducendi rebelles Scotos ad debitam obedientiam per vim armatam declaratur; Hibernorum alacritas ſe & ſua omnia ad belli hujus proſecutionem offerentium in exemplum Anglis proponitur. Sed de his ſuo loco. Atque hic exitus fuit legationis ex Scotia ad regem, multum certe contra Scotorum ſpem.

Dum hæc interim in aula agitarentur, & omnium opinione ſatis conſtaret nihil aliud quam bellum contra Scotos parari: ut adhuc magis irritarentur centum præſidiarii Angli cum multo apparatu bellico & commeatu *Letham*, portum Edinburgenum mittuntur, cum mandato regio ad præfectum urbis, ut in arcem Edinburgenam deduceret, hactenus duplo aut triplo majori militum numero inſtructam, quam qui ad defenſionem ſufficeret, Sed cum ſpecimine ſingularis ſuæ obedientiæ adverſariorum ſuorum ora occludi poſſe ſperarent Scoti, (quorum corda uſque adeo obduruiſſe contra Regem ſereniſſ. in aula mentiebantur, ut nullis ejus mandatis parere vellent) præſidiarios illos Anglos in arcem admittunt ſimul cum apparatu bellico & impedimentis, & hoc experimento comprobatum fecerunt, quanta obedientia, etiam ſupra omne illud quod leges unquam à quopiam exigerent, mandata ſui regis quantumvis gravia proſequerentur, ſuæque ſaluti præferrent. Sed ne in exemplum poſtea traheretur, declararunt, directe adverſari legibus regni, ut arcium, quæ regni claves ſunt, cuſtodia, aliis quam Scotis committeretur; præſertim vero Edinburgena in qua regni inſignia, corona videl. ſceptrum, & gladius, ſimul cum publicis regiſtris cuſtodiuntur. Violationem hanc legum fundamentalium & privilegiorum regni,

etiam agnoſcente beatæ memoriæ Iacobo 6. in oratione ad parlamentum Angliæ convocatum anno 1607; *ſe non poſſe licet regem, exterorum præſidia Scotis imponere, qualia Hiſpanis, Siculis & Neapolitanis, niſi fundamentales regni leges & privilegia violaret, ac liberum & independens regnum in provinciam ſubactam redigeret.* Admirabantur certe complures gentem Scoticam libertatis ſuæ tenaciſſimam tam facilem fuiſſe ad jugum hoc recipiendum, queritabatur etiam vulgus Edinburgenum damna ſua futura proſpiciens, ab arce omnibus neceſſariis abunde munita, & bellicis inſtrumentis ac machinis fundendis granatis, ad urbis conflagrationem inſtructa: quare cives in tutelam urbis ſuæ milites conſcribunt: ac ut arcis aditum & exitum diligentius obſervarent, non longe ab extimo arcis munimento caſam militarem exſtruunt; cumque arcis præfectus extrema quæque indies urbi minitaretur, Deputatorum parlamenti & ſenatus urbani maturo conſilio arctiori obſidione cincta fuit; præſertim cum certiſſimis nunciis ſubinde ex Anglia relatum eſſet, regem ingentes exercitus conſcribere, iiſdemque ſummo cum imperio præfeciſſe *Northumbriæ Comitem*: & primo vere in Scotiam moturum. Sæviebat interim arcis præfectus, & novo hoc apparatus bellici & præſidiariorum ſupplemento audacior factus, caſam illam militarem ſtatim demoliri, urbanos milites ab arcis aditu faceſſere jubet, quibus mandatis niſi confeſtim parerent, extremam vaſtitatem per granatas urbi interminatur: Cumque ad eum à civibus miſſi eſſent comes *Southeſkius* cum *Ludovico Stuarto* Equite, cauſarum in ſuprema curia advocato magni nominis, ut eum demulcerent, nihil aliud obtinere potuerunt quam vix horulæ vnius moram, intra quam niſi cives mandata capeſſerent, hoſtilia omnia experirentur. Quod cum urbis præfecto aſtantibus civibus relatum eſſet, ac

qui

qui fęderatorum cauſæ non faverent, vaſa colligerent & fugam ex urbe meditarentur; promiſcuum vulgus minis iſtis præfecti arcis ſummopere irritatum, non ſolum impedivit ſuperiorum fugam, verumetiam comitem *Southeskium* cum *Ludovico Stuarto* & aliis cauſæ ſuæ parum æquis comprehendit, & in primariorum civium ædibus cuſtodit, putabat quippe eorum in urbe præſentia & periculo, quum arcis gubernatori grati eſſent, minarum aſperitatem leniendam aut ſaltem differendam; omnemq; moram in lucro deputabat. Magiſtratus tamen urbanus ſimul cum nobilibus fœderatis, qui Edinburgi hærebant, temerarium illud promiſcuæ plebis facinus indigne tulerunt, ac ſatis oſtenderunt, ſe invitis & minime conſciis illud commiſſũ; quod nobilis ille ſenator regius ſimul cum aliis à plebe retentis, ad regem perſcriptis literis teſtati ſunt, ac enixe obſecrati fuerunt, ne vulgi imprudentia magiſtratui aut nobilibus vitio verteretur, cum per eos ſteterit, quominus in gravius malum tumultus ille non eruperit. Hæc tamen excuſatio ſurdis auribus in aula excepta fuit; nam inter alia violatæ pacis argumenta, ob quæ extremæ ruinæ devoventur Scoti, & hoc magno verborum apparatu recenſetur: etenim vel minutiſſima avide arripiebant Scotorum hoſtes, quibus regem sereniſſ. irritari, & Anglos in eorum perniciem animari poſſe putabant.

Inter quos *Deputatus Hiberniæ* palmam aliis præripere ſedulo ſatagebat, & cum provincialibus ſuis uſque adeo prævaluit, ut in parlamento regni illius ingens pecuniæ ſumma regi in bellum hoc concederetur, ac plurimi omnia ſua ad Scotos rebelles in ordinem redigendos offerrent. Lentius tamen res procedebant in Anglia, ubi omnium ordinum complures, anni ſuperioris exemplo ſatis edocti, quam facile eſſet Scotos abſentes traducere, & convitiorum

plauſtris

plauſtris apud imperitiores onerare, qui præſentes ſuam cauſæque innocentiam & æquitatem luculenter aſſeruiſſent: neque ignari fuerunt quorum artibus violenta hæc conſilia contra Scotos primum ſuggeſta ac denuo promota eſſent: necdum exciderant ſingularia illa fidelitatis documenta à Scotis exhibita, dum arces omnes munitas regi tradidiſſent, exercituſque dimiſiſſent, neque alia poſtulaſſent, quam ea ſine quibus religio & privilegia ſarta tecta eſſe nequiverant: quare non movendum temere contra vicinos tam arctis vinculis ſibi conjunctos putabant, & ad parlamentum a rege ſereniſſ. indictum, & Aprili menſe cogendum oculi omnium fuere converſi.

Quod cum animadverterent Scotorum hoſtes, ut omnem ad pacem viam penitus obſtruerent, regi ſereniſſ. authores fuerunt, ut Scotorum legatos, licet regiis literis, & ſalvo conductu munitos, in cuſtodiam mandaret; & *Laudonium* in turri *Londinenſi* arctiſſime cuſtodiri juberet: prætextus fuit epiſtola quædam à Scotis fœderatis ad regem *Galliæ* perſcripta; & *Laudonii* chirographo obſignata: qua qui in Scotos iniquiori animo ferebantur, exquiſita verborum pompa colligebant, regique ſereniſſ. perſuadebant, Scotos regis ſui pertæſos confugere ad Gallum, Regem exterum, & pontificiæ religionis, ejuſque auxilia militaria in Britanniam advocare: & jam ſatis detecta eſſe apertæ rebellionis conſilia, quæ religionis velo ſtudioſe hactenus obduxiſſent. Scoti vero contra demonſtrabant, nullis fidiculis ex ulla epiſtolæ ejus literula, etiam prout typis in Anglia excuſa fuit, conſequentias has colligi poſſe; etenim, uti in primi mo us narratione ſupra deducitur, cum Scoti, anno 1639, menſe Majo, undique certiores fierent, apud omnes exteros cauſam ſuam odioſiſſime traduci, &

faſtiditi

faſtiditi monarchici regiminis accuſari; ac verendum eſſet ne vicini calumniis ſeducti operam ſuam contra eos conferrent; viſum tunc Scotis fuit, vicinos reges & Reſpub. certiores facere, quis eſſet verus controverſiæ ſtatus, & quam longe abeſſent ab impietate iſtâ impudenter iis aſſcriptâ; ſimulque enixè rogare, ut operam ſuam apud regem ſereniſſ. interponerent, qua legitimis & pacificis conſiliis, ſine Chriſtiani ſanguinis effuſione, motus exortus componeretur: Ac inter omnes primus occurrebat *Galliarum* rex, propter antiquiſſimum illud inter duas gentes fœdus: ad quem literas mittendas judicarunt, mandata etiam conceperunt, ſecundum quæ literæ illæ eſſent formandæ, ita ut ſi quidpiam obſcuritatis occurrat in literis, ex adjunctis mandatis interpretandum eſſet: Nec diffitentur Scoti a quodam perſcriptam fuiſſe epiſtolam illam tantopere exagitatam: ſed ipſius formam ſibi non placuiſſe, ideoque rejectam & repudiatam ab omnibus fuiſſe, neque in epiſtolæ formam involutam, ſignatam, ſuperſcriptam, aut datum additum fuiſſe; neque ad eam perfectionem, quamdiu penes Scotos fuit, unquam perveniſſe, ut dignam judicaverint quæ mitteretur, licet nunc ἐπιγραφὴ, a ſycophanta maligno addita ſit, & *dati* abſentia in Scotorum præjudicium detorqueatur, quaſi poſt initam ſuperioris anni pacem conſcripta fuiſſet, cum tamen in ipſo primorum motuum fervore conſcripta ſit; & haud ſatis æquum eſſe dicunt, ut quæ legibus pacis & ἀμνηςίᾳ ſepulta eſſent, nunc in ſcenam adducantur; & vel inde ſatis conſtare prudentioribus factionis ſtudio non occæcatis, quæri ex omnibus angulis renovandi funeſti belli occaſiones; & veris deficientibus excogitari alias. Duo porro ſunt quæ exagitantur in illa epiſtola: quod ſuperſcriptio ſit *ad Regem*; qua ſuperſcriptione
ſubditi

ſubditi tantum ad regem ſuum utuntur: & quod in ipſa epiſtola mentio facta ſit auxilii, quod a rege Gallico petitur. Ad ſuperſcriptionem reſpondent fictam eam eſſe, & licet (inquiunt) vera eſſet; quid inde colligi poſſet? cum titulus ſit regibus omnibus communis; ſi Galli aut Belgæ eo titulo sereniſſ. Britanniæ regem compellaverint, quam vel pueris ridiculum eſſet eoſdem arceſſere faſtiditi domeſtici regiminis: & nunc primum audiri ſolæciſmum aulicum funeſtis belli calamitatibus expiandum eſſe: Ad alterum reſpondent, mentionem quidem factam auxilii a Gallo petiti: ſed mandata adjuncta exponere, quod auxilii genus intelligatur, mediationis ſcil: & interceſſionis; & quod ſi auxilium per pecunias ſubminiſtratas; an non æque licitum Scotis ſe defendentibus, a Gallis auxilii illud genus mutuari, quam adverſæ factioni ad Scotos immerito oppugnandos ab Hiſpanis? Deniq; quid ſi militum ſubſidia intelligantur, quis nobis (inquiunt) vitio vertet; ſi undique preſſi Dei & hominum auxilia imploremus in noſtram defenſionem? Vicini auxilio ſic ſolent eſſe vicinis, ſine ulla juris acquiſitione in alios: advocatione Anglorum ut auxilio eſſent proteſtantibus Gallis & Belgis, tum patrum tum recenti noſtra memoria; & Scotis olim, gentibus illis preſſis nunquam (inquiunt) in mentem venerat magiſtratuum ſuorum imperium legitimum excutere, & auxiliatoribus colla ſubdere: Et concedatur tam atrox illud crimen eſſe, quam calumniantur adverſarii, qua juris ſpecie animadverti poterit in *Laudonium* legatum gentis Scoticæ ſeu internuncium, regis ſereniſſ. ſalvo conductu munitum, ob crimen ante ſuſceptam legationem ab eo tum privato extra Angliam in Scotia commiſſum: cum gentium jure legationis jus ſacrum ſit, &, ut *Cicero* inquit, divino humanoque vallatum præſidio, cujus tam ſanctum

& venerabile nomen eſſe debet, ut inter hoſtium tela incolume verſetur. Porrò licet gentium jure inviolata ſecuritas legatis non eſſet præſtanda, recepta tamen praxis continua inter duo regna Scotiæ & Angliæ, poſt unionem 1603 factam, ſuaderet, *Laudonium*, ſi quid in Scotiâ criminis commiſerit, non puniendum eſſe eo nomine in Angliâ, verum in Scotiam remittendum, & ab ordinariis judicibus ibi legitime judicandum, &c. Hæc & alia hujus generis complura ad vindicandam ſuam innocentiam à Scotis relata fuerunt in libellis typis excuſis: Inter quos unus eſt, titulo Remonſtrantiæ directæ à conventu Ordinum regni Scotiæ, qui tum frequentes cogebantur, ad parlamentum regni Angliæ apertum 15 April. anni hujus 1640, in quo ſtatum cauſæ omnium oculis apertè ſubjiciunt, & motuum horum cauſam in *Cantuarienſem Archiepiſcopum* & *Deputatum Hiberniæ* conjiciunt, qui diſſenſionum authores ſunt inter Clementiſſ: Regem & fideles ſubditos, ut dignitatem (inquiunt) malè partam, licet cum Regis regnorumque ruinâ, tueantur, &c. De verbo ferè in verbum tranſlatum ſubjunximus.

Remonſtrantia de poſtremis motibus, directa à Conventu ordinum regni Scotiæ April. 16. 1640. ad Parlamentum Angliæ.

QVum ſuperiorum temporum hiſtorias perſcrutamur, ut maxima, quæ Deus in hanc inſulam quam colimus, beneficia contulerit, inveniamus; ſecundum religionem Chriſtianam, omnia alia longè ſuperare duorum regnorum ſub unò capite fœliciſſimam unionem, non poſſumus non agnoſcere. Multis quidem artibus conati fuerunt olim reges, ut opus hoc effectum darent: ſed fruſtrà impedient aut prævenient mortales conſilium Dei, qui ſingularem hanc

hanc fœlicitatem nobis & patribus noſtris reſervavit; ut unionis hujus ſpectatores eſſemus, quæ nulla promiſſorum violatione, nullo ſanguine inchoaretur; ſed ut Dei donum nobis contingeret per ordinariam illam juris januam, regibus cum aliis communem, & ab utraque gente ut utilem, lubenter amplexatam. Quo verò ſucceſſu inchoata & continuata hactenus ſit hæc Vnio, ſatis teſtantur pax & rerum omnium ubertas, quibus nos gaviſi ſumus, dum vicinæ omnes in Europa gentes in campum ſanguinis & deſolationis commutarentur. Quo etiam animo religionis noſtræ hoſtes fuerint in amicam hanc & pacatam noſtram Vnionem, & quam obliquis ac æmulis oculis vicina regna nos aſpexerint, ſatis loquuntur annales. In præſentiarum tamen, cum in memoriam revocamus quæ præterita ſunt, & in præſentia mala incumbentia & imminentia oculos conjicimus; Ingenue in noſtrum reatum & dedecus agnoſcimus; neque Scotiam, neque Angliam in hunc uſque diem ſatis intellexiſſe, aut, prout decuit uſam fuiſſe ſingulari hoc beneficio: ita ut exiſtimatio noſtra apud exteros augeretur, aut domeſticæ ſecuritati melius provideretur, aut ut reformatæ aliæ eccleſiæ præſens illud ſolatium & auxilium, quod a nobis ſub cruce gementes exſpectarunt, expertæ fuerint. Quin contrà, licet inviti, facti ſumus inſtar fractæ arundinis, & ſcopuli ad quem impingerent & naufragium paterentur, quotquot receptum apud nos exſpectarunt, quo ſe à fœda, qua jactabantur, tempeſtate extricarent: Ad noſmet ipſos vero quod attinet, Altera gens in alteram converſa eſt in flagellum correctionis & zelotypiæ, a paucis quibuſdam improbis diſſidia ſerentibus, regem à ſuis ſubditis, & ſubditos à ſuo rege abalienantibus, & fratres in ſe mutuo concitantibus, ut ipſi interim omnes promiſcue perderent.

Inter omnes vero authores malorum, ſub quibus utrumque regnum jampridem gemuit, & nunc aut nunquam (ut videtur) liberandum eſt, Nulli ſunt qui ſuo merito primas ſibi tam vendicant, quam quidam inter vos, qui ſe Eccleſiaſticos vocant, & deſerta propria ſtatione, ignari ac infœlices politici evaſerunt; qui eccleſiam ejuſque dogmata converterunt ſubditis in ſervitutem, ſibi in licentiam, regi in iniquam uſurpationem ſeu tyrannidem; à quibus diu antehac nobis meritò metuendum fuerat veſtro exemplo, & quos, in gravi & ſolenni remonſtrantiâ, ante annos aliquot regi ſereniſſ. exhibitâ à deputatis ad parlamentum veſtrum in inferiori domo, (ſeu ex plebe) deſignatos, accepimus, præcipua fuiſſe inſtrumenta & objecta veſtri metus de mutatione religionis & regiminis politici apud vos: An vero ſic cohibiti fuerint, ſuggeſta veſtra & libelli ab iſta factione poſthac editi ſatis teſtantur: quin quam pertinaciter impiis ſuis finibus promovendis adhæreant ſatis loquuntur eorum contra nos conatus, & horrendæ machinationes; obtrudendo nobis libros liturgiæ & Canonum, qui ſemina pontificiæ ſuperſtitionis & tyrannidis continent, quo perſpicue demonſtrarunt, quam bene de *Romana aula* meriti ſint, utpote quod quantum in ſe eſſet procuraverint, ut eccleſia noſtra, quæ longiſſime à Romana ſeceſſerat, prima rediret, & exemplo aliis ad redeundum eſſet. Nec obſcurum, quantum adhuc Romanenſium & omnium regni utriuſque hoſtium cauſam promovere poſſint, ſi truculento bello religionem & utriuſque gentis privilegia exponant, tanquam ſacrificium ad præſentem ſuam rabiem ſedandam, qua ob ſpem eluſam feruntur, aut ad conſulendum ignominioſæ & meritiſſimæ ſuæ ruinæ, à qua ſibi metuunt.

Poſteri certè haud facilè credent, (nam & nos qui vidimus, admiramur) qui factum ſit, ut ſubditi in Scotia

Scotia (cujus unio cum Anglia cognita eſt plus conducere ad pacem domeſticam, & tuendam exiſtimationem apud exteros, quam ullæ affinitates, fœdera, artes, victoriæ à veſtris principibus unquam obtentæ) nativum ſuum principem inter vos hærentem tamdiu obſecrati ſint, ut æquo jure ſecum ageret (quod ſubditis ſuis præſtare tenetur) & ut dignaretur æquis auribus accipere juſtas eorum querelas, contra paucorum tyrannidem, religionis & regni ſtatum cuniculis ſuffodientium, ac illis permitteret, ut ſuis legibus viverent; neque unquam tamen æqua hæc poſtulata obtinere potuerint: Multo minus vel conjecturis unquam colligent poſteri, qui factum ſit, ut unicus præſul regi ſereniſſ. diſſuadere potuerit, quod communibus & flagrantiſſimis votis ab integra hac gente poſtulatum fuerit, quove ſingulari merito plus gratiæ & fidei apud regem obtinuerit, quam ſubditi omnes hujus gentis tam antiquæ, tam fidelis, quæ decus regium in una linea, & propriam libertatem ſupra omnia Europæ regna diutiſſime conſervavit ac tutata eſt.

Etenim cum in memoriam revocamus, quantam nobis fortitudinem, & animorum conſtantiam ab horum motuum initio indulſerit Deus, ad religionem & privilegia noſtra propugnanda: ne in ſervitutem tam animæ quam corporis præcipites protruderemur, à qua nulla fuiſſet ſpes nobis & poſteris noſtris noſmet extricandi, quæque ob arctam vobiſcum eodem ſub rege unionem, periculoſiſſimæ fuiſſet conſequentiæ veſtris privilegiis, cum tempore & locis ſuis in controverſiam vocarentur: Contrà vero, quam violentis & inuſitatis mediis uſi ſint noſtri adverſarii, ne rerum noſtrarum certa cognitio ad Anglos perveniret, & quam iniquis ac falſis calumniis omnes noſtræ actiones traducerentur, ut vos ad vindictam iſtam exercendam irritarent, quæ

in capita noſtra decreta fuit eorum conſiliis, qui regem sereniſſ. pro arbitrio circumagunt, hancque ſuam male partam amplitudinem ſtabilire conantur, oppreſſione religionis & libertatis fidelium utriuſque regni ſubditorum, Cum hæc in memoriam revocamus, non poſſumus nos continere quin Deum ex animis laudemus, quod nos invicta patientia & conſtanti hoc animorum propoſito hactenus armaverit, ut quantum in nobis eſſet, Nationalis contra vos controverſiæ occaſionem omnem evitaremus: nam vobis in memoriam recurrat, Rege, licet horum conſiliis, cum exercitu contra noſtram ſpem in nos, non ita pridem, movente, neglexiſſe tamen nos omnia quæ incolumitatem noſtram egregie promovere potuiſſent, nec reſiliiſſe à tramite obedientiæ; & ne offenſionis vel minimam ſpeciem dilectis noſtris in Anglia fratribus daremus, patriam noſtram ruinæ potius objeciſſe, quam ut veſtram periculo cuilibet exponeremus: Imo, cum non abſque ſtupore & horrore accepiſſemus inuſitata neque unquam antehac audita edicta contra univerſam gentem, quæ nunquam rea fuit cujuſlibet contumaciæ contra regis ſui legitima mandata, ea tamen irritatione neglecta, nihil inter nos aliud auditum tum fuit, quam ſupplices ad Deum preces pro ſereniſſ. noſtri regis incolumitate; ſingulorumque intenſiſſima vota, ut vitam ſuam exponerent, & ſanguinem effunderent ad incrementum honoris & coronæ regiæ; & qui in illas licet anguſtias redacti, vix ac ne vix quidem in ſuam tutelam & ſalutem ſe armarent.

Difficulter ſane perſuadebitur exteris; quibus mediis duæ gentes ſibi invicem tam vicinæ, & omnibus amicitiæ ac benevolentiæ vinculis tam arctis conjunctæ, ad eum ſtatum reduci potuerint, in quo non ita pridem fuerunt; & ad eam periculoſam ruptionem, quæ noſtro ſæculo haud facile

(ut nihil

(ut nihil gravius dicatur) coaleſceret, præſertim cum nulla probabilis ſe prodiderit cauſa, cur in hiſce controverſiis, quæ vos & veſtra privilegia non tangerent, nedum læderent, nobis adverſaremini.

Sed Dei opus fuit admirabile in oculis noſtris, quod impedimenta ab adverſariis noſtris in toto hujus negotii progreſſu objecta, totidem fuerint quaſi gradus quibus promoveretur: uti omnes bene norunt, & ingenue agnoſcunt, quorum qualicunque opera Deus hic uſus eſt.

Porro ut teſtaremur tam fidelitatem ac animorum noſtrorum ſinceritatem, erga famam ſereniſſ. noſtri regis, (licet tum armati contra ſuos ſubditos,) quam amorem fraternum in nobiles & alios veſtræ gentis; (quibus nihil aliud propoſitum fuiſſe credimus, quam ut regem comitarentur, licet revera ſic ſatisfacerent ambitioni & crudeliſſimæ vindictæ miſeri Præſulis) Æquiſſima & humilia noſtra poſtulata regi adhuc obtulimus, prout tam piæ cauſæ defenſores decuit; & in tractatu pacificatorio omnem operam dedimus, ut abunde ſatisfaceremus omnibus quæ requiri poſſent à fidelibus ſubditis, quibus regis noſtri honor cordi eſſet, idque non ſine noſtro probabili incommodo, (adverſariis etiam noſtris judicibus) Nam regi ſereniſſ. arces omnes munitas quas voluit, tradidimus, in ſplendidiſſimum obedientiæ noſtræ teſtimonium, licet à nobis cuſtodiri potuiſſent, ut totidem arrhæ quibus certi redderemur præſtitum iri articulos conceſſos, & concludendos in ſubſequutura ſynodo & parlamento: quæ tamen arces contra noſtram ſpem converſæ ſunt in catenas ſervitutis & terroris, ne articulis in pacificatione ſtipulatis frueremur.

Atque licet promiſſorum fides corrumpatur, pro

ſingulari tamen & tenero erga sereniſſ. regem affe-ctu, & ſerio dolore ob dedecus, quod per improba ejuſmodi inſtrumenta rex noſter patitur, Ingenue profitemur, nos fraude non fuiſſe tum circumventos, neque adhuc pœnitere quod verbo regio ſimpliciter confiſi fuerimus: Etenim ſciebamus nobis tum rem fuiſſe cum rege noſtro, cum quo ſicut minime decet ſubditos de appendicibus contendere, cum de rei ſumma conventum eſſet, ita perſuaſum nobis fuit, (niſi rex tandem ſua ſponte judicaverit, quantopere ſeductus fuerit contra nos ſuos ſubditos, qui tam egregia exhibuimus teſtimonia confidentiæ noſtræ, & juris quod in ipſius gratiam ſupra alios merito vendicamus, verum perrexerit omnes occaſiones nobis lædendis proſequi) perſuaſum dicimus nobis fuiſſe, eidem prætextus ſpecioſos & fallaces contra nos nunquam defuturos, cum ſtatuet à pactis & conventis reſilire. Decebat etiam damna illa periclitanda eſſe, ac ſucceſſum Deo committendum, quibuſcunque demum incommodis afficeremur. Etenim niſi verbum regium, quod ſubditis ſuis oraculi loco eſſe debet, & promiſſorum ac contractuum fides ſigillo & ſubſcriptione obſignata (cui in omni ſocietate humana fides ſuperſtruitur ac innititur, quæque apud Ethnicos & Turcas ſacra & inviolata manet) regi sereniſſ. tandem perſuadeant, ut articulis pacificatoriis promiſſa reipſa præſtet, tum vere judicamus nihil a nobis tunc formari aut peti potuiſſe, quod nobis nunc conduceret: uti nihil eorum quæ pacta fuerunt, conducunt, neque quæ a nobis tum conceſſa fuerunt, eo animo accipiuntur quo ſperabamus; (licet ad ea concedenda nulla alia quævis ratio nos cogere potuiſſet, quam ut per eorundem conceſſionem plene & realiter articuli pacti præſtarentur) Quin contra quantum ex præteritis omnibus

mnibus colligi poterit, liquido conſtat, pacem hoſtibus noſtris nunquam propoſitam fuiſſe, nec adhuc intendi.

Nam totum illud pacificationis negotium in ſtratagema converterunt, quo vafra & aſtuta ſua conſilia occultius tegerent, certa ſpe facilius ſe impia ſua aſtutia obruituros, quos aperta vi non potuerunt; Oſtentantes quidem exercituum diſſolutionem, ſed replentes interim limites milite præſidiario, ut belli diuturnioris fundamenta ponerent: Et cum arces hujus regni munitas a nobis reciperent, ea expreſſa conditione, ut in eodem ſtatu manerent, quo ante exortos motus fuerunt, ſtatim tamen eaſdem inſtruxerunt in nidos violentiæ contra primarias regni partes. Evocarunt inſuper *Berwicum* (Angliæ oppidum munitum) complures noſtrûm eoſque ordinis primi, ſub tenui negotiorum quorundam peragendorum prætextu, (cum tamen totum pacificationis negotium a paucis ex illorum evocatorum numero concluſum fuiſſet) cumque eorum quidam *Berwicum* adveniſſent, in cæterorum adventum omnia illa negotia ſuſpenſa fuerunt, eoſque remiſerunt, ut ſocios tanquam in naſſam deducerent. Cumque nec ars illa proficeret, Conſultatum fuit inter eos de intercipiendis primariis quibuſdam noſtris nobilibus; quæ occulta & ſanguinolenta conſilia Deus miraculoſe poſtea aperuit, & ad eorum confuſionem, qui authores & fautores fuerunt viliſſimorum ejuſmodi ſicariorum, amplius aperiet. Atque, quod artificii ſui caput fuerat, & in quo omnem ſuam ſpem collocarunt, permiſerunt, ut res omnes eccleſiaſticas controverſas definiret ſynodus, deputato regio, regis ipſius nomine in omnia decreta conſentiente, ac eorundem confirmationem & ſanctionem in parlamento proxime ſubſequuturo, ſacroſancte pollicente, qua

arte apud ſe ſtatuerunt, alterâ ſe manu ablaturos quod unâ darent: Etenim ſpecies hæc concludendi res eccleſiaſticas per ſynodum, quas tamen in parlamento ratas habere nolunt ad publicæ obſervantiæ in Repub. vigorem, uti prorſus inefficacem reddit ſynodi operam, ita prætextum quendam præ ſe fert, iis conſiliis promovendis, ad quæ maxime aſpirant, ut videl: ſequutura ruptio & tumultus, ad quem ſe etiam tunc accingebant, non poſſet putari futura pro religione, quam in ſynodo plene compoſitam fuiſſe allegabant; ſed pro aliis in Repub. quæſtionibus: Et judicatum certe fuit ſatis probabiliter res eccleſiaſticas in ſynodo compoſitas fuiſſe, deputato regio aſſentiente, ſed prudentioribus ſcrupulus ſtatim objectus fuerat de negotii ſinceritate, cum per Declarationes & explicationes poſticam ſibi parare deputatum regium deprehendiſſent, quibus negare poſſet quæ antea ſuo ipſius conſenſu & ſuffragio definita fuerant.

In hoc rerum ſtatu apertum fuit parlamentum, & continuatum, non tam ut componeret & ſanciret res eccleſiaſticas, prout promiſſum fuerat & nos etiam ſperabamus, verum ut ſervitutis exemplum (tam patribus noſtris quam nobis inauditum) nobis obtruderet; ac tandem regia authoritate diſſolutum & prorogatum fuit ſine ordinum regni conſenſu, quod, cum directe repugnet legi & continuæ praxi hujus regni, legibus pacificationis adverſatur.

Atque licet majores noſtri in tali rerum ſtatu aliter ſe geſſiſſent, nos tamen ſolis precibus & libellis ſupplicibus cum rege ſereniſſ. egimus; utque conſtantem & invictam noſtram obedientiam regi oſtenderemus, Deputatos noſtros *Londinum* ablegavimus, qui tamen rejecti fuerunt, quoſque nec videre nec audire dignabatur rex: Nihilominus

lominus ut ſingulari noſtra patientia adverſariorum malitiam tandem expugnaremus, deputatos noſtros denuo ad aulam delegavimus, æquiſſimis mandatis inſtructos, utpote quibus nihil aliud contineretur & peteretur, quam quod antea conceſſum fuit, & regis sereniſſ. ſigillo & chirographo obſignatum, quodque a tam pio & juſto rege rejici non potuit: Etenim ſumma & ſubjectum omnium noſtrarum ſupplicationum, proteſtationum, informationum, declarationum a principio fuit, ut fundamentales regni leges (hactenus violatæ) & religio (aperte hactenus corrupta) in libera ſynodo nationali & parlamento denuo ſancirentur, & in violationis utriuſque improbos authores animadverteretur; quę magis expreſſe in articulis pacis exprimuntur, quibus cautum fuit, ut res omnes politicæ parlamenti, & Eccleſiaſticæ ſynodi judicio definirentur: porro cum ſynodus à rege promiſſa & conceſſa, controverſias omnes eccleſiaſticas fœliciter compoſuiſſet, dignaretur rex ſereniſſ. parlamentum concludere, quo decreta illa eccleſiaſtica ſancirentur, & controverſiæ aliæ civiles legitime componerentur, prout diſerte pactum fuit in tractatu pacificatorio ad caſtra regia. Propoſitiones tamen hæ quantumvis perneceſſariæ, a ſereniſſ. & clementiſſimi regis noſtri auribus excluſæ fuerunt, per *Archiepiſcopum Cantuarienſem & Deputatum Hiberniæ*, qui (factione papiſtica circa regem præpotenti valide muniti) omnia negotia tam politica quam eccleſiaſtica ſoli expediunt, & ut operæ ſuæ neceſſitatem ſerenis. regi oſtendant, prætextu vindicandi honoris regii, juſta ſubditorum privilegia & veram reformatam religionem in omnibus regis regnis opprimunt.

In quo impio conatu jure meritoque dicimus ipſos plurimum profeciſſe, ſi præſens conceſſio liberæ ſynodi

ræ ſynodi & parlamenti (quæ agnita fuerunt in legibus pacis anno ſuperiore ictæ, ut unicum eccleſiæ & Reipub. incommodis auferendis, & pacem ac utriuſque regni incolumitatem procurandi remedium) cum tandem ſortiatur ſucceſſum, quem in Chriſtiana eccleſia olim habuit ſynodus iſta *Tridentina*, quæ cum eccleſiarum reformationi deſtinata eſſet, ambitione tamen & avaritia eccleſiaſticorum, & infœlicibus principum tum regnantium ſuſpicionibus, quibus potior fuit propria utilitas quam Chriſti & eccleſiæ commodum, converſa fuit in primarium & efficax medium, quo papæ & eccleſiaſticorum tyrannis ſtabiliretur.

Majori etiam metu nunc tenemur, cum obliquas & ſibi invicem oppoſitas artes intuemur, nam nobis denegatur parlamentum, licet verbo regio promiſſum ſit, idque in utriuſque regni ſalutem; Et vobis conceditur, licet inexſpectatum, ob rationes quæ prudentioribus haud facile excident; Et *Hiberniæ* obtruditur licet non poſtulatum; prodeunt commiſſiones quibus nos deſtruendi poteſtas conceditur, licet alterius criminis nobis conſcii non ſimus, quam quod conſtantibus precibus apud regem inſtiterimus, ut parlamentum concluderet, & leges pacis præſtaret: parlamentum noſtrum, contra leges, & diſertos pacificationis articulos, diſſolvitur: præſidia militaria nobis obtruduntur, ut cogeremur obedientiam denegare iniquis ejuſmodi mandatis, & noſtræmet incolumitati conſulere; Quæ omnia certo ſcimus excogitata eſſe, ut quæſtio contra nos quæreretur, & fundamentum falſæ alicujus & longe petitæ ac extortæ contra nos remonſtrantiæ: Nunc vero peculiari ſtudio & conſilio iſtorum ſupra memoratorum, ingens exercitus contra nos paratur, & extrema pernicies ac ruina religioni & patriæ noſtræ interminatur.

Quare,

Quare, ne ſilentium noſtrum, tempore tam neceſſario, argueret neglectum officii noſtri erga Deum & regem, erga incolumitatem & honorem patriæ noſtræ, ac communem utriuſque regni pacem, quę omnia artibus hiſce periculo certiſſimo exponuntur; Coram Chriſtiano orbe, & dilectis in Anglia fratribus, præſertim vero vobis repræſentativo regni corpori in parlamento fœliciter convocato, ingenue & candide profitemur, Nos non poſſe aliter judicare, quam quod omnia illa conſilia non ita pridem ſuggeſta ab impotentibus quibuſdam conſiliariis, qui nunc ad clavum ſedent, & omnia pro arbitrio circumagunt, non ſolum proveniant ab iis qui ob fines privatos aſſumpta ſpecie promovendi juris regii, idem tamen revera debilitant, & regna in confuſionum abyſſum protrudunt, verumetiam quod conſilia illa in *Conclavi Romano* & in *Hiſpania* primitus excogitata fuerint, & tranſmiſſa ac commiſſa ſubdolis ſuis inter vos ſociis, qui *progenies* verè *viperina* ſemper fuerunt, ac omni opera conati ſunt materna viſcera fœde dilaniare: quibus ſolenne eſt, quamprimum *eccleſiam Romanam matrem* agnoverint, eique ſe ſubmiſerint, tam cito *regem Catholicum patrem* agnoſcere, propriumque ſuum regem *uſurpatorem* ac *injuſtum poſſeſſorem*, ſi *hæreticum* æſtimaverint. Ita quidem ut nobis abunde perſuaſum ſit; non amplius opus eſſe invicta claſſe qualis fuit illa anno 1588, nec proditione ſulphurea, aut ulla alia quavis regia claſſe ab *Hiſpania*, (qualis illa fuit quæ anno ſuperiori litoribus veſtris imminebat, vobis vel eo nomine magis metuenda, quod tempore tam inexſpectato & inopportuno advenerit) quæ inſulam hanc obruat; ſed ſatis illis futurum omnem operam impendere, (& quin faciant non dubitamus) ut flamma hæc civilis belli tamdiu fumigans tandem accendatur, utque eandem

dem recte foveant, (quod certiſſime præſtituri ſunt) præſertim cum ad manum ſint quæcunque fovere, & longiſſime abſint quæ flammæ huic, ſi ſemel in incendium erumpat, reſtinguendæ conducere poſſent; & quod multo peſſimum eſt, cum ſatis appareat exſtingui non poſſe ſine inſigni victoris damno.

Præterea licet merito ſuſpicari poſſemus, convocatione hac veſtri parlamenti, quæ eorum conſiliis ſuggeſta fuit qui malum hoc civilis diſcordiæ in clariſſima hac inſula ſine veſtro conſenſu aut conſilio excitarunt, intendi, ut oleum potius quam aquam reſtinguendæ huic flammæ afferatis; & in motuum horum fervore vobis auxiliatoribus utantur ad conſtantiſſimorum veſtrorum amicorum ruinam procurandam; quos illi interim ut hoſtes ſuos ulciſcentur. Nihilominus tamen bonis omnibus in celeberrimo veſtro cœtu non ingratum futurum ſperamus, quod ſummo animi gaudio & hilaritate profiteamur ac declaremus, vincula amoris & fraternæ charitatis inter nos eſſe mutua, & ſibi invicem in omnibus erga Deum & hominem, principem & populum officiis uſque adeo arcte conjuncta, ut communes amicos & inimicos neceſſe ſit habeamus, ſeu promiſcuam utrique ſalutem contra hoſtes exteros defendendo, ſeu alterutrius privilegia contra domeſticos ſubverſores tuendo, a quibus majus imminet periculum: niſi ab unica & firma ſalutis noſtræ regula animus nobis ſit deſciſcere.

Nam cum ratione ſitus hujus inſulæ & unionis ſub uno capite, omnes tanquam in una eademque domo ſimus, qua corruente, in ejuſdem ruinis promiſcue omnes ſepeliemur: omnes tanquam in una eademque navi vehamur, qua naufragium patiente aut ad infames diviſionis ſcopulos impingente, vix enatabimus; Æquis animis feratis, quod tempeſtate adhuc

te adhuc ſæviente de primo hoc ſalutari ſigno vobis gratulemur; quod ſcil. vos navis hujus veros & peritos directores ad clavum adductos conſpiciamus. Rogamus inſuper pro communi jure quod nobis eſt in merces pretioſas,pacem videl: libertatem,religionem quæ eadem hac navi vehuntur, ne ſtationem veſtram in fœda hac tempeſtate deſeratis, (licet conſultius fuiſſet ut temporibus pacatioribus conventus ille veſter indictus fuiſſet) vobiſque ſit ſolatio quod ſereno cælo, quæ ſeſe de longinquo oſtentant nubes, ſupremo noſtro Navarcho prenunciaveritis; ac licet à multis non conſpecti fuere tum turbines,quibus nunc vexamur, à quam plurimis tamen populo deputatis & aliis omnium ordinum videbantur; Qui nubes illas congregabant, deſignabantur, & unde venirent; ferventibus etiam & frequentibus precibus apud ſereniſſ. regem tum inſtabatis, ne ſuam & regnorum ſalutem dereret, & cum navigandum eſſet in periculoſiſſimis & metuendis anguſtiis,ne navem Reipub. eorum arbitrio exponeret, qui ſola ambitione & privato lucro dirigerentur: ac tam regem quam populum ex fida ſtatione & pacis quieto portu in fœdam quæ nunc ſævit tempeſtatem protruſerunt, quæ utriſque nobis naufragium minatur, unde illis ſolis commodi ſpes affulget. Si in hiſce rerum anguſtiis non licitum ſit minimis qui eadem navi vehuntur, admonere imminentis periculi; nos tamen ratione loci noſtri, & pro noſtro jure in veſtram incolumitatem tacere non poſſumus; & licet primam vigiliam peregerimus, & tempeſtatis hujus prima & maxima incommoda, vobis interim alta quiete gaudentibus, forti animo pertulerimus, certi tamen ſitis, nobis minime ſtatutum vos ſolos derelinquere cum vices veſtras peracturi ſitis, ac fortitudinis & prudentiæ veſtræ ſpecimen propediem forte daturi; facile quippe ex præcedentibus vobis innoteſcit,

noteſcit, Nullam ſynodum, nullum parlamentum, nullum fragilem & fallacem articulorum & pacificationis rudentem, quibus ſpes noſtra innitebatur, ullam poſſe nobis certam ſalutem promittére, quamdiu communes vtrique pariter hoſtes ad clavum ſedent, & omnia pro arbitrio apud vos circumagunt.

Priuſquam vero conſilium noſtrum aperiamus, quæ ſint noſtro judicio aptiſſima media malis quibus utrique premimur removendis; Date veniam ut obiter perſtringamus primarias, noſtrâ opinione, cauſâs, quibus à culmine illo fœlicitatis, quâ olim in Europa fulgebatis, pedetentim dejecti ſitis ad miſeram hanc & vilem conditionem, cui nunc ſubjecti eſtis, & in quam veſtro exemplo nos etiam protracti fuimus, ut triſti hac repræſentatione, tanquam in ſubobſcura umbra, coruſcans illud diei veſtri appropinquantis lumen utrique noſtrum ſolatio eſſe poſſit, quod uti ex animis vovent ita certo ſperant Chariſſimi veſtri fratres Scoti, propter ſingularis miſericordiæ divinæ ſenſum erga ſe qui magis in reatu fuerunt, & animis ante exortos hos motus dejectioribus, quam cujuſlibet fere mentem ſubire poterit. Porro, cum calamitates noſtræ antiquæ ſint, neque totam hanc inſulam tam ſubito obruere potuerint, Agite, fontem & ſcaturiginem unde, ac temporis periodum quando primum prodire cœperunt, indagemus.

Quando ratione unionis duorum regnorum, non eſſet quod ab exteris metueremus, noſtrum erat tum providere, ne à nobiſmetipſis damni quidpiam pateremur. Aſtuti inſulæ hujus hoſtes cum ſatis cognitum haberent, arte & occultâ fraude aggrediendum eſſe, quod apertâ vi non auderent, uſi ſunt hominum quorundam ingeniis, quæ ad temporum conditionem ſeſe ut plurimum accommodant, quo factum eſt, ut luxuria & longæ pacis quies plus periculi

riculi regnis attulerint, quam præcedentiũ bellorum anguſtiæ, nam pedetentim ſubditis ſervituti,& regis proprii animi ſenſum & illimitatæ ac abſolutæ poteſtatis regulas ſequi aſſuefiebant; tum primũ perpauci fuerunt, qui ad honorem & gloriam per publicã virtutis viam aſcenderent, tum uſus ſalutaris parlamentorum, in quibus regni veſtri incolumitas & robur ſitum eſt, ſuſpectus eſſe cœpit; & ſic exſtinctis illis publicis auribus & oculis tam regis quam populi, ſupremo ſcil. & magno illo regni ſenatu, pedetentim ſtrata fuit via ad ſenatum obſcuriorem in Conclavi domeſtico convocatum, ubi adulatio, malitia, invidia, & quæcunque mortalium animos in factiones deducere ſolent, regnabant, cumque omnia à paucis ſic inſtructis circumagerentur, idque ſine ulla contradictione,& varii ſpecioſi prætextus obducerentur, quid miramur, ſi miſeriâ ſubditi obruantur, & rex hactenus infœlix fuerit? & licet, poſtquam ſubobſcuri hi ſenatus obtinuerunt, parlamenta aliquando convenerint, tamen uſi ſunt, non ut mediis quibus ſubditorum gravamina tollerentur, ſed quibus regum neceſſitatibus ſubveniretur, atque ita morbos regni quos curaſſent, auxerunt: Cumque nullus ſit malignus humor uſq; adeo pertinax in corpore, qui peritiam veſtram ſuperet, ſi remediis appoſitis & probatis vobis viſum fuerit uti; laboratũ fuit, ut inter vos controverſiæ & lites orirentur de methodo curandi; & cum ad concordiam conſpirare vos viderunt, conventus veſtri diſſolvuntur, & ſic ſine ullâ remedii ſpe, languet Reſpublica: regum errores ac populi dolores & gravamina pariter creſcunt: & ſingulorũ parlamentorum interruptiones ac diſſolutiones novi doloris & morbi materiam ſubditis ſubminiſtrant; qui vel eo nomine periculoſiores & magis fatales ſunt, quod iſtorum abuſuum authores vos contemnant (quando non exerceatis eam fortitudinem & conſtantiam ad

tuendam dignitatem & exiſtimationem quam majores veſtri vobis tradiderunt, & cujus rationes à vobis expoſcent poſteri, quippe quibus jure hæreditario competat, neque in ea à vobis lædentur niſi perpetua veſtra cum infamia, & inſigni ipſorum damno) neque contemnant ſolum, verum etiam audeant regiminis veſtri olim bene ordinati fundamenta ipſa ſubvertere, dum apud populum, cujus libertatibus tutandis tamdiu perſtitiſtis, contemptui vos exponere conantur, & odio apud regem, cujus honori & ſecuritati nihil magis conſultum eſſe poteſt, quam ut nullus tantum apud ipſum prævaleret, quam leges, neque ut ullus ipſi ſeu loco ſeu gratiâ proximior ſit, quam vos quorum conſilia privatis ſtudiis corrumpi non potuerunt. Hi ſunt, (ſi ſemel obtinuerint ut publica regni negotia negligentes, de rebus tantum veſtris privatis ſitis ſolliciti) qui regibus inſtillarunt ac perſuaſerunt, Omnia privilegia & libertates ſubditorum eſſe principum mere gratuita dona, (neque ſubditis jure aliquo nativitatis competere, quod in foro contradictorio allegare poſſent) continuanda aut mutanda pro eorum arbitrio; hi ſunt qui ut obliquos ſuos fines promoveant, principes edocuerunt, penes ipſos eſſe parlamenta inchoare, continuare, diſſolvere, & prout ſibi utilius aut ſecus fore judicaturi ſunt, eadem ſancire, aut rejicere. Atq; ſic quantum penes iſtos fuit, conantur authoritatem & jus regium quod eſſet inſtar radii ſolaris aliis ſolatium & lucem afferret, mutare in Cometam, hoc eſt, ſtupendæ admirationis materiam pro præſenti, & dirum majoris calamitatis ſubſecuturæ omen.

Equidem regis prærogativa, (quæ venerationi ſemper reſervata eſt, & quam temporibus optimis principes prudentiſſimi tanquam myſterium non recludendum cenſuerunt; quam leges ipſi conceſ-

ſere

ſere ſupra omnes privatos ſubditos in communem omnium incolumitatem, quæque in alium finem converti non poteſt quam in populi ſalutem) tantum detrimenti paſſa non fuiſſet, & frequenti ac vulgari de ea tractatione proprium ſuum ſplendorem non perdidiſſet, in manifeſtum juris ſubditorum præjudicium, & veri juris regii debilitationem, niſi thema illud in manus quorundam eccleſiaſticorum incidiſſet, qui in eccleſiæ dedecus & Reipublicæ perniciem, omnes homines omneſque leges ſubjecerunt ſimpliciter arbitrio principis, quem abſolute circumagunt; atque ut ita ſub egregia regalis poteſtatis larva, finem tandem imponant egregio conatui ſuo de mutatione religionis & regiminis quam jampridem meditati fuerunt & ad quam adhuc anhelant: quo conatu vix poterint fruſtrari, cum omnia uſque adeo fœlicem ſucceſſum ipſis promittere videantur.

Nam principem optimum contra nativos ſuos ſubditos excitarunt, cui perſuaſerunt, eos illi non eſſe ſubditos fideles, quia iſtis aperte adverſantur qui religionem ſubditorum corruperunt, & regni pacem interturbarunt: neceſſarium eſſe ut obliviſcatur ſe eſſe ſubditorum nativum principem, quandoquidem ad totius inſulæ Monarchiam promotus ſit: Controverſiamque hanc infœlicem cum ſubditis continuandam, ut prætextu rebellionis ſubditorum, opportunius ſe armis inſtruat, & unum regnum in alterius perniciem committat; donec utrumque pariter in extremam ſervitutem redigatur. Quod ſi hoc non concedatur, Cogi tum principem ut peregrinorum auxilia advocet, omnique alia poteſtate ſibi à Deo conceſſa utatur (hæc certe eſt egregiorum illorum eccleſiaſticorum Theologia) ad ſtabiliendum illimitatum illud & abſolutum regis jus, quod meditantur. Atque ita adjuncto Papiſtarum auxilio (qui nuper inſignem factionem apud vos

excreverunt) & aliorum quos fideles & probos ſubditos vocant, & qui maximum apud vos numerum conficere dicuntur, quorum animos nunquam ſubit, ſe Deo aut hominibus rationem aliquando reddituros injuriæ cujuſlibet qua alios afficiunt, dummodo eâ conditionem ſuam promovere poſſint, quibus addendi illi qui non renuent vinculis ligari modo aureis, & à ſe compoſitis, ut alios ſecum in eadem vincula ſocios habeant, quorum numerus ubique frequens eſt & potentia non contemnenda: Hiſce omnium hominum generibus convenientibus & auxilia ſua deferentibus, conatus iſtos procul dubio perficient. Atque hi ſunt qui ſeſe nos nunc perdituros, ac vos in eandem contra nos ſententiam pertracturos firmiter ſperant.

Neque ullo alio (ut videtur) fine nunc convocamini: nam poſt tam frequentes præcedentium Parlamentorum diſſolutiones & interruptiones, (quibus factum eſt ut fidelibus populi ſui conſiliis & liberis ſubſidiis rex hactenus carere cogeretur, & ſubditorum onera & gravamina ſine ulla remediorum ſpe quotidie adaugerentur) nullus eſt qui non merito admiretur diem illum illuxiſſe quo Parlamentum conveniret, præſertim vero illi qui actionum præteritarum ſeriem ſedulo contemplati ſunt & diligentius obſervarunt quæ nuper facta fuerunt, ut parlamentis non eſſet opus, ac norunt adauctum numerum & reatum delinquentium, quibus inſtitutum eſt ut Parlamentis ſuis honos reſtitueretur; qua re probabiliter ſatis conjicunt, Parlamentum hoc omnium quæ unquam in hac inſula fuerunt, aut futurum fœliciſſimum, ejuſque pacem & commoda maxime promoturum, aut (quod Deus avertat) hoſtium noſtrorum operâ, fatale futurum inſtrumentum ad evertendum tum regni ſtatum, tum eccleſiam: dubitationeſque noſtras in deſperationem,

nem, & metus in præſentem confuſionem converſurum.

Quare probis omnibus, qui religionis ſinceram veritatem, regis honorem, utriuſque regni incolumitatem tempore tam neceſſario & difficili ingenue amant, nunc vel maxime incumbit, ut ſedulo quâ jejuniis quâ precibus cum Deo agant, ut, ſicuti conventus veſtri exordium materiam maximi metus aut ſpei omnibus ſubminiſtrat, ita extrema ejuſdem concluſio cedat præſenti ſæculo in gaudium, & futuro in benedictionem; Cujus quidem ſpei multa hactenus indicia ſe produnt; Et ſi ſpiritus ille prudentiæ, fortitudinis & veri zeli, ad religionem, regis regnorumque ſalutem, in veſtris conſiliis, uti olim, ſe exerat, cui cognitum, quid jam paret & meditetur Dominus, quo priorum fruſtrationum damna veſtra reſarciat?

In cujus fidem & certam ſpem eo magis adducimur, quod omnipotenti Dei manu cogantur malorum noſtrorum authores & fautores, ſatis contra animum ſuum, veſtram operam nunc invocare quâ nos opprimant. Nobis etiam certo perſuaſum eſt, non defuturum quicquid ſubdoli & maligni homines ſeu arte ſeu ingenio excogitare poterint ut perſuadeant, opportunitatem nunc coaptandam eſſe, & controverſias omnes componendas eſſe, onerum veſtrorum levamen quęrendum eſſe, præſertim cum ſine ullis aliis laboribus aut impenſis facile obtineri poſſit, quam ut noſtra gravamina duplicentur. Complures etiam ſpecioſi prætextus producentur, quibus iniqua paucorum conſilia, & damnoſæ iſtæ privatorum conatuum conſequentiæ contra publicam regnorum pacem tegi poſſint. Sed denſam certe oportet eſſe illam nubem præjudiciorum & falſæ narrationis rerum noſtrarum oculis veſtris objicendam, craſſiſſi-

 mam

mam neceſſe erit eſſe iſtam caliginem, antequam tam prudens, conſultum & grave tribunal, ex ſelectis totius regni ingeniis conflatum, in animum induxerit, conſilia illa rata habere, quæ religionis & libertatis noſtræ ruinam ſecum trahunt, in quarum ruderibus veſtræ tam religioni quam libertati tumulum paratũ effodietis, & hoc parlamento efficeretis ne unquam poſthac locus aut uſus foret alterius.

Verum enimvero de vobis (Honoratiſſimi & Ampliſſimi) meliora ſperamus, & qualia ad ſæculi hujus fœlicitatem proprie pertinent, ut videlicet promotione veritatis divinæ Deo ſit gloria, juſtitia in impios regi ſit honos, regno utrique ſalus, & ut noſtra arctiori unione obruantur qui in noſtris diſcordiis ſpes ſuas fundarunt, belloque hoc ad quod vos in fratres veſtros excitant, ſtatuunt uti tanquam equo Trojano, quo omnes illæ calamitates inveherentur, quæ civile bellum in hac inſula neceſſario comitabuntur. Neque dubitamus quin pro veſtra ſingulari prudentia & æquitate (utpote quibus in omnibus deliberationibus nullus alius ſcopus proponi ſolet quam regis ſereniſſ. regnorumque ſalus, quæ nullatenus à ſe invicem divelli poſſunt) aliter de rerum noſtrarum ſtatu judicaturi ſitis, quam hactenus judicarunt iſti noſtri adverſarii, qui ſicuti malorum noſtrorum, & corruptionis, quæ tam in eccleſiam quam in politiam irrepebat, authores fuerunt, ita tam vos quam nos plurima ab iis perpeſſi fuimus, ac jure meritoque queri poſſumus de incommodo & malignitate remedii ab iis adhibiti magis quam de morbo ipſo.

Impias haſce ſuas machinationes nudo prætextu zeli & amoris erga regis ſereniſſ. dignitatem fruſtra tegunt, quandoquidem tendant in manifeſtam ruinam & perniciem fidelium regis ſubditorum,

torum, quorum opes illi ſunt pro theſauro; quorum quies, ejus gloria; quorum corda & amor invicta ſunt præſidia, quorum fœlicitas in coronæ proſperitatem cedit; miſera contra poteſtatis iſtius ſunt effecta quæ nihil aliud profert quam regi imbecillitatem, ſubditis vero calamitatem: neque exiſtimandum, noſtro ſæculo huic benedictunum Dominum, cui ſuperioribus ſæculis maledixerit.

Evolvantur antiquorum ſæculorum annales, ac ubique inveniemus, nihil eſſe quod iram Dei magis contrahat, quam ut Dei cultus & eccleſiæ profanentur; ac in eorum manus incidant qui ſemet mundo vendiderunt, ac politicis principum negotiis manciparunt: ubicunque hoc receptum fuit, certa & evidens demonſtratio eſt mutationis in regimine, ac miſeriarum & infamiæ eorum qui poteſtate illa abutuntur; deprehendetur etiam eorum res in pejora ſemper ruere.

Neque eſt quod vobis in memoriam revocemus diſcordias & atroces controverſias optimorum & fortiſſimorum veſtrorum Regum, cum veſtris Archiepiſcopis in Anglia ipſa, ut in herba ſupprimerent papatum illum quem ſibi inter vos vendicabant, ut videlicet niſi horum arbitrio non liceret regibus ipſis regnare. Qui in præſentia pericula oculos ſerio conjiciunt, neque ignorant qui ſint, mali quod intenditur, authores, facile perſpicient, licet omnibus utriuſque regni ſubditis perſuaderi poſſet, ut onus illud ſponte ſubiremus quod Epiſcopus Cantuarienſis cum factione illi devota nobis imponeret, ac ut agnoſceremus nos teneri obedire omnibus ſpiritualium illorum patrum mandatis, ſtatim tamen patere, aliquod aliud fundamentum ambitioſæ ſuæ amplitudinis allegaturos, quam zelum erga regem sereniſſ. ejuſque honorem: Reges etiam poſteri experien-

tiâ diſcerent, omnes hoſce labores in ſuam propriam gratiam ſubiiſſe, ut tyrannidem ſuam tam in regem quam ſubditos firmarent.

Etenim non putamus eſſe quempiam uſque adeo ignarum, aut ſponte cæcutientem, qui credet, omnem illam rabiem & malitiam qua in Scotorum fœdus feruntur, eſſe, quia regis poteſtatem vere diminuit, aut ſaltem hoſtibus proponit regis impotentiam; nam ſi ita ſe res haberet, Pontifex Romanus & Hiſpaniarum rex multis auri millionibus idem in Anglia & Hibernia redimerent; Non eſt quod diutius diſſimulent; ſatis novimus ubi conſtringantur, Dei quippe manum exertam in noſtro fœdere aperte conſpiciunt, contra injuſtam quam exercuerunt tyrannidem, & pompam ſuam mundanam; ac verentur, ne, ſicuti experti ſunt fœdus illud eſſe inſtar muri ahenei, ſubditis Scotiæ contra malignam ſuam rabiem, quando nullam defenſionem obtinere potuerunt nec in legibus nec in ſuo rege (in cujus tamen gratia ſpecialem locum ſibi deberi putant) verentur (dicimus) ne ejus exemplo alibi periculum ſibi creetur, metuuntque ne ſimul ac ſemel infœlicem exitum tandem ſortiantur omnes artes quibus religionem reformatam ſubvertere conantur. Atque hæc unica cauſa eſt cur tum fœdus illud tum nos tot atrocibus calumniarum & criminibus arceſſant, ut ſcil. odium noſtri & cauſæ hujus aliorum animis inſculpant, ſicut ipſis hactenus impreſſum eſt. Nobis tamen abunde perſuaſum, Ampliſſimum veſtrum tribunal pro ſota ſua prudentia, juſtitia, æquitate nunquam judicaturum, ſufficientem eſſe inter has duas gentes controverſiæ cauſam; quod nos inſtemus ut noſtris legibus vivere, & religionis noſtræ exercitio frui nobis liceat, nam ſi ob hanc cauſam

quilibet

quilibet veſtræ gentis nos invadet, aut regni veſtri vires & potentia in nos vertantur; inique certe non tuliſſetis, neque vos ulla à nobis injuria affectos fuiſſe judicaſſetis, ſi idem nos præſtitiſſemus, quando controverſiæ & diſputationes de jure & privilegiis ſubditorum, fuiſſent inter sereniſſimum regem & vos in parlamento veſtro congregatos: Verum ſicut fœlicia omnia veſtris parlamentis ſemper vovimus, ita non judicamus, labores à nobis ſuſceptos & exantlatos ad noſtra privilegia defendenda, vobis poſſe eſſe gravamina, aut res mali exempli ad veſtrum regnum debilitandum; neque vos in noſtram perniciem concitare poſſe.

Principes maleſanis conſiliis abrepti facile pro arbitrio bella concitant, ſed cum ſubditorum ſanguine controverſia definienda ſit, neceſſe eſſe ut pericula ſubeuntibus & damna, cognita ſit belli cauſa: & quandoquidem civilia bella & domeſticæ diſcordiæ, ut interni morbi, difficilius curantur externis; omni opera providendum, ne excitentur: Cumque ſatis ex prædictis conſtet, primarios turbarum harum authores in id omnem operam poſuiſſe, ut nos inter nos committerent, tanto magis noſtri muneris erit noſmet conſervare, ita ut illi fruſtrentur, & appoſito & opportuno remedio noſtræ & poſterorum ſaluti conſulatur.

Aptiſſimum porro & expeditiſſimum quod nobis nunc occurrit, remedium eſt, ut ſicut cum de regnorum unione olim ageretur, quæ non ſucceſſit, utrumque parlamentum conveniebat, & deputatos delegabat qui de ea agerent; (cum expreſſa clauſula reſervationis legum & privilegiorum) qui rationem reddituri erant eorum in quibus conveniretur, iis à quibus deputabantur:

Ita nunc cum utraque gens in cruentum bellum protrudatur, ad utriuſque libertatis everſionem, nihil eſt quod magis in votis habeamus, quam ut ſereniſſ. rex dignaretur idem aut ſimile quidpiam decernere, quo libere & ſine violentiæ metu convenire poſſint parlamenta quæ per deputatos ſuos locum & tempus definient, ubi diligenti adhibito examine in æquitatem & iniquitatem noſtrorum poſtulatorum plene inquiratur, ne falſis & fictis relationibus diutius premamur; utque liquido conſtet qualia ſint quæ petimus, eorumque fraus & hypocriſis (ſi quæ ſit) aperiatur, nullum ſubterfugiemus examen quod cum jure regni hujus liberi & independentis conſiſtat, aut quod vos, in tali caſu de controverſis veſtris legibus & privilegiis, rege apud nos hærente, non recuſaretis.

Ob quem finem ſi regis exercitus dimitteretur, neque novi milites interim colligerentur, lubenter noſtros exercitus dimittemus, & ab omni apparatu bellico quem in juſtam & neceſſariam noſtram defenſionem comparamus, ſuperſedebimus, quod alia conditione præſtare non poſſumus ſine probabili noſtra ruina: neque poterit alterutrum parlamentorum commode convenire, ſi deputati diſtrictum enſem capitibus ſuis imminere conſpexerint. Neque dubitamus quin Parlamento veſtro hæc arridebunt, ut æqua, imo ut minima quæ facile concedi poſſunt, ſeque nobis in hac noſtra ſupplici ad regem petitione adjungat ut coram Deo & mundo liberemini, quod armis nos devincere non ſitis aggreſſi, priuſquam rationibus conviceritis, omnibuſque probis & veris Chriſtianis notum feceritis & æquas ac neceſſarias belli cauſas eſſe.

Si hoc nobis non concedatur, (quod metuimus, nam quid

quid aliud exſpectandum nobis eſt quam ut negotii hujus progreſſus principio reſpondeat, & ſicuti in exterorum gratiam primitus excogitatum fuit, ita continuatum iri? ad inſignem utriuſque regni enervationem, religionis & civilis libertatis everſionem, ſi penes hoſtes noſtros fuerit) tum, (ut finis hujus orationis præcedentia omnia breviter comprehendat) fatemur juſtum eſſe apud Deum ut cogamur triſtes civilis diſcordiæ calamitates præſentire, quia diuturna noſtra pace abuſi ſumus; & ut curationis pericula ſubeamus, quia tam ſegni & diuturna conniventia vires addidimus noxio iſti humori, qui nunc tam eccleſiæ quam regni vitam ipſam tantum non ſe ſuffocaturum minatur. Non erit inopportunum antiquam ſuggerere paræmiam, quæ vos ſummos Reipub. medicos nunc convocatos proprie tangit: Philotimus, Medicus Græcus, cuidam digitum ſuum curandum petenti, ex cujus vultu, viſu, & anhelitu colligebat tabe laborare, ſic reſpondit; Nequaquam te decet (amice) hoc temporis articulo de unguibus tuis tam ſollicitum eſſe. Non ita pridem maxima quæſtio inter vos fuerat, An libellus de illo aridorum & liquidorum vectigali, an vero de ſubditorum in bonis ſuis proprietate primum excuteretur; mutata ſunt jam tempora, aliud eſt quod hodie in quæſtionem trahi debet & excuti, Antequam de rebus quibuſlibet ſententiam dicatis, aut alios condemnetis, videndum erit an ipſi ſitis liberi, & quod jus vobis ad veſtra competit: Etenim ſi religionis noſtræ & privilegiorum regni defenſio anſam præbere poſſit controverſię inter duas gentes tam arcte conjunctas, & ſi ſic viſum fuerit nobiliſſimo & ampliſſimo veſtro ſenatui, Ignoramus prorſus qua ratione voſmet ipſos abſolvatis nobis condemnatis; & ſi olim conventus

ventus veſtri gloria fuerit ſubditorum jura tueri, in infamiam veſtram redundabit, ſi ſubverſionem libertatis fratrum veſtrorum nunc conemini.

Si conſilium hoc Scotiam bello aggrediendi, vere dignoſceretur ſuggeſtum eſſe ab Hiſpania aut Roma, non ambigimus, quin vel pro privata veſtra utilitate operam diligentem eſſetis daturi, ut monſtrum hoc in ipſo fœtu opprimeretur, niſi forte quidam vobis perſuaſerint, medium eſſe hoc aptiſſimum ad languorem veſtræ Reipub. expellendum, & nobis injuriam inferendo, meliorem poſſe reddi veſtram conditionem. Et licet nobis abunde conſtet, graviſſimis veſtris conſultationibus fines nobiliores & honeſtiores ſemper propoſitos fuiſſe, detur tamen hos fines proponi, ſed perpendendum an oblata utilitas damnum veſtrum præſtare poſſit? Non eſt quod hoc premamus; exemplum recens vobis ante oculos obverſatur, Provinciæ omnes & principes Galliæ obliquis oculis proteſtantium conditionem aſpiciebant, tribunalium forenſium privilegia, & edictorum beneficia quibus fruebantur, ſinguli alios antevertere conabantur, ut in proteſtantium ruinam operam ſuam conferrent, ut gratos ſe redderent iis quibus iſtius negotii cura concredita fuit; Quo vero ſucceſſu, ſentiunt ipſi hodie, & quicunque eos intuetur ſatis videt quam tutelam ſibimet ipſis reliquerint contra legiones præſidiarias. Sed hæc intelligi nolumus, quaſi de veſtra prudentia in negotio tanti momenti & quod vos tam proprie tangit, dubitaremus, verum propter adverſariorum noſtrorum pertinacem malitiam nobis probe cognitam, quæ eouſque apud ſereniſſ. noſtrum regem prævaluit, ut obliviſcatur afflictionis populi ſui quamdiu infinitæ iſtorum malitiæ cedit, qui nihil non agunt, ut diſſecent vinculum illud obedientiæ, quo ad legum religioſam obedientiam conſcientia officii noſtri

cii noſtri erga regem obligamur, quodque firmiſſimum eſt amplitudinis regiæ & vnionis regnorum fundamentum, & quod nos coronæ regiæ arctiſſime conſtrinxit, contra violentas temporum calamitates tot ſæculis elapſis, ac contra adverſariorum quorumlibet armatam violentiam: quod quanto nos impenſius tueri ac defendere nitimur, tanto illi diligentius dirumpere ſatagunt, inque illius locum violentiæ catenam ſubſtituere.

Rogamus itaquē vos (Nobiliſſimi & Dilectiſſimi fratres in utraque domo parlamentaria nuuc coacti) ut pro officio & dignitate veſtra, à nobiſmet ipſis accipere velitis vivam & veram gravaminum noſtrorum repræſentationem; Atque cum illius catenæ annulus non poſſit non vos tangere, ſi nos primos contingat, obteſtamur ut ſereniſſ. noſtrum regem tempeſtive divertatis ne in hæc præcipitia amplius proruat, quæ nihil aliud quam nunquam ſatis deflendam miſeriam tam principi quam ſubditis tandem producent.

Atque quandoquidem juſtam metuendi cauſam habeamus, ne quod ſine veſtro conſenſu inchoatum eſt, ſine veſtro etiam conſilio proſequantur, ad ſupremi veſtri conſeſſus juſtitiam noſtro judicio proprie pertinet, providere, ne qui regi clementiſſimo authores fuerunt conſilii hujus deſperati, tam regi quam utrique regno noxii, impune evadant.

Nihil etiam nobis minus inexſpectatum accidere potuit, quam ut à ſenatu regis Anglico bellum in nos decerneretur, idque propter unius relationem (in ſcenam ex conſulto producti ut malitioſum iſtum actum ageret) ſine ullo veſtro conſenſu. Quo ſatis demonſtrarunt adverſarii noſtri, ſe eo uſque ſuperbiæ deveniſſe, ut licentiam ſibi arripere audeant deturbandi & conculcandi leges regni, noſque ſereniſſ. regis fideles ſubditos cogant quaſi ad ſuum lubitum & otium exſpectare, donec viribus & potentia

tentia aucti, noſtram ruinam terra marique procuraverint, idque ſine ulla præcedenti admonitione aut belli indictione.

Præterea nunc accipimus deputatos noſtros in cuſtodiis traditos eſſe, alios ſcheriforum ſeu vicecomitum, alios eirenarcharum Londini, multum contra noſtram ſpem; nam ſi illud vel conjecturis colligere potuiſſemus, nullum certe delegaſſemus; neque ullus fuiſſet qui in deputationem conſentiiſſet: & contra jus gentium; nam duo diſtincta regna & gentes ſumus, illique delegati fuerunt à parlamento quod rex ſereniſſ. promiſit & indixit; regiſque ſpeciali mandato muniebantur, ut ſe illi ſiſterent, ac poſtulatorum noſtrorum æquitatem oſtenderent: Contra tractatus præſentis fundamenta, nam authoritate parlamentaria ex legum præſcripto electi fuerunt quidam hic deputati, quos vocant *Ane Comitte*, idque neceſſario, ut cum noſtris ad regem delegatis correſpondentiam alerent, & ab iis regis ſereniſſ. reſponſa tranſmiſſa reciperent; (ita quidem ut ſatis mirari nequeamus quemlibet eſſe tam abſurdum qui regi ſuggerere auſit, Parlamento non licere hos deputatos ſeu *Committe* conſtituere, aut adeo impudentem, ut dicat hos regimen civitatis Edenburgenæ arripuiſſe) diu tamen eſt ex quo nihil ſeu verbo ſeu ſcripto ab illis noſtris ad aulam deputatis acceperimus, & jam fere deſperatum eſt, ne ulterius quidpiam ab ipſis poſthac accipiamus; unde factum eſt ut prorſus ignoremus an in quopiam deficiant ipſorum propoſitiones, poſtulatorumque vindiciæ ſeu rationes, & an à nobis quidpiam ſupplendum ſit quo regi ſereniſſ. amplius ſatiſfiat: Præterea traditio hæc noſtrorum deputatorum in cuſtodias, eſt contra ipſorum meritum: ninihil etenim affertur ab iis commiſſum quod captivitatem iſtam mereatur: Nam præſens conditio

Comitis

Comitis de *Southeſk*, & *D. Ludovici Steuarti*, qui Edenburgi in ſalvo ſunt, huic deputatorum noſtrorum captivitati nullum juſtum fundamentum ſubminiſtrare poteſt, quippe quod sereniſſ. regem illi ipſi per literas certiorem fecerint, quo modo innocens illa eorundem detentio ſubito evenerit, partim ſcil. inexſpectata imprudentiâ & temeritate gubernatoris arcis Edenburgenæ, minitantis poſt horum ex urbe diſceſſum, ſe tormenta arcis bellica contra urbem Edenburgum hoſtiliter emiſſurum, ſeque effecturum ut oppidani audirent inſolitum campanarum ſonum; (nam hac phraſi viſum illi fuit loqui) partim etiam ipſorum præcipitato & celeriori (quam tales decebat) ex urbe diſceſſu, quem aperte meditabantur, ut ſe extra civitatis portas ad evitandum commune periculum proriperent: Vulgus interim (non ſine ſuis rationibus) judicabat eorum intra urbem detentionem ſibi futuram in tutelam aliqualem, aut gubernatoris furorem ſaltem procraſtinaturam. Verum quam primum à vulgo comprehenſi fuerant, à magiſtratu ſtatim liberabantur, & à nobilibus in civitate tunc præſentibus humaniter accepti ſunt, neque ab illa hora ulla vis iis illata fuit; & ſponte ut ſuæ ſaluti conſulerent in civitate remanſerunt, ac in publicis compitis, templis, hortis aut ubi volunt, quanta libertate viſum eſt, libere fruuntur. Quam denique ab omni æquitate alienum eſt, ut peculiaris tumultus paucorum ex unius civitatis vulgo, imputetur deputatis noſtris, ab univerſo parlamenti corpore, totius gentis nomine, delegatis.

Verum dum hæc ſcribimus, certiores facti ſumus, rem hanc altius diſcendere Dom. *Lowdonium* arcis Londinenſis cuſtodiæ comiſſum eſſe, neque ob levem aliquem prætextum, ut ejus cuſtodia aliorum hic comprehenſorum ſaluti conſulatur

latur, ſed ob ſuum ipſius gravem reatum: utpote quod deprehenſum ſit, illum chirographo & ſubſcriptione obſignaſſe epiſtolam directam ad regem Gallicum à quibuſdam Comitibus & Baronibus parlamentariis Scotiæ, qua ipſius opem implorant. Atq; hoc ab adverſariis noſtris, qui ruiuam noſtram antehac conjurarunt, vehementer exaggeratum eſt, & in montem quaſi ingentem amplificatum, qui non ſolum obruet *D. Lowdonium* & ſocios epiſtolam obſignantes, verumetiam ut omnes noſtri amici, & qui æquioribus oculis cauſam noſtram intuebantur, eandem nunc rejiciant, quaſi vel hoc unico argumento ſatis proderemus, nihil minus religione à nobis intendi.

Sed Honoratiſſimus & Ampliſſimus Parlamenti conſeſſus, cui cognitæ ſunt artes & improba adverſariorum noſtrorum malitia, cuique innocentia noſtra menſibus præteritis penitus incognita eſſe nequit, pro ſingulari prudentia & gravitate qua pollet, judicium ſuum contra nos & integram noſtram gentem, propter viſam aut auditam ejuſmodi epiſtolam non præcipitabit, priuſquam audiamur. Quare ut vobis ſatisfiat, & nos vindicemur, inviti certe cogimur in memoriam nunc revocare, & oculis ſubjicere ipſa formalia verba inuſitati illius edicti regii, dati Eboraci. 25 Aprilis 1639. perpetuo alias ſilentio ſupprimendi; quod edictum abſit ut clementiſſimo & ſereniſſimo noſtro regi imputemus, ſed infami barbarorum noſtrorum hoſtium crudelitati: Sic autem ſe habent illius edicti verba.

Ad violentiorem & acriorem medicinam recurrere & hanc iſtorum pervicaciam & rebellionem juſtitiæ gladio ſanare cogimur. Quare eo caſu viz. ſi gratiam hanc oblatam rejecerint, & ante octo dierum tempus præfinitum, civilem & legitimam nobis debitam obedientiam non exhibeant, promul-

promulgamus omnes & ſingulos poſthac, apertos rebelles, perduelles; læſæ majeſtatis reos, & omnia ipſorum prædia, agros, bona mobilia & immobilia fiſco noſtro addicta eſſe, quæ in nobiles, & alios nobis fideles ſubditos, æquiſque noſtris mandatis morigeros conferemus. Atque in hunc finem interdicimus vaſallis ac villicis horum rebellium, ne dominis ſuis rebellibus reditus, emolumenta & ſervitia conſueta perſolvant, ſed mandamus ut penes ſe omnia reſervata detineant, alteram quidem ſemiſſem pro ſe, nobis vero alteram tradituri: quod ſi rebellium horum villici, deſertis dominis ſuis, ad tuendam noſtram authoritatem ſe nobis adjunxerint, pollicemur inſuper benefice nos cum ipſis tranſacturos, ac prædia in plures annos elocaturos, remiſſa ad minimum triente redituum qui rebellibus dominis perſolvi conſueverunt: prout experiemur ipſorum merita & paratam obedientiam. Vaſallis etiam rebellium dominorum promittimus, noſtres immediates futuros vaſallos, & trientem feudi quod nunc ſolvere tenentur, remiſſuros, modo nobis adhæreant, neque rebellibus ſuis dominis pareant. Quod ſi in fidelitate & obedientia noſtra permanſerit dominus, cujus vaſſalli & villici perduelles ſunt, & hanc noſtram gratiam rejiciunt, neque nobis aut dominis ſuis pro nobis militantibus adeſſe volunt, Declaramus licere dominis illis, rebelles iſtos vaſallos ſeu clientes fiduciarios, & villicos ex agris & prædiis extrudere: & quicquid publicatione eorum prædiorum nobis accreverit, illud totum reſignamus, & liberâ donatione utendum fruendum concedimus dominis fidelibus, quibus opem noſtram impendemus ut conceſſo hoc beneficio fruantur. Interdicimus etiam ne, qui ære alieno rebellium tenentur, illud ejuſve quemlibet partem rebellibus creditoribus perſolvant, & noſtris mandatis obtemperantibus rependendis non deerimus, pro ſingulorum meritis. & cæt.

Licet antehac à noſtratibus extra patriam hærentibus ſæpius accepiſſemus, plurimum admirari alios

reges, & reſpub. nihil à nobis fieri quo ipſis cauſæ noſtræ æquitas, rerum ſtatus, ac præſens conditio innoteſcere poſſet, præſertim cum omnium aures obrutæ eſſent informationibus contra nos: Quia tamen ſperabamus frequentibus noſtris ſupplicibus libellis tandem aliquando reſponſum iri, prorſus abſtinuimus. Verum cum inſperato illo edicto ſpes noſtra prorſus exſtincta eſſet, ſicut domi ad juſtam & neceſſariam noſtram defenſionem nos armavimus, ita deliberabamus non inconſultum futurum ſi foras cauſæ noſtræ vindicationem & poſtulata ad regem humillima emitteremus, præſertim vero ad regem Gallicum, quo facto confidimus nihil nobis excidiſſe quod iram regis noſtri in nos merito provocet, aut quod adverſetur fidelium ſubditorum officio: imo ab ulla gente ad tam extremas anguſtias redacta nihil minus dici potuiſſe: Conſultatio tamen hæc omnis inſtar imperfecti embrionis fuit, utpote quod ad eam maturitatem nunquam pervenerit, qua ab aliis conſpiceretur: Nobis tam ſevere comminatis, & minarum executione præſente per ingentem exercitum imminente, an æquum eſt ut nobis tanquam inexpiabile crimen imputetur, ac in noſtros deputatos animadvertatur, quod ſcil. auſi fuerimus cogitare de aliis advocandis, ut pro nobis intercederent, præſertim cum ſupplices noſtri libelli & humillimæ ac ſubmiſſæ preces ad regem rejicerentur. O nos terque quaterque miſeros! quos flagellari & miſeris modis contundi oportet; ſed nec reſiſtere, nec queri deceat. Enixe itaque rogamus ut quicunque oculos conjecturi ſint in innocentem illam epiſtolam, eodem etiam intuitu oculos conjiciant in edictum illud tum in Anglia promulgatum, eaque ſibi invicem comparet. Monendi inſuper ſumus, quid tali caſu nobis nunc faciendum erit, & cum in nos movent exercitus hoſtiles,

ſtiles, an nobis non liceat Deum & homines in auxilium vocare, ut apud regem noſtrum pro nobis intercedant?

Epiſtola etiam illa ſcripta fuit ante regis ſereniſſ. in caſtra adventum, neque illam nobiles noſtri celarunt; verum rem totam nobilibus quibuſdam primariæ dignitatis in caſtris regiis ingenue & candide ſignificarunt; quare ſi unquam apud ſe ſtatuiſſent hoſtes noſtri, ut bona fide pacificationis articuli obſervarentur, epiſtola hæc licet miſſa fuiſſet, imo quicquid hujus generis excogitari poterit, oblivionis perpetuæ lege ſepeliendum eſſet, neque poterit eſſe juſtum cujuſlibet actionis contra obſignatores poſt pacificationem fundamentum, quin contra in improbum ſycophantam & nequiſſimum delatorem, ut turbatæ pacis publicæ reum ſevere animadvertendum fuiſſet. Interim ne probo cuilibet ſcrupulus ullus poſthac hæreat, bona fide ſubjungimus ipſa formalia verba inſtructionis ſeu mandatorum tunc obſignatorum quæ adhuc extant, & ad quæ epiſtola illa ſe refert, quæque committenda fuerant, deſignato illius epiſtolæ latori; ſed nunquam tradita.

Oſtendetur vetus & arctiſſimum illud fœdus inter duo regna Galliæ & Scotiæ, ſæpius renovatum & inviolabiliter obſervatum per complures annorum centurias, quo factum eſt ut alterutra gentium ad anguſtias redacta mutuæ amicitiæ officia & parata auxilia opportune experta ſit, quod mutuæ nationalium officiorum viciſſitudines in annalibus & publicis utriuſque regni regiſtris ſatis teſtantur.

Item, Conatus noſtros nullatenus unquam adverſatos fuiſſe aut adverſari Monarchico regimini: quin contra sereniſſ. & clementiſſ. noſtro regi fideliſſimos nos eſſe ſubditos, ad cujus perſonam, honorem, & authoritatem defendendam, vitam & fortunas noſtras lubenter

 expoſi-

expoſituros. Neque humillima noſtra poſtulata alia eſſe, quam ut noſtra religio, & libertates tam eccleſiaſticæ quam civiles frequentibus legibus regni & eccleſiæ ſancitæ, conſerventur. Declarabitur, calumniis ab hoſtibus noſtris in privatos ſuos fines excogitatis, & contra nos diſperſis, fidem nullam adhibendam eſſe; cum ſint ſplendidiſſima mendacia, improbe conficta ut nos in immeritum odium trahant apud vicinos reges, regna, & reſpublicas, Cum tamen ipſa animorum noſtrorum conſilia, verba, actiones, & conatus legitimi ſint, quod peculiari & fuſa deductione oſtendere poteſt qui præſentes has tradet.

Atque quandoquidem ſereniſſ. noſtrum regem toties fruſtra obſecrati fuerimus, rogandum eſſe Galliæ regem ut apud ſereniſſ. noſtrum regem intercedere dignaretur, in eum finem, ut exercitus quos contra nos colligit, & quos in nos movet, dimittat rex ſereniſſ. & antiquo ſuo ac nativo ſuo regno ſuis legibus vivere, religione ac privilegiis ſub authoritate regia pacifice frui permittat: licet confidamus Deum nobis præſenti auxilio affuturum, quandocunque in noſtram tutelam noſmet armare cogemur, quam lex Dei, Naturæ, Gentium probant.

Adverſarii noſtri, qui omnes nobis lædendis occaſiones & prætextus ſollicite quærunt, & avide arripiunt; ſatis hic habent quo ingenium ſuum exerceant, & ſe ſolentur. Verum cum prudens ille & magnus veſter ſenatus in animum revocabit, nunquam fuiſſe miſſam epiſtolam illam, neque quidpiam vel ex Galliis vel ex Scotia noſtra proferri poſſit, quo probetur tranſmiſſam fuiſſe: Scriptam inſuper fuiſſe poſt durum illud edictum, & ante initam pacificationem, ideoque æternis oblivionis tenebris ſepeliendam eſſe; Munitam & circumſcriptam etiam fuiſſe ejuſmodi mandatis ſeu inſtructionibus; quas ſola carpet malitia; (nullis quippe

quippe ab Anglia minis aut ſpecioſis apparatibus bellicis eo unquam deducemur, ut peregrinorum auxilia advocemus, ita ut ſeparari à ſe invicem poſſint hæc duo regna) Cum hæc ſerio perpendet prudens veſter ſenatus, certo ſperamus non obſervatum iri ullam aliam juſtam materiam quæ hoſtibus ſolatio, & nobis dolori & pudori eſſe poſſit, quam quæ in præcedentibus noſtris actionibus ſuppeditetur, & ut diligenter, ſine partium ſtudio excutiantur, unice rogamus.

Nunc vero licet ad innocuam noſtram defenſionem nos paremus, contra extremam iſtam adverſariorum noſtrorum & protervam arrogantiam, quæ indies magis & magis excreſcit & exulceratur, ac pro ipſorum arbitrio tandem erumpet, licet in hoc intenti ſimus ut æquiſſima noſtra poſtulata toties humiliter oblata tandem obtineamus, nihilominus ſola neceſſitas quæ legem non habet, ultra ſupplicationum & defenſionis terminos nos protrudet. Cumque ad neceſſitatem illam redigemur, (quod Dominus pro miſericordia ſua in utrumque regnum avertat) ſperamus nos factis ipſis hoſtium calumnias refutaturos, ac re ipſa demonſtraturos, nos noſtra commoda non quærere: verum omnium in Anglia auxilio quibus ſua ipſorum propria & noſtra fœlicitas cordi eſt, regem noſtrum ſereniſſ. impenſius & majori cum fructu obſecrare, ut tandem ſe vere edoceri patiatur, ac ſubjicere tam omnia quæ in controverſiam vocantur, quam improbos iſtos conſiliarios (qui fundamenta ipſa eccleſiæ, regni, & dignitatis regiæ concuſſerunt) judicio & cenſuræ liberi parlamenti. Quo facto certa nobis ſpes eſt propagandum iri Chriſti Domini noſtri Euangelium, liberandum ab imminentibus periculis utrumque pariter regnum, regiſque noſtri clementiſſimi & sereniſſ.

authoritatem & gloriam ſupra omnes ſuos majores auctum iri. Quæ ſola, ſicuti in fines nobis propoſuimus, ita Deum enixe & ingenue eadem omnes rogamus. Amen.

Sola gerit Scotus, quibus arma coerceat, arma.

SImul etiam prodiit liber alius prolixior, paginas 128 continens, præter prolixam præfationem ad parlamentum regni Angliæ, cui titulus αὐτοκατάκρισις *Laudenſium*: quo author *Robertus Baillius Kilwinnini paſtor* probare nititur, *factionem illam, cujus caput eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis D. Gulielmus Laudus, ream eſſe aperti Papiſmi, Arminianiſmi, & Tyrannidis tam eccleſiaſticæ quam politicæ*: cujus breve compendium ſubjiciam, citatis ipſorum librorum paginis, ex quibus probationes deſumptæ ſunt. Omnes porro illi libri vel habent Cantuarienſem ipſum authorem, vel manifeſtum fautorem, & cenſura capellani ſui approbatorem, quam præſtare tenetur; & quam probare, multa ſunt quæ perſuadeant; ut ſunt, librorum illorum aperta defenſio, auctorum non ſolum ab omni cenſura immunitas, verum etiam ad primarias dignitates evectio, ſcriptorum adverſariorum ſuppreſſio, & graves pœnæ in authores qui contra hiſcere audent, ſtatutæ. Syllogiſmo unico totum illum tractatum comprehendit author; qui ſic ſe habet: Quicunque ſubditorum regis, publice promovent aut ſpargunt dogmata religioni reformatæ, legibus regni Angliæ ſancitæ, & legitimæ ſubditorum libertati adverſantia, non ſolum non ſunt fovendi, ſed in eos ſevere eſt animadvertendum: nam introductione novationum ſeu per armatam violentiam, ſeu per artes verſutas, præſentis reipub. ſtatus pertæſi, omnium turbarum & tumultuum qui novationes illas conſequuntur, authores habendi ſunt, nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam

cauſa

cauſa cauſati: & ne quis putet mutationes illas regi sereniſſ. aſcribendas eſſe: publicis edictis (ut illo de diſſolutione Comitiorum Anglicorum anno 1628. & Iunii. 8. 1638. Septemb. 22. & Decemb. 18. ejuſdem anni. 1638.) *omnibus ſuis ſubditis perſuaſiſſimum eſſe jubet, ſe nunquam conſenſurum in quamlibet religionis & receptorum dogmatum mutationem*: & re ipſa oſtendit, quando Septemb. 22. 1638. imperavit ſuo nomine renovari & obſignari confeſſionem eccleſiæ Scoticæ: qua ſingula papiſmi membra abjurantur. Sed Cantuarienſis cum ſua factione ſpargunt aperte & promovent dogmata adverſantia religioni reformatæ prout regni Angliæ legibus ſancita fuit; atque hujus probationem per tria generalia capita perſequitur author: quæ ſunt Arminianiſmus, Papiſmus, & Tyrannis.

De Arminianiſmo quid judicaverit beatæ memoriæ rex Iacobus 6. in declaratione contra Vorſtium aperte teſtatur: ubi pag. 18. *deteſtandas hæreſes, mature exſtinguendas & ad inferos uſque, unde manarunt relegandas eſſe dicit: Bertiumque aſſerentem, opinionem de Apoſtaſia ſanctorum non diſſentire à profeſſione eccleſiæ Anglicanæ, mendacem* pag. 15. *gnaviter impudentem & ferrei oris*. p. 12. vocat: & *Arminium* pag. 14. *Deo inimicum, ejuſque diſcipulos peſtes, arrogantes, hæreticos, ἀθέυς, ſectarios: quorum heterodoxias qui pacis gratia tolerandas judicarent, à Deo maledictionem, apud eccleſias omnes infamiam, & in repub. perpetuam diſtractionem procurare*. pag. 15. Cujus opinionis ut & regnorum hæredem eſſe orthodoxum Carolum, contra maledicos ſuſurros edicta recentia ſatis demonſtrant. Arminianiſmum porro ſtrenue promoveri à Cantuarienſi & factione illa, probat, tum indirecte, quia hujus fautores nullo fere alio nomine celebres, neglectis orthodoxis ſingulari ejus commendatione regi ſereniſſ. obtruſi, ad dignitates eccleſiaſticas

promoventur. v. g. in Scotia *Maxwellus* ad epiſcopatum Roſſenſem, *Forbeſius* ad Edinburgenum, *Sydſerfius* ad Brechinenſem, & inde ad Gallovidianum, *Wedderburnus* ad Dumblanenſem: ut de Anglia & Hibernia in quibus major eſt ejus authoritas, taceam: quia in heterodoxias hujus manifeſte reos non animadvertit, ſeverus alias in eos, quos cæremoniis ab hominibus inventis (ut nihil durius dicatur) non ſatis æquos judicat, ita ut paſtorum verbi ingentia agmina in orbem alio ſub ſole calentem cum familiis protrudat: quia celebres illas quæſtiones de prædeſtinatione cum annexis, meras logomachias, & inutilem verborum contentionem de rebus nullius fere momenti habet, in fuſiori declarat. pag. 74. *Quia ſynodum nationalem Glaſguenſem inter alia, & ob hoc ſugillat, quod auſa ſit paſtores ob publicam eorum dogmatum defenſionem, & in iiſdem pertinaciam deponere.* pag. 16. Dein ad directam probationem deſcendit, & ordine per univerſos quinque articulos. Primum & ſecundum aperte in libro *Appello Cæſarem* approbato cenſura *D. Whyti*, poſtea Elienſis epiſcopi, tuetur *Montacutius*, licet fermento papiſtico turgens, ſingulari tamen Cantuarienſis commendatione ad *Norwicenſem* epiſcopatum promotus: qui pag. 60. *Doctrinam in ſynodo Dordracena de prædeſtinatione repetitam, deſperatam* vocat: Idem Montacutius in tertio & quarto. ibid. pag. 89. diſertis verbis Arminianis ſe jungit: & pag. 95. *inter melioris notæ pontificios, & opinionem quam eccleſiæ Anglicanæ* affingit *de libero arbitrio nullum eſſe dicit. al. cujus momenti differentiam.* Apoſtaſiam ſanctorum idem Montacutius ex profeſſo ibid. tuetur: & *Chonæus* in collectionibus Theologicis Cantuarienſi dedicatis & ſæpius recuſis, fidei plerophoriam irridet. pag. 82. & alibi. Sed longa diſquiſitione hic non eſt opus; nam reos

reos habemus confitentes, idque aperte.

Papiſmum fovere, hæc (inquit) probant, quia omnia factionis hujus conſilia tendunt ad henoſin inter Papiſmum & reformatam religionem, ſed conditionibus uſque adeo iniquis ut reformatis ſtatio ſua ſit deſerenda, ac ſchiſmatis & errorum venia petenda: aperte quidem poſtremum hoc nondum audent propalare; ex ſequentibus tamen ſatis patebit & luce meridiana clarius demonſtrabitur, hæc à petulanti convitio aut mendaci calumnia (quam nos ipſis inurere, de nobis conqueri poſſent) quam longiſſime abeſſe.

Etenim, quia nullam hujus unionis ſpem concipere potuerunt quamdiu Reformatis perſuaſum eſſet, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum, ideo omnes ingenii & induſtriæ nervos intendunt, in id ſummo ſtudio incumbentes, omnemque lapidem moventes, ut eundem ab hac infamia liberent, prout non ita pridem Shelfoordus peculiari tractatu de Antichriſto aggreſſus eſt; & inter alia hanc habet ſententiam, *Papam non magis poſſe dici Antichriſtum quam Lutherus aut Calvinus*, quos blaſphemiæ & hæreſeos, os impudens ibidem accuſat; argumenta vero reformatorum doctorum, quibus contrarium manifeſtò demonſtrant, & rationes firmiſſimas, quibus primorum reformatorum facta & ſcripta à calumniis vindicant, eorumque doctrinam ſtabiliunt, *deliramenta & apocalypticas phreneſes*, vocat Montacutius in Appello Cæſar. perſtringens proculdubio oblique nervoſiſſima argumenta Iacobi regis, in epiſtola illa monitoria vere aurea: & ne ullum omnino reſtaret veſtigium Antichriſtianiſmi Papæ, Cantuarienſis ipſe (ut fatetur in oratione habita in Camera Stellata. pag. 32) propria ſua manu delevit ex liturgia Anglica, vocem *ſectæ Antichriſtianæ* junctam

Romanæ: ejuſque loco *Babylonicæ* ſubſtituit, *ne ſcil. pontificiis ſcandalo eſset.*

De Pontifice Romano honorifice loquuntur: & *eccleſiam Romanam ſedem Petri, cui potentior principatus ſuper omnes tribuendus eſt*, Cantuarienſ. in relatione colloquii cum Ieſuita nuper impreſſa & aucta. pag. 183. & 154. & 133. Montacutius in antidiatrib. pag. 51. & 116. *in hac ſede ſummi pontificatus apicem, & ſontem ſacerdotii eſse.* idem ibid. p. 158. *à quo niſi ſucceſſionem ſuam derivare poſset præſens archiepiſcopus Cantuarienſis, quam miſera eſset ipſius conditio*, inquit Poklingtonus, in altari Chriſtiano. p. 50. *& niſi ſucceſſionem hanc ab ipſa ſede Petri aut alterius Apoſtoli oſtendere poſset, non audiendus* eſſet. Poklingtonus in libro cui titulus; Dies dominica non eſt habenda pro ſabbato: *atque hoc* (inquit idem ibid.) *eſt quod inter alia, epiſcopali juriſdictioni noſmet ſubmittere facit. Puritaniſmus* eſt, inquit Montacut. Origin. p. 417. *denegare titulum ſanctitatis ſuæ pontifici Romano, etiamſi fuerit prodigium & propudium honeſtatis, & eundem aut ſimiles titulos reprehendere, eſt phreneſis hominum ſolummodo phanaticorum. Pio & prudenti zelo imperatores quidam de equis deſcendentes venerationem iiſdem pontificibus exhibuerunt.* Montacutius in antidiat. pag. 40. imo *eoſdem adorarunt.* ibid. pag. 158. *ut τοποτηρήταις Chriſti, ut Dei & hominum μεσίταις ſingularis illis debetur honor.* ibid. pag. 166. *Principatu, dominiis, facultatibus & omni quicquid nomine poſseſſionum Petri venit, fruatur, utatur: modo alienam poſseſſionem non invadat.* ibid. pag. 95. *Poteſtatem pontificis, in Galliis & Hiſpania regibus perutilem eſse.* Cantuarienſ. in relat. pag. 202. *Si rex Angliæ ſubditis ſuis imperaret, ne quid eccleſiaſtici negotii in regnis ſuis ſine Papæ authoritate decernerent, & ut quicquid ſanxit, ſanxeritve legis Apoſtolicæ authoritas, id legis loco ſit, tenentur omnes obedire.* ibid Montac. pag. 156.

De

De Cardinalatu & Cardinalibus, licet commento patribus ignoto, honorifice ſentit Montacut. in appar. pag. 56, & 57. Sibi plaudit, *quod Cardinalem Baronium, virum in eminentiſſima dignitate conſtitutum, quam non ſolum eruditione, verumetiam ſingulari ſanctitate & tantum non aſcetica, merito quidem ſuo eſset adeptus: nuſquam niſi honorificentiſſime compellarit* & Poklingtonus in altar. pag. 34. *Barromæum ſummis laudibus effert, ob jejunia, preces, charitatis opera, pietatem exemplarem, qui vanitatem omnem tam in verbis quam factis aſpernaretur, epiſcopum vocat pium, & acriter perſtringit adverſarium contra ſentientem*: Itaque Poklingtono idolorum cultus quibus impenſe deditus fuit hic cardinalis, nulla eſt vanitas: & crudeliter ſævire in eccleſiam Dei & ſponſam Chriſti, pietatis nomen apud eum meretur, non verò tyrannidis.

Quum animo tam amico ferantur in caput, & humeros hujus monſtroſi corporis, non dubitandum, quin reliquum corpus honore affecturi ſunt: ideoque *eandem eſſe (aſſerunt) pontificiorum & reformatorum religionem; neque periculo vacare, ſi quis aſſerat* (uti ſemper aſſeruit Anglicanæ eccleſiæ liturgia regnante Iacobo rege) *Pontificiam religionem eſſe rebellionem*. Cantuar. in relatione colloquii. pag. 36. & in oratione in Camera Stellata pag. 36. *Proteſtantium eccleſiam non feciſſe ſeceſſionem ab eccleſia Romana, in qua adhuc ſint omnia ad ſalutem neceſſaria, & quæ adhuc omnia habeat quæ ad eccleſiæ eſſentiam neceſſario requiruntur*. Potterus in vindicatione charitatis eccleſiæ reformatæ. pag. 66. *& ſi qui longius proceſſerint & acrius perſtrinxerint illam eccleſiam; zelotas eſſe prudentia & charitate deſtitutos* idem. pag. 74. Hinc reformationis opus per Lutherum *deplorandum ſchiſma* vocat Cantuarienſ. *Controverſias in quibus à ſe invicem hæ eccleſiæ differunt, tales non eſſe quæ alterutrius partis ſalutem impedire poſſint, cum non ſint fundamentales.*

les. Heilens. in reſponſo contra Burton. pagin. 124. *& licet pontificiæ eccleſiæ errores eſſent fundamentales, eam tamen eſſe aliarum quas tuetur fundamentalium veritatum efficaciam, ut inſtar antidoti, admixta errorum venena hebetent.* Ioſephus Hallus Exonienſ. epiſcopus in veteri religione prope initium, & Butterfeildius in ejus vindiciis. *Qui profitentur ſe Ieſum Chriſtum diligere, licet fundamentalibus errent, fratres tamen orthodoxis eſſe, & ſalvari poſſe.* Potterus. Vbi ſupra pag. 109. & ne quis exiſtimaret hæc dici de iis ſolum qui in eccleſia Romana vixerunt ante reformationem, extendit idem Potterus, *ad hodierna tempora, & nunc bene ſperandum de omnibus qui ſimplicitate cordis ſeducti, Romanam fidem profitentur, in ejuſque profeſſione moriuntur*, pag. 77: Non ſine inſigni injuria Pontificios accuſari idololatriæ, hæreſeos, aut ſchiſmatis: Idololatriæ, *cum cultum λατρείας creaturis non tribuant.* Shelfoordus. pag. 300. Montacut. in apparat. pag. 79. & in Originib. 309. quo factum eſt, ut Cantuarienſis ex liturgia jejunii recepta, expungi curaverit vocem *idololatriæ, qua ſubmerſi jacuiſſe dicebantur majores noſtri in eccleſia Romana.* Dowus in reſponſ. contra Burtonum. pag. 142. hæreſeos injuſte accuſari, *cum non peccent in defectu, ſed exceſſu.* Potterus. pag. 102. Sic & ſchiſmatis, *cum per omnia Romanam fidem integerrime profiteantur*, Montacut. in appar. 283. *à ſchiſmate liberos eſſe & hæreſi coram Deo, quia errores, ſi quos fovent, ipſi non invenerunt, neque primi excogitarunt.* Cantuarienſ. relat. colloq. pag. 316. Schiſmaticos potius habendos, *Scaligerum, Pareum, & alios opinatores, qui contempto ſpretoque majorum conſenſu, phreneticas ſuas obſervationes obtrudunt.* Montacut. in appar. pag. 389. *Itaque nihil impedire quin in unam coëant eccleſiam papiſtæ & proteſtantes, niſi inſana intemperies furioſorum quorundam*

dam zelotarum obſtaret (Ieſuitæ videlicet & Puritani) *qui phariſaica ſua inſtituta in Chriſtianiſmum retulerunt*, quorum utroſque Montacut. in apparat. pag. 245. *pietatis* vocat *carcinomata*, *Chriſtianiſmi dehoneſtamenta*, *pacis & concordiæ alaſtoras & pernicies*. Quam miris contra elogiis ornat idem ibid. pag. 45. Caſſandrum *ipſiſſimam probitatis & modeſtiæ animam*: dolet tam male *ab importuno cenſore Calvino* exceptum: Summà, quicunque Samaritaniſmum iſtum fovent, quam cupide eorum ſcripta complectuntur, & in cœlum laudibus efferunt; contra verò quam contemptim loquuntur & contumelioſe exagitant exteras reformatas eccleſias, earumque celeberrimos, & de Eccleſia Ieſu Chriſti optimè meritos orthodoxos doctores ſeu vivos, ſeu mortuos, eoſque præſertim qui elaboratiſſimis ſuis ſcriptis iis larvam detrahere, & ipſorum petulantiam retundere auſi fuerunt, inter quos ſunt inſignia illa noſtri ſæculi lumina & ornamenta *D. Rivetus* & *Voetius*, quod ille Calvinum à virulentis Lanceloti Andreæ morſibus vindicaverit, hic vero Montacutium δοκησίσοφον ad partes modeſte vocaverit, nec paſſus hominem faſtu turgidum eccleſias reformatas impune conculcaſſe: Clariſſ. *Vedelium* quam indignis modis tractaverint, referre piget.

Et ne quis putet hæc inconſiderantibus excidiſſe, age (inquit author) exquiratur, quo modo iis arrideant quæ in pontificiis, proteſtantes omnes, maxime qui reformati dicuntur, imprimis exagitant: in quatuor ſpecimen exhibet, videlicet, Idololatria, hæreſibus, ſuperſtitionibus; & abominando Miſſæ idolo.

Multiplex eſt Romanæ eccleſiæ idololatria, ſed nullibi magis exerte ſe præbet omnibus conſpicuam quam in adoratione altarium, panis ſacramentalis ſeu hoſtiæ, imaginum, reliquiarum, & ſanctorum

defun-

defunctorum. *Altari porro reverentiam exhibendam,* docet Cantuarienſis. in orat. in Camera Stellat: & ex Pſalmo profert locum, Venite, adoremus, procumbamus coram Domino & altari ejus. pag. 49. & ne quis dubitaret aliam eſſe προσκύνησιν à Pontificia, in adorationis hujus ſubſidium allegat Poklingtonus in altar. pag. 160. *praxin nobiliſſ. Equitum S. Georgii in ipſis papiſmi craſſiſſimis tenebris:* & additur ratio, ab Heilens. in reſponſ. contra Burtonum. pag. 30. *propter perſonalem Dei in altari præſentiam, qui ibi tanquam in ſolio reſidet,* inquit Poklingtonus in altar. pag. 143. Hancque etiam προσκύνησιν urgent cum non celebratur S. cæna: quotidiana praxis illud teſtatur.

Adorationem elementorum euchariſticorum, non ſolum in actu communicandi, verumetiam extra eundem urgent; hinc, *presbytero vel ſacerdoti genuflectendum quater, quum patinam & calicem tollit & deponit,* & adorationem hanc ad elementa ipſa dirigi, facile probabitur, nam ſi adorandum ſit altare propter propinquam illam cum Chriſto communionem, ut diſſerunt, multo magis elementa euchariſtica, quia unio hic arctior eſt, magiſque perſpicua. Notandum etiam Cantuarienſem non tuliſſe, elementorum illam adorationem vocari Pontificiam: nam cum præſules Scoti cap. 6. Canonum eccleſiaſticorum, in exemplari eorundem ad regem miſſo, adorationem illam vocaſſent Pontificiam, in exemplari ab aula remiſſo Cantuarienſis manu ſua in margine notat, *delendam eſſe vocem Pontificiam.*

De imaginibus honorifice loquuntur: *earum everſores,* Montacut. origin. p. 162. vocat, *furioſos iconoclaſtas, religioſos ſcil. nebulones: Contumelias illis illatas, in archetypum, id eſt, Chriſtum & ſanctos tranſire, & ſi quis* (inquit idem antidiab. p. 28.) *ſancti alicujus imaginem dedecore afficiat, illum* ὑγιαίνειν *optaverim, &*

ſuæ

ſuæ temeritatis pœnas dare. Nolunt inter iconomachos cenſeri, & ideò *ſumma cura in templorum cryptis, larariis, parietibus & feneſtris, frequentiſſimas imagines aſſervant,* Montacut. antidiat. p. 24. & ſitu ac ſqualore rancidas exornavit Couzius præbendarius Dunelmenſis: *Has externam pulchritudinem eccleſiis afferre, & libros eſſe Laicorum aſſerit* Montacutius, Antigage, pag. 300. *Controverſiam inter Pontificios & Proteſtantes eſſe σκιομαχίαν.* Idem in Antidiatr. pag. 40.

De reliquis audiatur Montacutius. antidia. p. 17. *Ego certe* (inquit) *cum Conſtantino, reliquias illas faſciis involvam, auro includam circumgeſtandas, admovebo labiis, ac collo ſuſpenſas manibus oculiſque crebro uſurpatas intuebor, vel in apothecas condam & recludam inter pretioſiſſima cimelia cenſendas.* Veneratione relativa exemplo veteris eccleſiæ colendas eſſe dicit idem. ibid. pag. 16. *Neque peregrinationem religioſam ad loca ſancta improbandam eſſe,* ibid. pag. 44. *litem denique omnem de reliquijs inter partes hodie, eſſe de lana caprina, & aſini umbra.* idem, in Origin. p. 45.

De ſanctorum demortuorum adoratione, docent; *Sanctos eſſe orationis & interceſſionis mediatores apud Deum.* Montacut. antidiat. pag. 20. ideoque *ſanctorum feſta à ſe celebrari, ut eorundem interceſſionis participes eſſe poſſint.* Lancelotus Andreas in ſtricturis, opere poſthumo, cura & cenſura Cantuarienſis excuſo. pag. 8. *Immerito idololatriæ aut ſuperſtitionis taxari, ſi quis oraverit; Sancte angele cuſtos ora pro me.* Montacut. De invocat. ſanct. pag. 99. Inter omnes vero ſanctos demortuos, nullus eſt quem Pontificii impenſius venerentur Beata Virgine Maria. & hujus cultum promovere conatus eſt Antonius Staffordus, peculiari libello Londini impreſſo, cui titulus; Fœminei ſexus gloria, defenſo ab Heilens & Dowo, in ſcriptis publicis & approbatis. Vbi aſſerit, *immunem fuiſſe ab omni peccato.* pag. 8. *reginarum reginam,*

ginam, filiam, matrem, & ſponſam Dei. in præfat. *illius miraculoſam in cœlum aſſumptionem veritatem eſſe infallibilem.* pagin. 210. *quam meritis ſuis acquiſiverat.* pag. 21. & 80. *Coram ea juſtorum animas procumbere.* ibid. in panegyrico. *ipſi terrena omnia cognita eſſe ex ſpeculo Trinitatis.* ibid. *Puritaniſmum eſſe, ſi quis renuat in ejus honorem ſalutationem Angelicam repetere.* pagin. 220. & *niſi boni ſimus Mariani, malos eſſe Chriſtianos.* ibid. *Pietatem monachorum, monialium, & magnatum ac principum, qui ſodalitio Mariæ nomina ſua aſſcribunt, laudandam eſſe & imitandam.* pag. 23. Hæc, imo omnia quæ hoc libro continentur, defendunt Heilens in reſponſ. contra Burton. p. 123. & Dowus contra eundem. p. 54. utriuſque vero auctoris ſcripta à Cantuarienſi recenſita & approbata proſtant. Eandem pæne ſemitam terit Montacutius: *Aliter in mundum ex utero materno proceſſiſſe, quam aliæ mulieres.* in apparat. p. 301. *vixiſſe immunem ab actuali peccato.* ibid. p. 338. *Omnium creaturarum eſſe dominam.* p. 321. *Majorem mundum Deum potuiſſe facere, majus etiam cœlum, majorem autem matrem quam eſt mater Dei, Deum facere non poſſe.* ex Bonaventura citat & probat. p. 302. & recte Thomam dicere, *Beatam virginem ex hoc quod eſt mater Dei, quandam habere dignitatem infinitam.* ibid. Atque hæc de idololatria.

Proximum eſt de hæreſibus dicendum, quas junctis manibus in Pontificiis acerrime exagitant reformati omnes: has tamen vel extenuant, vel amplectuntur factionis hujus primipili.

Nam contra SS. ſcripturæ perfectionem urgent *traditiones dogmaticas*, non de ritibus, ſed de doctrina ipſa, & harum numero aſſcribunt *baptiſmum infantium, diei dominicæ ſanctificationem; traditionem poculi euchariſtici Laicis, orationes in linguis populo cognitis & cæt.* Whitus epiſcopus Elienſis, de ſabbatho. p. 97. Montacut. in origin. 396. Ex penu

hoc

hoc locupletiſſimo deprompta ſunt illa omnia quæ in viſitationibus rigide urgent, vid. *Iuriſdictio Epiſcoporum ſupra presbyteros, proſtratio & genuflexio coram altari, oratio ad orientem, ſignum crucis in baptiſmo, formatio crucis in aere, ejuſdem ſuper altare poſitio*, & ſexcenta alia ejuſmodi. Heilens antidot. Lincolnienſ. p. 87. Samuel Hoardus in concione quam habuit in viſitatione metropolitana. p. 15. & *hiſce omnibus authoritatem ſcriptæ legis vendicant*, Whitus de ſabbato. *Denique in eo ſolum ſcripturæ ſenſu acquieſcendum, qui traditionis & conſenſus patrum authoritatem habet:* Chounæus in collectionibus Theologicis, Cantuarienſi dicatis, neque unquam adhuc improbatis. p. 31. Poklington. altar. p. 129. & Cantuarienſis ipſe in relat. colloq. p. 62. *Verbum divinum aliud eſt ſcriptum, aliud non ſcriptum.* & ibid. p. 84. *Candela ſcripturæ non eſt prius lux, quam accenſa fuerit per admotionem luminis eccleſiaſticæ traditionis*, & ibid. p. 114. *Lumen ſcripturæ per ſe non eſt clarum ſatis, nec poteſt locuples teſtimonium ſibi ipſi perhibere.* & pag. 104. *Quando patres dicunt ſe inniti ſcripturæ, non excludunt traditionē.* & ibi *quia ſcriptura eſt recondita & obſcura & poteſt in diverſos ſenſus trahi, nemo propriis viribus abſq; eccleſia fidat.* An hoc non eſt S. Script. cum pontificiis judicis & normę abſolutæ authoritate ſpoliare, & traditiones eccleſiæ (per quam intelligit pontificiam) non ſolum æquare, ſed & ſupra ſcriptum Dei verbū extollere?

De vita monaſtica docent. *Everſionem monaſteriorum per Henricum 8. Angliæ regem ſacrilegam fuiſſe θεομαχίαν, facinus flagitioſum.* Montacut. in originib. 303. & 384. *cum vita hæc originem ſuam repetat ab Elia, Eliſeo, Iohanne Baptiſta.* idem, ibid. 369. & 370. *& ſtrictas regulas ab Euangeliſta Marco.* Wats in concione de Apoſtolica mortificatione, pag. 20. *quos ſi voluntarij cultus aut ſuperſtitionis coargueris, eadem opera ſanctos inſtituti illius authores, Eliam, Eliſeum, Danielem, Marcum accuſabis ejuſdem criminis.*

idem pag. 28. *Hodiernos Carthuſianos, Franciſcanos & cæteram iſtam monachorum fæcem, pios & bonos ac religioſos eſſe, etiam ratione ordinis ſui.* Staffordus in fœminina gloria. p. 236. *Virginem Mariam monialem vixiſſe.* idem pag. 22. *Proceſſiones diſcalceatas per urbium compita, monachorum horas canonicas, vigilias, nocturnas ad templa peregrinationes, & ſimilia, nulla ratione reprehendendas eſſe,* dicit Wats, ubi ſupra.

De limbo patrum, & orationibus pro defunctis, ſic Montacutius in apparat. pag. 476. *Sanctos ante Chriſtum defunctos cœlo non receptos fuiſſe; ſed inferno incluſos unde à Chriſti deſcenſu ad inferos liberabantur,* & in hujus confirmationem locum illum 1. Petr. 3. 19. contra Puritanos adducit, idem in origin. pag. 286. Imo, *pium eſt credere Chriſtum, dum dicitur infernum ſpoliaſſe, paganos virtutis commendatione ornatos inde liberaſſe, ut ſunt, Socrates, Ariſtoteles, Hercules, Epaminondas, Plutarchus,* & ſimiles, inquit, Maxwallus in demonſtratione. pag. 9. *Atque licet ſcriptura mentionem tantum faciat duorum locorum poſt mortem, neque ullum ſit in ſcriptura indicium alicujus loci tertii, non tamen inde ſequi non eſſe tertium, quia multa ſunt quæ non indicantur in ſcripturis.* Montacut. in apparat. pag. 135. *Oblationes & preces pro demortuis,* in pontificiis non ſolum non damnant, verumetiam *authoritatibus patrum confirmant.* Lancel. Andreæ ſtrictur. pag. 56. Poklingt. altar. pag. 83. *Et omnes veteres liturgias in cauſæ hujus ſubſidium advocat* Dowus. pag. 56. De ſacramentis, in hiſce cum Pontificiis conſentiunt, quod *ſacramentorum veteris teſtamenti vim diminuant, & mera fuiſſe ſigna gratiæ.* Montacut. in originib. pag. 72. *quod cum ſynodo Tridentina anathema dicant iis, qui dixerint Iohannis baptiſmum eandem vim habuiſſe cum baptiſmo Chriſti: Quod contraria ſententia Calvini, ſit privati hominis* παρέγκλημα. Idem, ibid. pag. 390. *Quod omnes omnino infantes Baptizati in baptiſmo*

ptiſmo vere regenerentur, juſtificentur, ſanctificentur; neque ullatenus dubitandum de eorum ſalute, ſi ante commiſſa actualia peccata ex vivis exceſſerint. Montacut. in Appello Cæſarem. pag. 35. Whitus Elienſis epiſcop. contra Dialog. pag. 95. Licet idem ante ademptum epiſcopatum dogma hoc, ut Pontificium rejecerit, in colloquio cum Ieſuita Fiſchero. pag. 176. *Quod baptiſmum ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem*, non ſolum ratione præcepti, ſed ratione medii, *allato in hunc finem loco ex Iohannis Euangelio cap. 3. 5. Niſi quis renatus fuerit, & cæt.* Contuarienſ. in relatione Colloquii cum Jeſuita. pag. 56. *Expoſitiones vero reformatorum doctorum contrarias, meras eſſe eluſiones excogitatas in contemptum Dei & diſpendium animarum*, dicit Montacut. in origin. p. 397. *Quod ceremoniæ ab hominibus inventæ & baptiſmo ſuperadditæ, (ut veſtis alba, oleum, lac, ſal, chriſma,) baptiſmi ſint ornamenta, & exercitia, quibus mens externarum rerum ſenſu & ſignificatione ad divinum cultum, ipſumque Deum attrahitur) retineri debeant; & ubi abrogantur, denuo reſtituendæ.* Montacut. in antidiatr. p. 15. & 16. *Quod tota illa diſputatio inter partes de quinque illis* (ſpuriis ut reformati vocant) *ſacramentis, ſit λογομαχία.* Andreæ Wintonienſ. epiſcopi ſtrictur. p. 11. *Quod Confirmatio per epiſcopos, plenos & perfectos faciat Chriſtianos.* Poklingtonus in Altar. p. 65. *Quod nullius momenti ſit quæſtio de ordinum ſacrorum numero, & quod penuria eccleſiarum factum ſit, quod in reformatis eccleſiis omnes iſti ordines non vigeant.* Andreæ ſtrictur. p. 12. *Quod jure divino Epiſcopis, iiſque ſolis, competat paſtorum ordinatio, ita ut à nemine non epiſcopo ordinato & rite conſecrato poſſit adhiberi; & irrita ſit omnis ordinatio & miſſio, quæ à non legitimo & Canonico more non proficiſcitur. Quod ſi à ſe oriantur aliqui & non miſſi ingerant cæleſti huic functioni manus* (intelligit hic earum eccleſiarum paſtores à quibus Epiſcopatus exulat)

 viderint

viderint ipſi quid ſint reſponſuri olim ſummo ſacerdoti, cujus partes uſurpant, nos noſtras, non aliorum tuemur vocationes. Inquit Montacutius, in antidiatr. p. 138. *Cauſas matrimoniales per jus Canonicum pontificiorum dijudicari volunt: cujus juris originem repetunt à primorum paparum decretis; quare ubique urgent Canones Apoſtolicos, Clementis conſtitutiones, & ſimilia ſcripta ſuppoſititia,* Poklingt. & Heleins de altar. paſſim. Montacut. ubique: & *huic juri Canonico, Baſilienſis concilij decreta aſſcribunt,* Ut Staffordus in gloria fœminei ſexus. p. 128. *Pro feſto viſitationis Mariæ*, concilium illud citat: Proh quam verum eſt illud! Qui modeſtiæ limites ſemel tranſilierit, eum gnaviter impudentem eſſe oportet. De ſacramento pœnitentiæ docent, *auricularem illam confeſſionem plurimas præſtare utilitates, ideoque pie frequentandam ab iis qui ad euchariſtiam accedunt.* Whitus Elienſis epiſc. in præfatione de ſabbato: *& dolendum eſſe quod aboleatur,* Sprint. in concione de Confeſſ. p. 18. typis excuſa cum approbatione. *Neque ulla peccata celanda eſſe ſi ſacerdotalem abſolutionem exſpectemus, in qua exercenda ſedent ſacerdotes ut judices delegati à Deo: Confeſſionem hanc privatam ſacerdoti factam unicum eſſe medium obtinendi peccatorum remiſſionem.* Idem p. 16. & 19. & 15. diſerte & totidem verbis. *Præter privatos confeſſores, conſultum eſſet ut in ſingulis eccleſiis revocaretur uſus ille publici pœnitentiarij (qui olim in uſu apud veteres) qui initio quadrageſimæ in die Cinerum, in reclinatorio reſidens, omnium confeſſiones audiret, & ſingulis, cinere capita primum reſperſis, pœnitentiam in quadrageſima præſtandam præſcriberet; & plenarie ſatisfacientes exeunte quadrageſima ante paſchatis feſtum abſolveret, hæc* (inquit Poklingtonus in altar. pag. 57.) *eſt illa ſancta diſciplina, quam reſtitutam cupit liturgia*: Atque *hac pœnitentia vere ſatisfieri Deo pro peccatis commiſſionis; ut oratione pro omiſſionis,* inquit Shelfordus. p. 125. & 129.

& 129. *De extrema unctione nullam fore controverſiam cum pontificiis, utantur prout velint, modo ne in cenſum ſacramentorum evangelicorum aſſcribant:* Montacut. in Antigag. p. 267.

De fide, juſtificatione, legis impletione, & merito, docent. *Fidem nudum tantum eſſe aſſenſum, nullam requirere applicationem, nullam fiduciam perſonalem; eamque perſonalem applicationem eſſe meram præſumptionem, & cerebri non ſatis ſani figmentum.* Shelfordus. p. 36. *Optimum medium apprehendendi Chriſtum, eſſe charitatem.* Ibidem p. 106. *Iuſtificationem quidem ab Apoſtolo attribui fidei, ſed illud intelligendum eſſe Inchoative tantum.* Chounæus in collect. theolog. p. 69. *Charitatem eſſe fidei formam: & per eam primario coram Deo juſtificari homines,* Shelfordus, p. 102. & 106. quod hoc apodictico ſcilic. ſyllogiſmo monſtrum illud theologi confirmat, *Deus juſtificat, at Deus eſt charitas. E. charitas juſtificat:* vah! quanta caligine occæcatos opportuit fuiſſe eorum oculos; quos non puduit impurum & futilem hunc libellum, in ipſis Academicorum comitiorum ſolennitatibus onerare tam ſplendidis profundæ & raræ eruditionis elogiis; an quos per calumniam ſolifidianos vocant, tam obeſæ naris homines putant iſti novatores, ut inſulſis ejuſmodi nugis ſcutica aut ferula caſtigandis; de controverſiæ ſtatu ſe moveri permitterent? Sed me contineo. Docent etiam, *juſtificationem peccatoris coram Deo, nihil aliud eſſe quam converſionem & ſanctificationem per juſtitiam inhærentem.* Idem Shelfordus. p. 107. Montacut. in Antig. p. 142. *Legē Dei non ſolum poſſe, verumetiam in hac vita facile impleri:* Shelfordus. p. 121. *Deumque ſi præſtitu impoſſibilia imperaſſet, injuſtum fore & tyrannum.* idem p. 136. Whitus de ſabbato. p. 157. *Extremā blaſphemiam eſſe, ſi quis dixerit in optimis ſanctorū actionibus eſſe admixtum aliquid peccati.* Shelf. p. 147. *A quibuſdā non ſolum perfecte in hac*

vita impleri legem; verum quoſdam ſupererogare, præſtando Conſilia illa, (quæ vocant) *perfectionis, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ:* idem p. 184. *Bona opera vere & proprie eſſe meritoria æternæ vitæ.* idem paſſim ubi ſupra. *Idque ex condigno.* Montacut. Appello Cæſar. & in antigag. p. 153. *eſſe veras efficientes cauſas ſalutis, uti mala opera ſint damnationis.* Chounæus in collect. Theolog. p. 18. Et quod multo maxime admirandum venit, licet ejuſmodi ſcripta ab orthodoxis pro tribunali exagitata ſint, nondum tamen à Cantuarienſi obtineri potuit, ut heterodoxias iſtas ſibi diſplicere ſignificaret, quin contra per hyperaſpitas ſuos Heilens & Dowum, authores eorumque hæc dogmata defendit. Atque hæc de erroribus & hæreſibus Pontificiis à factione hac reſorptis: ſi cui animus ſit eorum ſcripta legere, primo intuitu perſpiciet iiſdem argumentis utroſque niti.

Sequitur ut, quo animo ſint in ſuperſtitiones pontificias dicatur: verbo quidem fatentur eccleſiam iſtam ſuperſtitionibus laborare; verum cum in ſpecie ad earum deſignationem deſcenditur, aliter rem ſe habere comperietur: *Nam, quid vetabit quominus me ſignem ſigno crucis in qualibet corporis parte, quocunque demum tempore; in omni actione, cum in veteri eccleſia hoc factum fuerit, eodemque ritu ſine ullo ſcandalo & ſuperſtitione adhuc uti poſſumus.* inquit Montacut. in appello Cæſar. p. 268. *& inter genuinas Apoſtolicas traditiones recenſet* Samuel Hoardus, in concion. p. 15. *Pontificias ſuperſtitiones de reliquiis ſanctorum circumgeſtandis*, audivimus ſupra Montacutio probatas. Modum orandi, eorum (uti canit Mantuanus)

Qui filo inſertis numerant ſua murmura baccis,

ſeu per globulos, & roſaria, laudat, *& ſacram arithmeticam* vocat Staffordus, in gloria fœminei ſexus p. 148. *Jejunium quadrageſimale uſque adeo arridet* Montacut.

tacut. in antidiat. p.9. *ut non renuat hæreticus judicari, niſi ab Apoſtolica authoritate ſancitum fuiſſe probaverit. Et à divina authoritate deſcendere* dicit Couzenius in devotione.p.221.*ut & diei veneris jejunium.* idem,ibid. &, *ſi Epiphanio* (inquit Guilielmus Wats in concione de Apoſtolica mortificatione p. 50) *credendum, eadem authoritate nititur diei Mercurii jejunium.*

De locorum ſanctitate, profitentur, *ante Chriſtianam ſepulturam cœmiteria neceſſario conſecranda eſſe ab Epiſcopis, quomodo vero conſecratio ea peragenda ſit, ad antiquos canones referunt; & conſecrata pollui ſecularibus actionibus, aut ſepultura hæretici, ſchiſmatici, aut excommunicati.* Laurentius in concione. p. 9. Ioſephus Hallus in concione habita ad conſecrationem cœmiterii. p. 38. & 40. & *exemplo Iudæorum hanc conſecrationem obtrudit.* ibid. *Templa eſſe peculiaribus ritibus conſecranda, & iis conſecratis ſine periculo aſſcribi ſanctitatem,laudatque illud Bernardi, quis parietes iſtos ſanctos dicere vereatur,quos manus ſacratæ pontificum tantis ſanctificavere myſteriis.* Tedderus in concione habita coram Epiſcopo Norwicenſi. p. 8. *Profanari templa ſi quis intra eorum parietes caput operiat.* Shelfoordus p. 51. *altaria ſpeciali ritu conſecranda eſſe, & encænia celebranda.* Poklington. altar. p. 141. *Altaria cancellis ſeparanda eſſe à reliquo templo, inter quos ſolis ſacerdotibus ingredi licet; regibus & imperatoribus aliquando idem concedetur cum creatori dona offerunt.* Poklington. Ibid. p. 80. *coram altari ter ſe proſternere debere ſacerdotes.*Laurentius ubi ſupra. p. 20. *Propter arctam illam unionem inter locum illum & humanam Chriſti naturam.* idem p. 12. *quæ in altari tanquam in throno reſidet.* Cantuarienſ. in oratione habita in Camera Stellàta.p.47.*Precandum eſſe facie ad orièntem converſa, cum ſic tradiderint Apoſtoli.* Heilens antidot. Lincoln. *Dum recitatur Decalogus genuflectendum eſſe; dum ſymbolum & Euangelium, ſtandum; uti & cum habetur concio apertis capitibus*

ſtandum eſſe auditoribus. Shelfoord. p. 20. 22. *& ad nomen Ieſu genuflectendum, exemplo præſulum licet nulla adhuc lege injungatur.* Ibid. *Delictum eſſe contra quintum decalogi præceptum, ſi quis feſta in honorem B. Virginis Mariæ, Angelorum, & ſanctorum non religioſe obſervet:* Couzenius in devotion: *& profanari ſacroſancta illa feſta operibus: Diem tamen dominicum non profanari aut pollui iiſdem operibus ſi ea magiſtratus permiſerit, cum abſtinentia ab operibus ſæcularibus die dominico nullibi in novo teſtamento imperetur, & quod non prohibetur ultro permiſſum eſt.* Whitus Elienſis epiſcopus, in libro peculiari quo probat diem Dominicum non habendum eſſe pro ſabbato. p. 217. *& ne inficeretur populus judaiſmo ſabbati, imperatum fuit paſtoribus omnibus in Anglia ut publice prælegerent ſcriptum quo omnibus concedebatur licentia ludendi diebus Dominicis poſt finita ſacra, dummodo iis interfuiſſent*, Heilens in Hiſtoria ſabbatica.

Reſtat quartum caput de miſſa pontificia: Cui ut viam præmuniant, vatiniano odio contra publicas conciones in eccleſiis reformatis frequentatas feruntur: ut iis extruſis locus ſit miſſæ. Itaque docent, *munus concionandi publicum paucis tantum quibuſdam extraordinariis & eminentibus viris committendum eſſe, neceſſarium tantum eſſe cum reformandi ſint errores aut novi canones proponendi*: hoc eſt, *in eccleſia conſtituenda, non conſtituta: præcipuas partes paſtoralis officii eſſe intelligenter ac diſtincte legere liturgiam, ejuſdemque prælectionem eſſe efficacem concionem.* Shelfoordus. p. 35. 39. 76. & paſſim ex profeſſo. *Non eſſe publice petendum precibus auxilium ſpiritus S. ante inchoatam concionem; aut finita concione ejuſdem opem ad audita in praxin referenda.* Heilens contra Burton. p. 165. *Neque conſultum eſſe paſtoribus etiam doctiſſimis, ut privatim etiam in conclavibus, alia precum formula utantur, quam quæ in liturgia præſcribitur; alias ſciant ſe conatu temerario Dei majeſtatem contemnere:* Couzenius in devotion. præfation. *Diebus Domini-*

minicis, ad ſummum ſemel tantum concionandum eſſe, pomeridianas ſuperfluás eſſe. Shelfordus p. 93. Heilens contra Burtonum p. 166. 168. (atque hic non ſine ſingulari ſeu oſcitantia ſeu impudentia in hiſtoria ſua ſabbatica. parte 2. cap. 6. §. 9. auſus eſt aſſerere, *Decretum fuiſſe idem in eccleſiis reformatis belgicis in Synodo Dordrechti convenientibus anno* 1574. *artic.* 46. ex rabula procul dubio Scultingio citans hunc canonem. *Publicæ veſpertinæ preces non ſunt introducendæ, ubi hactenus non ſunt, & ubi ſunt, tollantur.* quaſi vero ſynodus illa loquatur de die Dominico, quod pro confeſſo ſumi vult Heilens, atque inde infert, decreto ſynodico vetitas eſſe pomeridianas conciones diebus Dominicis, quod certe patribus illis ne per ſomnium quidem unquam in mentem venerat; Nam revera loquuntur de concionibus quæ poſt meridianis horis haberentur in reliquis ſeptimanæ diebus.) Docent etiam, *conciones iſtas publicas magis officere pietati quam prodeſſe, ſanctiuſq; victuros homines ſi eſſent conciones infrequentiores, cum per eas naſcantur ſchiſmata, hæreſes & quicquid vitiorum cernitur in populo.* Shelfordus. p. 71. 82. Deus bone quanta verborum amarulentia inſectentur hodiernos paſtores, qui ex Apoſtoli præſcripto ſermonibus ad populum inſtant tempeſtive & intempeſtive, *pruriginoſos quidlibet effutientes, qui eccleſiam in tonſtrinam vertunt, catulos oblatrantes, clamatores odioſos & moleſtos, ineptiarū plenos vocat* Lancelot. Andreas poſthum. oper. p. 32. quia ſc. inani verborum tinnitu & ſæcularis ſcientiæ oſtentatio purum Domini verbum corrumpere illis religio eſt, & luporum adventum ac artes populo ſibi commiſſo demonſtrant, veriti ne torpido ſilentio pereuntium ſanguinis rei eſſent.

Atque ſic profligatis concionibus, De Miſſa docent, *ſatis ſignificanter ipſorum liturgiam ea voce denominari, exemplo veterū.* Poklingt. in die Dominico. *Et ſicuti vocem ipſam non damnant, ſic neq; rem voce contentam, modo*

ſano ſenſu intelligatur. Montacut. antidiatrib. p. 10. hoc eſt, *ſi ſola tranſubſtantiatio à miſſa removeretur*, Poklington. altar. p. 138. *Imo nec de voce tranſubſtantiationis certamen moveremus*, inquit Montacut. antidiat. p. 10.

Vocem cum non aſpernentur, videndum an pari affectu in res ipſas ferantur: Atque hic conſideretur (inquit author) liturgia Scotis obtruſa, (quem fœtum eſſe Cantuarienſem, frequentes per eum lituræ, interpunctiones, additiones, quin & quatuordecim literæ ipſius ad præſules Scotos, dum libri hujus editionem promoverent, ſatis licet contra jurantem arguent, & illud Eliæ Petlæi præfixum liturgiæ Anglicanæ à ſe Græcé factæ: quo gratulatur Archiepiſcopo, *Ob reſtitutam ejus cura liturgiam ſuæ dignitati, ita ut ſolenni more obſervetur in omnibus totius inſulæ regionibus.*) Et cum miſſa componatur; facile apparebit, Omnes Miſſæ pontificiæ partes ne una quidem excluſa, contineri in Liturgia hac Scotica vel formaliter vel virtualiter: ejuſque parallelum ſe propediem in lucem publicam daturum ſpondet author. Specimen nunc exhibet in iis miſſæ principalioribus partibus, quas primi reformatores in Anglia ex liturgia Anglica expunxerant, & quas Scotis obtruſos denuo inſeruit Cantuarienſis: Offertorium videl. Canon, & communio.

Offertorii tum vox, tum res ipſa expreſſe continetur, eaque ſæpius repetita, ne lectori incauto & curſim forte legenti excideret, ritum eſſe Synagogæ non negant liturgici pontificii, & huc collimat liturgia Scotica, quæ quinque ex veteri teſtamento locos præfigunt, quorum literalis ſenſus Judaicam oblationem directe infert: quam uſque adeo cupide amplectuntur ut ipſam ejus (ut ita loquar) formalitatem imperent: *poſitio patinæ per ſacerdotem ſuper altari*, repræ-

repræſentat inquit Durandus in rationali, illud Levitici. 14. 4. Ponetque manus ſuas ſuper caput hoſtiæ & acceptabilis erit: Et ut ſciatur præparatoriam hanc oblationem tam eſſe pro mortuis quam vivis, ſtatim ſubjungitur *mortuorum commemoratio qui in ſingulis ſuis ætatibus lumina fuerunt mundi, & ornati ſingulari gratia ac donis*, Couzenius *ſpeciatim ſanctos quoſdam nominat*. In devotion. p. 371. Neque hic ſe continent, verum *alios omnes Dei ſervos addunt*, *qui curſum ſuum in fide perfecerunt, & nunc à laboribus quieſcunt*: quæ Bellarmino commodiſſima videtur explicatio eorum qui ſunt in purgatorio, pro quibus preces concipere jubet Couzenius Cantuarienſis Scholæ egregius diſcipulus, Devotionis ſuæ. p. 373. Horum nullum eſt omnino veſtigium in liturgia Anglica.

Sequitur Canon miſſæ, quem non minori odio proſequuntur Proteſtantes omnes, quam ſumma reverentia colunt pontificii, fatente Bellarmino. lib. 2. de miſſa cap. 18. Ejus orationes & præfationes pæne omnes ſunt in liturgia Scotica: ſed ſupra omnes maxime eminent Orationes conſecrationis & oblationis; quas verticem & cor divini ſacrificii vocat, Innocentius. lib. 4. cap. 1. Conſecrationis porro nomen quod in Anglica expunctum fuit, (quia ſenſu pontificio Conſecrare eſt conſecratione tranſubſtantiare, inquit Durandus lib. 4.) hic in liturgia Scotica inſeritur majoribus literis; *Oratio conſecrationis: Et hæc jubetur recitari à ſacerdote ad latus altaris occidentale; facie, à populo qui longe diſtat, averſa*: Et quid differt hoc à ſecreta murmuratione verborum conſecratoriorum inter pontificios? Quare ſi quis hinc inferet, licere ſacerdoti lingua populo incognita ſacrum illud peragere, (quandoquidem Deus quem alloquitur omnes linguas æque intelligat, elementa vero ipſa quæ conſecrantur nihil intelligant, & populus, in cujus ſolius gratiam

gratiam uſus linguæ cognitæ urgetur, cancellis ab auditu ſacerdotis averſi arceatur, ut audire nequeat) haud facile reſpondebit factio hæc adverſaria, præſertim cum eorum longe doctiſſimus Whitus Elienſis Epiſcopus de ſabbato. p. 97. *neget jure divino peragenda eſſe ſacra lingua populo cognita, & ad eccleſiaſticam traditionem referat*: longe tamen aliter ſentiebat & loquutus fuit, cum ad inſulam & mitram nondum promotus fuiſſet; nam in libro quo doctiſſimi fratris vindicias contra Jeſuitam peregit, cui titulus Orthodoxa fides.cap.2.artic. 17. Apoſtolicum præceptum ex 1.Cor. 14. urget. Sed non tunc aperta fuere factionis hujus myſteria: cui ſolenne eſt à ſe ſemel poſita convellere, & religionem ad ambitionem ſuam attemperare. In ipſa illa conſecratoria oratione ipſa formalia Pontificiorum verba inſeruerunt, quibus eorum tranſubſtantiatio innititur, nam *Deus rogatur ut velit ita ſanctificare oblationes panis & vini, ut fieri nobis poſſint Chriſti corpus & ſanguis*: Conſona ſunt hæc illis Montacutii in appello Cæſarem.p.289. *De modo præſentiæ Chriſti inanem eſſe inter pontificios & reformatos litem: concordiam eſſe facilem, niſi pacis conſilia Ieſuitæ & Puritani à Diabolo inſtigati impedirent*. & Laurentius, in concion.p.18. *Modum præſentiæ non quærendum eſſe, multo minus determinandum*. Antea tamen complura ex Cantuarienſi & ſuis accepimus de corporali præſentia Chriſti in altari; propter quam altare adorari volunt. Si quis vero elevationem & adorationem elementorum deſideret, eam exhibet rubrica marginalis Scoticæ liturgiæ, qua *presbyter jubetur tollere in manus patinam & calicem, & an æquum cenſeri debet, ut ſacerdos ſacra myſteria in manibus ſumat, ſine humili reverentia & ſubmiſſione*. Heilens contra Burtonum, p. 137. Poſt orationem conſecrationis immediate ſubjicitur *Oratio oblationis*, eo ordine & iis verbis quibus in miſſali Salisburienſi olim exſtabat; & ne quis dubitaret

bitaret ne cum pontificiis plenum conſenſum foveret de natura hujus ſacrificii, docent, *verum, proprium, corporale, viſibile hic eſſe ſacrificium, licet incruentum, ob cujus oblationem Apoſtoli & omnes paſtores veri ſunt ſacerdotes ſeu ſacrifici ſecundum ordinem Melchiſedechi, & menſa euchariſtica tam verum & proprium eſt altare, quam æneum illud Moſis altare fuit.* Heylens. antidot. Lincol. p.6. & 17. & Poklintonus ex profeſſo, in altari ſuo Chriſtiano, authentica Cantuarienſis licentia excuſo, inter alia quibus ubique turget fermento Papiſtico cap. 20. ſic loquitur. *Si nullum habemus Chriſtianum altare, neque etiam ullum habemus Chriſtianum ſacrificium; ſi nullum ſacrificium neque etiam ullum habemus Chriſtianum ſacerdotem: ſi nullus eſt nobis ſacerdos, Apage Liturgiam docentem ſacerdotem quomodo ad altare aſſiſtere debet.*

Tertiam miſſæ principalem partem facit Communio: cum liber Anglicus opportune adderet ſententias quaſdam de edendo per fidem, & bibendo in memoriã, ne corporalem præſentiam conciperent imperitiores ex verbis diſtributionis, Scotica liturgia ſententias haſce delet, quia ſcil. ejus authoribus propoſitum fuit ut populus corporalem præſentiam conciperet, & reſponſione *Amen* eandem diſerte profiteretur. Anglica liturgia jubet tradi elementa in manus communicantium, hoc in Scotica deletur, & ejus loco inſeritur, *debito ordine communicet populus*; quibus verbis complura latent myſteria, nam cum iis innuatur oppoſitio quædam inter communionem clericorum & laicorum, neque ullibi expreſſum ſit, in quibus differentia iſta ſita ſit, excepto loco in quo actio hæc peragitur; cui dubium quin ſic poſtica aperiatur plurimis Pontificiorum erroribus; quales ſunt, ut elementa in os communicantis populi ingerantur; ut altera tantum ſpecies laicis tradatur:

nam

Nam *nullibi mentionem facit liber Scoticus communionis Laicorum ſub utraque*, quin contra Montacut. in originib. p. 396. aperte profitetur, nihil tale in ſcripturis inveniri. *Vbi* (inquit) *jubentur infantes in ſcripturis baptizari, aut in cœna Domini ſub utraque ſpecie communicantes participare; de his poſſumus profiteri, Nihil tale docet ſcriptura, ſcriptura hæc non prædicat:* Quid ſibi vult nomẽ illud *Corporalis*, de linteo quo tegenda ſint elementa poſt conſecrationem? nomen illud nunquam eccleſiæ innotuit niſi poſt natam tranſubſtantiationem: Uti & illud, *ſi elementa conſecrata non ſufficiant communicantibus, presbytero repetenda ſunt verba conſecrationis ſuper novo pane ſeu vino. Quid repoſitoria illa publica? A quorum retentione eccleſiam Anglicanam laudari* vult Poklingt. nonne ſatis docent conſultum eſſe ſacramenta reſervare? in quem uſum viderint ipſi: Andreas Wintonienſis in ſtrictur. *Non audet damnare conſuetudinem illam reſervandi ſacramenta, & deferendi ad ægrotos pro viatico.*

Reſtat jam ut probetur eandem factionem graviſſimam tyrannidem promovere tum in eccleſias, tum in ſubditorum privilegia.

Deſpoticam authoritatem in eccleſias ſibi aſſumere præter quotidianam praxin, hæc eorum ἀξιώματα demonſtrant, *Poteſtatem condendi eccleſiaſticas leges ſolummodo competere Diœceſano epiſcopo, tam extra Synodum, quam in Synodo, in qua quos ex clero advocare Epiſcopo viſum fuerit, ſuffragia habent ſolummodo deliberativa, cum ſpiritualem juriſdictionem in foro exteriori non ſolum à regibus, verumetiam à Deo habeant epiſcopi; quia dicit Apoſtolus, omnis poteſtas eſt à Deo.* Samuel Hoardus. conc. p. 8. quam habuit in Metropolitana viſitatione.

Iura omnia quibus reguntur eccleſiæ, & quibus reges ipſi, membra & filii eccleſiæ permittunt ſe gubernari, nativam

tivam vitalitatem ex præpoſitis eccleſiæ, hoc eſt, Epiſcopis, tanquam ex corde recipiunt, & vivacitatem ex ipſis tanquam ex capitibus derivant. Chounæus in collect. theolog. p. 53. *Epiſcopos ſolos ſine ullo cleri conſenſu poſſe abrogare totam eccleſiaſticæ diſciplinæ formam, licet ea legibus regni municipalibus, ac nationalium Synodorum decretis ſancita ſit, ac annis 80. frequentata : & ejus loco novam ſubſtituere : poſſe totam externam cultus divini formam unica litura obliterare, & novam à ſe compoſitam invitis eccleſiis ſevere obtrudere :* Teſtatur praxis recens Epiſcoporum Scoticorum, obtrudentium ſimul & ſemel libros Canonum, liturgiæ, ordinationis & homiliarum; non minus monſtroſa & barbara Scotis ſunt hæc nomina, quam fuerunt ominoſa : Ad quod faciendum Cantuarienſis conſilio & auxilio commoti fuerunt, ſuiſque literis frequentiſſimis quæ in Scotorum manus devenerunt, ut diligens ἐργοδιώκτης eoſdem ſollicitavit, ac currentibus calcar addidit : *Pari reverentia & cura obſequendum eſſe mandatis Epiſcoporum, qua Dei; cum Deo contraria non præceperint.* Whitus in examin. dialog. p. 20. ex Bernardo citat & probat; ut & illud ex Euſebio, *quicquid in ſanctis epiſcoporum conſiliis decernitur, id univerſum divinæ voluntati debet attribui.* Ita quidem, ut *ſi quis auſus fuerit vocare in dubium non ſolum Canonem, verumetiam rubricam & titulum canonum Epiſcopalium, excommunicandus ſit.* Canon. Scotic. p. 8. & *ubi nulla pœna quorundam canonum violatoribus deſignatur, ea ad arbitrium Epiſcoporum referatur.* Ibid. p. 37. quam vero gratiam ab epiſcopis exſpectare poſſint rei læſæ authoritatis epiſcopalis, illuſtria & recentia exempla ſatis docent; ſtigmata, perpetuus carcer, aurium amputatio, publica flagellatio, exilium, ingentes mulctæ pecuniariæ; leves dicunt eſſe pœnas, reſpectu earum quas meriti ſunt qui audent miniſtrorum paritatem ex verbo Dei probare, aut, epiſcopatum juris eſſe divini, negare :

Cum

Cum tamen ſingulari clementia ferantur in Ieſuitas, & ſacerdotes pontificios: *abſit*. (inquit Cantuarienſ. in epiſtola dedicatoria præfixa relationi colloquii cum Piſcatore ſeu Fishero Jeſuita) *ut ego unquam author aut ſuaſor eſſem vel minimæ perſecutionis contra Ieſuitas; aut ut ego ipſe eos perſequerer: nam quantum memini, neque illum vid. Fisherum, aut illius ſocios vel verbis acrioribus unquam accepi.*

Poteſtatem ſupremi magiſtratus uſque adeo extendunt, ut nullus locus legitimis ſubditorum privilegiis relictus ſit: licet ſeren. Rex Carolus in oratione ſua regia ad parliamentum Angliæ ann. 1628. ingenue profeſſus ſit, *prærogativam regiam in eo ſitam eſſe ut ſubditorum privilegia tueretur*; licet advocatus regius in Anglia non ita pridem nobiles quoſdam Anglos in jus vocaverit regis nomine, quod ſcriptum quoddam ab alio compoſitum penes ſe haberent, & divulgaſſent, quo author ſcripti regi ſereniſſ. ſuggerebat, *ut omnia ad ſui ipſius arbitrium revocaret, ſubditorum fortunas ſine ipſorum conſenſu arriperet, ac edictis ſuis ſine parlamenti conſenſu leges figeret & refigeret, Quod ſcriptum*, inquit idem advocatus, *ſi vulgo innotuiſſet, maximis tumultibus cauſam præbuiſſet., ac inevitabile ſere damnum tam regi ſereniſſ. quam toti regno excitaſſet*: Licet Bilſonus Wintonienſis epiſcopus de ſubjectione. p. 280. fateatur, *Licere ſubditis aliquando ſine rebellionis crimine, principibus ſuis reſiſtere, ſi imperium & regnum in tyrannidem mutare velint, aut neglectis legibus ex animorum ſuorum arbitrio agere, his* (inquit) *& ſimilibus caſibus, licet optimates & populus ſe conjunxerit ad antiqua & recepta privilegia defendenda, nequaquam rebelles cenſendi ſunt.* Et ibid. idem, *Scotorum, Gallorum, Belgarum proteſtantium cauſam contra rebellionis crimen iiſdem à Pontificiis objectum fuſe agit*, ac diſerte aſſerit, *Licere optimatibus & populo tueri antiquam ſuam & Chriſtianam libertatem pactam & conven-*

conventam cum principibus, quibus primitus ſe ſubmiſerunt ; & confirmatam ac approbatam à ſubſequentibus regibus; Licet sereniſſ. Rex Carolus, reformatos in Galliis contra illorum regem, & Germanos contra tyrannidem imperatoris juverit, nunquam proculdubio manum periclitantibus tam liberaliter majorum ſuorum exemplo porrecturus, ſi putaſſet nulla ratione licere ſubditis ſe tueri contra principes ſupremos: aut regum poteſtatem ſupra omnes leges eſſe, à quibus non poſſet limitari. Nihilominus tamen vulgo apud hujus adverſæ factionis principes receptum & decantatiſſimum eſt, *regum poteſtatem illimitatam eſſe, nam cum ſint Dei Deputati, à quibus quæſo limitari poſſunt? An à legibus? Sed illarum conditores ſunt & latores: principes itaque ſupra leges ſunt, & principi lex non eſt poſita, & abſolutam habet authoritatem*: Heilens in moderato ſuo reſponſ. p.28. 32. Abredonenſes Theologi in duplic. p. 22. *Et non minus læſæ majeſtatis crimen incurrere qui definiet, quid rex poſſit aut non poſſit, quam Atheiſmi, qui pro & contra diſputet quid Deus poſſit aut non poſſit.* Ait quidam ex factione iſta ſub larva Lyſimachi Nicanoris; p.3. *Regum reſcripta privata, leges eſſe.* Heilens antidot. Lincol.p.66. Totus liber Iohannis Wemii de primatu regis, tyrannicis hiſce paradoxis refertus eſt; in quo nomine primatus regii omnia tum in repub. tum in eccleſia regibus concedit, *Ita ut nullo caſu, quicunque demum is ſit, ſubditis liceat principi reſiſtere, adverſus quem naturalis juris defenſio ſeu injuriæ depulſio omnibus & ſingulis ademta eſt*: Quod & Abredonenſes Theologi in duplica ſua paſſim effutiũt, & in canones eccleſiaſticos in nupera convocatione Anglica, Cantuarienſis opera relatum eſt: & hinc atrocia illa rebellionis, ſeditionis convitia toties in Scotos jactitata, quia privilegia eccleſiaſticis & politicis legibus ſancita, à pauculis quibuſdam eccleſiaſticis iiſque exteris & peregrinis, regia gratia

 abuten-

abutentibus conculcari, & regnum ſuum independens & liberum ſimul cum eccleſia, in provinciæ ſervilis formam redigi non patiuntur.

Atque hæc ſumma eſt illius libri; an vero nomen titulo contractum author expunxerit, ad lectores partium ſtudio non occæcatos, & librorum paginas ac ſectiones intrepide provocat.

Quibus vero animis ſcripta hæc in Anglia à quamplurimis accepta fuerunt, in parlamento Angliæ tum convocato ſatis conſtabat. Nam licet ingentia promiſſa corrigendi omnia gravamina & reformandi omnes abuſus oſtentarentur, dummodo ordines liberaliter & alacres ſubſidia pecuniaria contra rebelles Scotos concederent; nihil tamen ab inferiori parlamenti illius domo, hoc eſt, provinciarum & civitatum deputatis obtineri potuit, itaque ſemper inſtabant ut gravamina prius excuterentur; perſuaſum etiam quamplurimis fuit, nullo exercitu opus eſſe ad Scotos in ordinem redigendos, ac regiæ obedientiæ ſubjugandos, cujus legitimum jugum nunquam detrectaſſent: quibuſque nihil aliud propoſitum eſſe proſpiciebant, quam ut privilegia ſua à majoribus tranſmiſſa tuerentur; nec paterentur ſe in vilem ſervitutem redigi, ſub ſpecioſo & fallaci fuco moderatæ ſubjectionis: qualem videl. patitur Hibernia. Ruptæ à Scotis pacis plurima non ſine verborum apparatu indicia proponi videbant, & inter alia referri actiones Scotorum in nupera ſynodo, à rege indicta, & deputati regii continua præſentia cohoneſtata, ac ejus conſenſu rata; quas tamen nunc proditionis nomine venire non ſine ſtupore audiebant: licet ſynodi ſanctionem expreſſe pollicitus fuiſſet Sereniſſ. rex; alia vero vel uſque adeo levia, vel dubia, vel aperte contra ipſorum mentem diſtorta fuiſſe quæ Scotis objecta fuerunt, ut, niſi rex per cuſtodem magni ſigilli declaraſſet ſibi quam ingratiſſimum

mum futurum, ſi quilibet, quicunque demum is eſſet, operam ſuam offerret ad negotium hoc inter ſe & Scotos componendum, conſtans prudentiorum opinio fuerit, ordinibus regni Angliæ ſtatutum fuiſſe, apud regem intercedere pro Scotis, ut poſitis armis res legitime & ex æquo componi pateretur: præſertim cum armata Scotorum oppreſſione vincula ſibi paratum iri metus multis eſſet.

Quod cum factioni Scotis adverſæ ſuboluiſſet, neque ullis rationibus perſuaderi potuiſſe provinciarum & civitatum deputatis, ut ſubſidia in bellum hoc conferrent; nec immerito metuerent, ne, ſi parlamento permitteretur altius in gravaminum cauſas inquirere, incideret in foveam quam Scotis paraverat; regi ſeren. authorem fuiſſe omnium calculis referebatur, dimittendi ac diſſolvendi parlamenti, maximo bonorum cum mœrore. Clerus interim in domo convocationis ſibi ſedulo proſpiciebat, & (reluctantibus regni comitiis, ſine quorum tamen decreto nulla ſynodus legitima, nulla lex eccleſiaſtica rata eſſe ſolet) nutantem ſuam authoritatem novis canonibus ac juramentis ambiguis fulcire conabatur, in quæ adigendi eſſent omnes eccleſiaſtici. Inter alia papiſmum damnabant; quid vero eo nomine cenſendum eſſet multis dubium fuit; cum nucleum ipſum papiſmi, non ſolum in ſinu foveri, verumetiam publicis ſcriptis à primipilis promoveri perſpectum eſſet.

Scotos vero ſuſpenſis animis Comitiorum eventum exſpectantes, inexſpectata hæc eorundem diſſolutio, ſatis edocuit extrema quæque ſibi brevi experienda fore, præſertim cum ubique interciperentur eorum naves, diriperentur bona, inclementius cum miſeris nautis captivis ageretur quam cum hoſtibus, & ut omne penitus maritimum commercium excluderetur, rex navibus aliquot ſuis majoribus cũ

aliis Myoparonibus & celocibus fretorum omnes aditus obſervari jam pridem imperaſſet; certis etiam nunciis compertum fuit in procinctu eſſe regios exercitus tam terreſtres quam maritimos, ingentemque apparatum bellicum & omne genus commeatum *Hullam, Novo-caſtrum, Berwicum*, oppida Scotiæ maxime vicina, quotidie, non ex reliqua Anglia ſolum, verumetiam Flandria & Hollandia ac Dania advectum fuiſſe: domi vero extrema quæque experirentur à præſidiariis caſtelli Edenburgeni, qui in pueros, ac fœminas maxime ſæviebant ſine ullo humanitatis affectu. Quare & ad ſuam defenſionem ſe accingunt Scoti, caſtella & tormentorum ſuggeſtus locis opportunis contra arcem Edinburgenam ædificant, nequicquam fremente arcis gubernatore & minitante ſe univerſum oppidum incendio conſumpturum: Conſiliorum vero ſummam ad tempus comitiorum à rege indictum ad 2. Iunij ſtylo veteri referunt.

Quando cum conveniſſent Edinburgum, propter regis regiique deputati abſentiam, *D. Burlæum* Baronem parlamentarium multo civilis prudentiæ uſu inſtructum, præſidē comitiorum per ſuffragia crearunt, ac ſancitis iis quæ ad ordinandam pacem publicam & ſalutem tam eccleſiæ quam regni neceſſaria judicarent, ad defenſionis contra apertam vim conſilia progrediuntur: *Generali Leſlio* in omnes exercitus tam maritimos quam terreſtres ſummum imperium unanimi omnium ordinum ſuffragio defertur; eorundemque ſupremum legatum ſeu vicarium conſtituunt *Aumontium* Baronem parlamentarium, virum generis nobilitate, & probata virtute, ac ſingulari pietate & prudentia jampridem conſpicuum, quem ſincerus in patriam ſuam, ac religionem amor ex militia Batavica retraxerat, in qua Scoticæ legionis tribunum ſumma cum laude annis compluribus

ribus egerat. Electi tum fuere duo ſupremi vigiliarum præfecti, *Baillius tribunus*, ſimul cum *Munroo*; expertæ uterque virtutis & plurimorum ſtipendiorum in caſtris Sueco-Germanicis: Laudonium extra culpam eſſe illius criminis, cujus in Anglia arceſſitur, ſtatuto peculiari declarant, ac damna ex ipſius infortunio ſpondent ſe uxori & liberis præſtituros. Legiones ſtatim conſcribendas deſignant, iiſdemque alendis pecunias communibus ſuffragiis colligendas eſſe.

Leſlius provinciam capeſſit, & Munroum cum legione ſua Abredoniam & ad provincias illas trans-Grampianas progredi juſſit, ut nationes illic ſeditioſas & latrociniis aſſuetas in officio contineret, & oram iſtam ab excurſionibus maritimis per claſſem regiam tueretur, ac interim nobilium adverſantium caſtella munita in ſuam poteſtatem redigeret, & pecuniam ad belli ſumptus omnibus ex comitiorum præſcripto imperatam, invitis & detractantibus extorqueret: & pertinaciter reluctantes comprehenderet atque Edinburgum tranſmitteret: Quæ uſque adeo fœliciter præſtitit, ut ab iſtis provinciis nihil adverſi metuendum fuerit, & ſera pœnitentia Abredonenſes edocti præteritam ſuam contumaciam damnaverint. In Auſtralibus cisForthanis regionibus tres ſupererant arces regiis præſidiis inſtructæ, quas arctiſſima obſidione claudi juſſerunt. *Edinburgenſ* arci præerat *Ruvenus*; *Britannoduno*, *Henderſonus*; & *Carleveroco*, ſito ad orientalem Nithi fluminis ripam *Comes ipſe Nithiæ*, Maxwellorum familiæ in partibus illis numeroſæ princeps; & pontificiæ religioni addictiſſimus: Sed & hæ arces, licet naturali ſitu munitiſſimæ, commeatus penuria & extrema fame, poſt aliquot menſium obſidionem vindicibus libertatis tandem traditæ fuerunt. In occidentalibus provinciis Hiberniæ oppoſitis, *Argathelium* & *Eglintoniū* Co-

mites ſubſiſtere jubent, ut adjunctis provincialibus, hominibus ſtrenuiſſimis, totam illam oram maritimam tuerentur: nam conſtans rumor fuit diligentia & artibus Deputati Hibernici Scotis infenſiſſimi ingentem exercitum ibi conſcriptum & propediem tranſmittendum in vicinas Scotiæ provincias, vel ob id ſolum ut Scotorum vires diſtraheret; ſed nobiliſſimorum illorum comitum vigilantia uſque adeo proviſum fuit provinciarum iſtarum ſecuritati, ut de ſuis ſervandis tantum non deſperarent Hiberni, ſi, ut conſtanti rumore ferebatur, *Argathelius* in Hiberniam trajeciſſet.

Diligenter interim promovetur militum delectus in Ciſgrampianis, maxime vero ciſ Forthanis provinciis: qui tandem 20. Iulii convenerunt in *Marcia*, ac prope ſilvam *Chauſleam* caſtrametati ſunt, cum omnis generis apparatu bellico, & quadraginta dierum commeatu, uti in comitiis imperatum fuit. Ibi re diu multumque deliberata, communibus omnium ſuffragiis concluſum fuit in Angliam progrediendum eſſe, non ut vicinos damno ullo afficerent; nam regno Angliæ violationem nuperæ pacificationis non imputabant; verum ut ſuæ neceſſariæ ſecuritati contra factionem illam ſibi adverſam mature proſpicerent: Æquitatem vero hujus expeditionis ſcripto typis excuſo aſſerunt, quod de verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

Æquitas expeditionis Scoticę in Angliam.

Uti ab initio magni hujus operis in hodiernum uſque diem, nihil temere, ſed firmiſſimis rationum fundamentis ac Deo deducente, hactenus à nobis factum eſt; ita nunc æquitatis noſtræ fiducia confiſi, parati ſumus ad reſpondēdum cuivis poſcenti rationem præſentis hujus expeditionis, quæ inter maxime notabiles eſt admirandi hujus & plane divini operis

peris

peris partes. Quod dum præſtamus, omnes rogatos volumus, ut animis ſupra privata commoda aut incommoda ſublatis, abſque præjudiciis & partium ſtudio in ſequentia diligenter intendant.

1. Sicut omnibus cognitum eſt, quanta ſit extremæ neceſſitatis vis, & quantum ad actiones etiam dubias juſtificandas ſeu aſſerendas poſſit; ita negari nequit, quin vel pax nobis nunc ſit neceſſario petenda in Anglia, vel ſuccumbendum ſit tribus graviſſimis oneribus, quibus ferendis prorſus impares nos profitemur. Nam 1. Alendi nobis erunt exercitus in limitibus & locis aliis manifeſto periculo expoſitis, ad patriæ noſtræ defenſionem, quam armorum depoſitione & exercituum diſſolutione hoſtibus invaſuris in prædam certiſſimam exponeremus. 2. Privabimur negotiatione maritima; quo non ſolum rebus compluribus neceſſariis regnum hoc deſtituetur, verumetiam oppida, cives & nautæ, & quicunque mercatura aut piſcatura familias alunt perituri ſint, nam eorum vitæ inſtitutum defectu maritimorum commerciorum cum aliis gentibus prorſus corruet. 3. Omnes totius regni ſubditi publica juſtitiæ adminiſtratione cariturι ſunt; nam quamvis ſingulari Dei providentia regnum hoc ſine ordinaria & conſueta juſtitia adminiſtratione publica durantibus hiſce motibus hactenus ordinatum & quietum fuerit, idem tamen ordo, eadem quies poſthac exſpectari non poterit; quin contra metuendum eſt ne omnia in confuſionem ruant. Vel horum unum quanto magis tria hæc conjuncta extremam nobis ruinam minantur, niſi hujus expeditionis remedio uteremur. Neque hæc ex ſolo probabili metu, verum ex gravi ſenſu eorundem omnium malorum profetimus: noſtro quippe ineffabili damno hactenus experti ſumus, quam grave ſit exercitus alere, commerciis ac publica juſtitiæ adminiſtratione deſtitui.

Quod ſi uſque adeo nos premant malorum horum initia, quid de eorundem augmento & diuturniori continuationi dicendum erit? Tam miſeram vitam omnes ſani qualibet morte pejorem judicabunt.

2. Conſideretur natura & qualitas hujus expeditionis, quæ cum ad defenſionem ſolummodo tendat, æquior eſt. In cujus rei argumentum revocetur in memoriam. 1. Non nos, verum ſereniſſ. regem vafris ſæviſſimorum hoſtium noſtrorum conſiliis deceptum, hujus anni bellum inchoaſſe: Nam cum in leges pacis anno ſuperiori conventum fuiſſet, exercitus etiam dimiſſi, caſtella reddita, ſynodus indicta, habita, ac conſenſu expreſſo & præſentia continua Deputati regii concluſa; ejus tamen ſanctio in ſupremo ordinum conventu denegata fuit contra leges pacis. Cum deputatos ad regem miſiſſemus qui rationes & fundamenta actionum noſtrarum in comitiis demonſtrarent, non admiſſi fuerunt ne ad regis quidem præſentiam, nedum auditi. Poſtea cum rex ſignificaret ſe eos auditurum, bellum tamen contra nos concluſum fuit in ſanctiori regis ſenatu in Anglia; imo priuſquam ad aulam veniſſent noſtri deputati; & ſupremum exercituum contra nos imperium comiti Northumbriæ commiſſum fuit: Adde quod convocata fuerint comitia in Hibernia & Anglia ut pecuniam in bellum hoc conferrent: Quæ aſtuta conſilia in noſtram ruinam deſtinata ſunt, & militares præparationes. Nonne nobis noſmet continentibus plurima illata ſunt damna, naves interceptæ, erepta bona? Omnium ordinum & ætatum homines crudeliter interempti à regio præſidio arcis Edinburgenæ: Hæc ſatis indicant hoſtes noſtros bellũ hoc inſtauraſſe, nos vero defenſorum partes agere. 2. Nullius damnum aut injuriam nobis propoſitam eſſe; ſed pacem tantum & ſalutem noſtram, ideoque noſmet inſtruxiſſe neceſſario commeatu & armis, nõ

quidem

quidem ut pugnemus, aut acie decertemus cum quolibet, niſi ad illud in neceſſariam noſtram defenſionem cogamur, prout in declaratione conſilii noſtri latius exponetur. 3. Conſideretur nos retroceſſuros & arma lubentiſſime depoſituros, quamprimum æquiſſimis noſtris poſtulatis ſatisfiet, hoc eſt, pacem ſecuram & firmam obtinebimus. Atque vel hac de cauſa qui ſe maximos & acres regaliſtas haberi volunt, tuentur, arma Proteſtantium in Galliis contra regem ſeductum factione Guiſiana, fuiſſe legitima, bellumque illud Proteſtantium fuiſſe defenſivum; quia ſemper parati fuerunt ad diſſolvendum exercitum, quamprimum ipſis cautum fuiſſet de pace & libertate religionis. Quare cum præſens hæc expeditio ſua natura defenſiva ſit, ſatis liquet non pugnare cum prioribus noſtris proteſtationibus, relationibus, remonſtrantiis, in quibus nulla exſtat vocula contra arma defenſiva in hac cauſa, verum contra, firmiſſimæ ubique ponuntur rationes quæ huic expeditioni favent. Etenim licet prima noſtra relatio hoc anno in Angliam miſſa, arma execretur offenſiva & hoſtilem omnem invaſionem, perſpicue tamen declarat, quod ſi terra vel mari invadamur, coactum iri nos illud facere, quod ſolent qui ſe in ſqualidis ergaſtulis & tetro carcere concludendos animadvertunt, hoc eſt, armis libertatem noſtram aſſerere; Si privato cuilibet ita undique circumcluſo, ut non liceat negotiatione & commerciis ſe familiamque alere, ac in perpetuo vitæ ſuæ diſcrimine verſetur, & ignoret qua hora à ſæviſſimis hoſtibus ad lanienam protrahendus ſit; ſi huic liceat quantis poterit viribus, ædes ſuas liberas reddere; quanto magis idem licebit univerſæ genti? Iniquum certe eſſet, quod in privatis hominibus probatur, in tota gente damnare.

3. Ad hanc expeditionem invitamur eadem di-

vina providentia & vocatione, qua hactenus directi fuimus in magni hujus negotii legitima proſequutione. De ejus utilitate ad Dei gloriam eccleſiæ & patriæ noſtræ pacem, euangelii propagationem promovendam ſatis nobis conſtat. Poſt preces fervidas ad Deum ut cælitus nos dirigere dignaretur, corda noſtra eo feruntur. Zelum ac animos ad ejus proſequutionem, vires & opportunitatem ad eam ſuſcipiendam, inſtrumenta ſatis inſtructa ad executionem, unanimē conſenſum ſcrupulis omnibus & dubitationum æſtibus remotis, largitus eſt nobis Dominus: Multa quæ animum nobis addant divina quaſi virgula opportune exhibita ſunt, inter quæ palmam obtinent actiones nuperi parlamenti Angliæ, cujus poſtulata & gravamina noſtris paria & prorſus conſona fuere. Operam omnem ſedulo & conſtanter impendimus per multiplices libellos ſupplices, relationes ac declarationes veras ſtatus noſtri, delegationes, & per omnia quæ à quibuſlibet exſpectari poſſent, ut ab hac expeditione liberaremur, verū conatu prorſus irrito. A nobis minime præmeditatā aut deſideratam fuiſſe Deus χαρδιογνώςης optime perſpectum habet: verum huc protruſi & coacti ab hoſtibus noſtris ut ſic ſcilicet nationalis belli ſemina ſpargerent. Sed prout hactenus Dei bonitate & paterna erga nos providentia, omnes eorum ſubdoli conatus ac conſilia in ſuum ipſorum caput converſa ſunt, ac in contrarios quam ſibi promiſerant eventus; ſic expeditione hac noſtra in Angliam (ab hoſtibus noſtris ſummis votis jampridem expetita ſibi perſuadentibus univerſam gentem Anglicam in cauſæ ſuæ privatæ patrocinium ſic ſtatim excitatum iri) ſpe ſua fruſtrandos hoſtes uſque adeo confidimus, ut utramque gentem arctioribus & firmioribus tam civilis quam Chriſtiani amoris vinculis, quam quibus unquam antehac, uniat. Porro ut divinæ vocationis ad hanc

hanc expeditionem invitantis argumenta magis perſpicue pateant: obſervandus eſt ordo veſtigiorum Dei quibus in magno hoc reformationis opere gradiri viſum eſt: Nam incipiens à craſſioribus ſordibus papiſmi in libris liturgiæ & canonum, progreſſus eſt per omnes defectionis noſtræ anfractus, quoad primas & minimas novationes quæ in hanc eccleſiam ſubrepſerant: Neque adhuc ceſſat, ſed ultra progreditur recta ducens ad Epiſcopatum Diœceſanum Angliæ, fontem videlic. ipſum & certiſſimam ſcaturiginem unde Babylonicæ iſtæ ſordes in nos identidem emanarunt: Deo itaque adhuc progrediente minime nobis conſiſtendum eſt: Imo ſperamus Dominum uſque adeo fœliciter hic progreſſurum, ut beſtiam & falſum prophetam Romam uſque protruſurus, ſi non terrarum orbem iiſdem liberaturus ſit. Tertia itaque hæc ratio ex duabus prioribus reſultat: Etenim ſi neceſſaria ſit hæc expeditio, & ad defenſionem ſolummodo ſuſcepta, neceſſario & infallibiliter ſequitur nos ad eam à Deo vocari. Nam neceſſaria noſtra defenſio non ſolum legitima eſt, verumetiam à divina & naturali lege imperatur, & ad eam in fœdere noſtro obligamur.

4. Æquitas hujus expeditionis demonſtratur, à conſideratione partis adverſæ contra quam ſuſcipitur: quæ non eſt regnum Angliæ, ſed *factio Cantuarienſis, conflata ex pontificiis, atheis, Arminianis, & præſulibus*, regis noſtri sereniſſ. ſeductoribus, & utriuſque regni hoſtibus. Hinc eſt quod nobis perſuadeamus, fratres & vicinos Anglos rebus ſuis uſque adeo improvide non conſulturos, ut ſe partem nobis adverſam conſtituant, & tutelam ac patrocinium hoſtium noſtrorum inter ſe degentium ſuſcipiant, prout olim à *Benjamitis* factum fuit, dum impium *Gibeathitarum* facinus contra Iſraelitas defenderent. Judic. 20.

dic. 20. Deum rogamus ut illis lagiri velit mulieris illius *Abelıticæ* prudentiam, quæ *Ioabo* cum exercitu contra *Abelem* civitatem movente, conſilium ſuggeſſit, quo civitatem ac Ioabum à mutua hoſtilitate detinuit. Ad commeatum vero & apparatum noſtri exercitus quod attinet, ſpondemus eum non alium futurum, quam qui inter amicos fieri conſuevit: Æquitatis & gratitudinis regula ſatis iis ſuggeret, neceſſaria nobis adminiſtranda eſſe, præſertim vero cum hæc expeditio plurimum iis prodeſſe poſſit. Deteſtari illos novimus duram & moroſam *Nabalis* avaritiam, *Davidi* cum ſuis neceſſarium commeatum denegantis etiam cum convitio & contumelia, licet erga eum valde bonus fuiſſet, neque injuria ulla affeciſſet. 1. Samuel. 25. & inhumanitatem *Succothanorum* & *Penuelitarum* detrectantium panes *Gideonis* exercitui urgenti & perſequenti omnium Iſraelitarum communes hoſtes. Iudic. 8. Agant autem Angli ſponte ſua, quod humanitatis & æquitatis leges ſuggerent. Nos interim (ut in declaratione noſtra notum fecimus) à nullo commeatum gratis petimus, ſed vel præſenti & numerata pecunia, vel certa cautione & ſponſione reſolvendi interpoſita. Quod ſi hoc nobis negabitur, (quod non exſpectamus) non minus damnandum foret quam barbara & inhumana crudelitas *Edomitarum* & *Moabitarum* obſtinate renuentium Iſraelitis aquam ad bibendum, & tranſitum per ipſorum ditiones. Numer. 20. quod crimen uſque adeo inexpiabile & atrox Deo viſum fuit, ut Edomitas ac *Moabitas* execratus fuerit, ac devoverit, ne decima eorum generatio veniret in congregationem Iehovæ. Deuteron. 23.

5. Quinta conſideratio finem ſpectat, propter quem expeditio hæc ſuſcepta eſt. Deum Optimum Maximum cordium ſcrutatorem religioſe ſæpius atteſtati ſumus, nobis nunquam propoſitum fuiſſe

quid-

quidlibet contra ſereniſſ. noſtrum regem aggredi, aut vindictam contra adverſarios noſtros in Anglia exercere, (quos in ampliſſimis Angliæ comitiis judicari petimus) aut occupatis Anglorum bonis noſmet locupletare, ullam denique omnino Angliæ injuriam inferre: quin contra operam omnem & facultates noſtras in ipſorum Anglorum commodum lubenter profundemus, prout gratitudinis leges poſtulant, ob auxilia olim nobis præſtita in ipſis primæ noſtræ reformationis exordiis, quibus à tyrannide factionis *Gallico-Guiſianæ* liberatos nos fuiſſe grata mente recolimus: firmum manebit hoc æterni in Anglos amoris & pacis vinculum, Conſcientia noſtra, & Deus conſcientiis noſtris major nobis teſtantur, ſolam nobis propoſitam eſſe Dei gloriam, utriuſque gentis firmam pacem, & genuinum ſereniſſ. regis noſtri honorem; & ut legitime ac ordine in Iſraelis turbatores animadvertatur, incendiarios iſtos intelligimus ab inferis excitatos, *Corahos*, *Balaamos*, *Doegos*, *Rhabſhakeos*, *Hamanos*, *Tobiahos*, *Sanballatos* hodiernos; quo peracto nobis abunde ſatisfiet. Neque militarem hanc expeditionem in Angliam ut medium ad ſanctos illos fines obtinendos prius aggreſſi ſumus, quam alia omnia irrita hoſtium vafritie reddita nobis eſſent: ita quidem ut hoc ultimum & unicum remedium nobis nunc ſuperſit.

6. Si Domino viſum fuerit expeditioni huic benedicere, & peccata noſtra ac Anglorum oppoſitio non obſtent, quam dulces fructus utraque gens ſimul cum poſteris carpet, ac quanto futuri ſunt ſolatio exteris reformatis eccleſiis ſuaves eventus? Nam reformatio Scotiæ ad primævam ſuam formam revocabitur, Angliæ vero reformatio, tot piorum precibus frequentiſſimè expetita, perfectionem ſuam tandem aſſequetur; tum in doctrinæ ac cultus, tum in diſciplinæ puritate; Pontificii præſules, & mem-

bra

bra omnia Antichriſtianæ iſtius Hierarchiæ, cum ſua idololatria, ſuperſtitione, traditionibus ac inventis humanis in exilium ſempiternum damnabuntur, neque amplius funeſta iſta ſectarum & ſeparatiſtarum nomina audientur: Verum unus erit Deus, ejuſque nomen ac cultus idem per totam inſulam. Sic Deo erit gloria, regi honor, regnis gaudium, poſteris ſolatium, Chriſtianis aliis eccleſiis exemplum quod laudent & imitentur; & obſtinatis noſtris hoſtibus confuſio. *Amen.*

Aliud etiam ſcriptum typis excuſum in Anglia ſpargendum curant, quo ſcopum conſiliorum ſuorum per præſentem hanc expeditionem declarant; & per quos factum ſit quod, ad extrema hæc remedia protruderentur. De verbo fere in verbum tranſlatum ſic ſe habet.

Declaratio conſilij exercitus Scoticani, ad fratres Anglos.

Per ordinum regni delegatos, Exercitus Imperatorem, Proceres, reliquoſque exercitus ductores.

MOribus ita comparatum eſt, ut actiones etiam præſtantiſſimas, honeſtiſſimo hominum conſilio ſuſceptas, præſentiſſima Dei manu, omnibuſque conſpicua providentia gubernatas, etſi prudentioribus, pieque ſagacibus approbatas, cœcæ tamen hominum maleferiatorum ſuſpiciones in pejorem ſemper partem rapiant, importunæ cavillantium cenſuræ viam ubique aut invenientes aut facientes reprehendant, imperitorum denique ociumque amplexorum ſecuritas damnet; præſertim vero pravorum improbitas, quibus nihil unquam

placere

placere poteſt, nequidem quæ Deo maxime placent, & in quibus ſe omnium conſcientiis probare homines ſtudioſiſſime contendunt, quique *inter duas ſarcinas procubantes Templum nunquam exædificatum, religionem nunquam inſtauratam*, quam aut conſiliis ſuis in rebus terrenis aucupandis remoram, aut ſecuritati in iiſdem poſſidendis moleſtiam ullam objectam malunt. *Populus Dei ex Ægyptiacæ ſervitutis ergaſtulis olim aſſertus, Eccleſia per ſanguinem filii Dei redempta, cultus Chriſtianus per ipſius miniſtros paſſim diſſeminatus, idemque à Romana ſuperſtitione vindicatus*, immenſa illa & ſtupenda Dei opera acerbiſſimas impiorum odioſiſſime recalcitrantium calumnias non effugerunt.

Enimvero, ſive tam eximii operis, in quo moliendo Deus noſtro hactenus miniſterio uti dignatus eſt, conditionem & ingenium ſpectemus, ſive impietatis nuſquam nobis hucuſque non adverſantis pertinaciam recordemur, niſi equi aut muli inſtar mentis expertes eſſe volumus, contradictionem peccatorum expectare debemus; ut quicquid infernus parturire, quicquid hominum improbitas ventilare poſſit, illud omne ad odium nobis & cauſæ quam propugnamus divinæ, cum apud omnes, tum maxime vicinos fratreſque nobis longe chariſſimos conciliandum, in medium proferatur. Ingreſſum noſtrum in Angliam infamabunt, quaſi hoſtilia omnia meditemur; neque aliud ab initio noſtrum fuerit conſilium, quam ut obtento Religionis & Libertatis publicæ velo, Anglorum bona ad noſmetipſos locupletandos occupemus. Quanquam qui prudenti moderatoque judicio ſecum perpenderit, quanto cum obſequio per tot annos ante exortos nuper tumultus publice morigeri vixerimus, quam conſtanter tot editis libellis aſſertoriis & declaratoriis hoſtiliter invadendi conſilium à conſcientia noſtra removerimus, & ex animo nos execrari univerſo ter-

rarum

rarum orbi nuper teſtatum fecerimus, quam cupide pacem ſemper petierimus, quam libentibus animis, minimam etiam ſpem amplexi Religionis & legitimæ libertatis fruendæ, arma ſumpta, non iniquiſſimis conditionibus ſtatim abjecerimus; hæc quiſquis æqua ſtatera penſitaverit, longe firmiora conſilii noſtri argumenta eſſe deprehendet, quam ut ea omnes omnium malevolorum technæ & calumniæ minimum labefactare poſſint.

Neque quæ deinceps intervenere, ab hoc perpetuo propoſito nos averterunt: Quinimo nobis animum magis etiam obfirmarunt. Pontificiorum ſanè in eo regno, Prælatorumque, & hominum epiſcopalium, qui ut Eccleſia & Reſpublica noſtra funditus exſtirpetur, omni conatu & antehac ambibant, & hodie moliuntur, ea eſt adverſum nos injuriarum atrocitas, ut de iis non aliter nos quam de hoſtibus, & Dei & noſtris ſentire merito ipſi expectare debeant: Boni tamen *Angliæ* cives, ipſumque adeo regnum univerſum, cum plurimis antehac benevolentiæ teſtimoniis nos arctiſſime ſibi devinxere, tum illo inprimis, quo & ampliſſimam ſibi gloriæ apud omnes gentes acceſſionem peperere, & propiore affectu pietatis ſibi conciliatos maximo authoramento tenent obſtrictos, cujus beneficii, & ipſi,

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis,

memoriam uſurpabimus, & conſtanti prædicatione ad omnem æternitatem tranſmittemus: quod cum Secretioris Concilii *Anglicani* Senatus falſis relationibus temere credens, vim adverſus nos decreviſſet; cum *Hiberni* in Comitiis & corpora ſua & fortunas ad belli in nos ſubſidium detuliſſent; cum omnes conſiliorum machinæ ad eam cauſam promovendam admotæ, cum ex authoritate regia publicæ declarationes editæ, cum in hunc ipſum finem

Comitia

Comitia in Anglia indicta eſſent, cum in omnibus curiis pro concione perduelles nos denunciaſſent, ea tamen fuerit auguſti illius Comitiorum conſeſſus prudentia & gravitas, ea juſtitia, (cum æterno eorum honore prædicanda) ut nullis minis, nullis terroribus, nullis pollicitationibus, nullius ſpei delinimentis ad bellum aut pecuniarum ſubſidium adverſus nos decernendum induci potuerint: quin econtra & ſermonibus & querimoniis, paria nobiſcum gravamina deprecantes, ad noſtræ cauſæ patrocinium acceſſerint.

Hoc recenti beneficio longe ampliſſimo ita noſtros affectus obſtrinxerunt, ut quantæcunque vires eſſent noſtræ, cum nobis ad ſummam ingratitudinem nihil reliquum facere videremur, tum juſtiſſimam ab irato Deo vindictam exſpectaremus, ſi gentem publice nobis tam amicam in re minima violemus. Atq; in hac benevolentiæ profeſſione non exiguam gratiæ partem inclytæ civitati *Londinenſi* deferimus, quæ oppugnantibus quantumvis Regis & aulæ corruptoribus in ſinu ſuo degentibus, & ſeditionis claſſicum nunquam non incinentibus, conſtantiſſimo tamen erga Religionem & communem utriuſque regni tranquillitatem ſtudio tot rebus probato eximiæ pietatis gloriam jure promeruerit.

Quod ſi hæc officii noſtri publice teſtata conſcientia bonis *Angliæ* civibus plene non ſatisfaciat, nos & hic publice univerſis deferimus, & privatim ſingulis, quibus poſtulare viſum erit, deferemus auguſtum ſanctiſſimi jurisjurandi ſacramentum, magnum tremendi Iehovæ (quem expeditioni noſtræ benedicturum ſperamus) nomen religioſe atteſtati, nihil hoſtile nos auſuros, in nullum rapina graſſaturos, ad prælium niſi coactos non deſcenſuros: quam neceſſitatem ut à Pontificiorum Prælatorum-

que factione exſpectemus, bonos tamen cives, viroſque pios, purioris religionis, honoris regii, publicæque libertatis amantes tale nihil molituros ſperare jubet, & charitatis ratio, ſuſpicionem ſine conſcientia demeriti averſantis, & prudentiæ, communem utriuſque regni fortunam, ſive proſperam, ſive adverſam eſſe demonſtrantis.

Omnia utriuſque regni conſilia eo ſpectant, ut Religionis puritas inviolata conſervetur, & legitima libertate cives fruantur: contra hoſtes publici omnibus & machinis & nervis ad utramque ſubruendam graſſantur; ut religio in ſuperſtitionem & atheiſmum degeneret, & libertatem acerbiſſima ſervitute commutare cogamur. Ad hæc perficienda viam inveniſſe ſibi videntur longe certiſſimam, ut hoc regnum undique mari terraque copiis obſeſſum teneatur. Commerciis enim excluſos, & fortunis ſpoliatos, eo inopiæ & miſeriæ brevi redactum iri, ut aut conditiones hactenus ſpretas & repudiatas ultro cum ſumma turpitudine expetamus, eorumque voluntatem pro lege in Eccleſia juxta & Republica amplectamur; quin & *Anglia* malis noſtris deterrita eandem fortunæ aſperitatem ſubire non renuat, aut certe rerum anguſtiis coacti in *Angliam* tumultuarie furibundi perrumpamus. Atque hoc ipſis, ut multo expeditius ad conata patranda compendium ardentius depoſci arbitramur. Nec enim dubium eſt, quin adventum iſtuc noſtrum excipiant clamores, Angarorum curſitationes, edictorum per regnum univerſum promulgationes, ad pium noſtrum propoſitum infamandum (quaſi quibus hoc ab initio conſilium fuiſſet) & ad *Anglos* in nos irritandos, ut cruore ſemel imbuti religionis ſuæ radices ſuis ipſi gladiis ſuccidant, in medio ſui *Romæ* denuo inſtaurandæ fundamenta ſuis manibus jaciant, ſibique juxta & nobis æternæ ſervitutis lunam detrahant.

Cæte-

Cæterum in hoc articulo purioris religionis & legitimæ libertatis aſſerendæ mirando conſilio cœlitus oblato, ſi viri boni Dei timentes, honoriſque regii & communis utriuſque regni tranquillitatis ſtudioſi divinæ providentiæ auſpicia ſecuti, pro ſanctiſſimæ profeſſionis ſuæ dignitate ſe geſſerint, etſi hoſtibus vota hactenus proceſſerint, ut ſui operis funibus nos in *Angliam* pertraxerint, fieri tamen poteſt, ut ſumma conſilii fruſtra ſit, faberque (quod ajunt) compedes quos fecerit ipſe gerat, & aſtutia in ſtultitiam deſinat: quod ſperare nos jubet ſuprema illa ſapientia & potentia quæ in ſingulis hujus operis veſtigiis callidiſſima hoſtium commenta in ipſorum perniciem converterit.

Libellis *Aſſertoriis* ac *Declaratoriis*, & *Commentario rerum à nobis poſt nuperam Pacificationem geſtarum*, quas hactenus perpeſſi ſimus injurias, quibus hodie premamur anguſtiis ita patefecimus; ut neminem latere poſſit, quam neceſſe ſit nobis alia ad incumbentium malorum remedium inſiſtere via, quam Petitionum, Supplicationum, Legationumque ſemita, hucuſque nobis tritiſſima, minore tamen cum fructu, quam qui regni antiquiſſimi civibus à nativo rege debebatur. Multos prius annos, quam vel libellum ſupplicem detulimus, non Religionis modo veritatem & virtutem a Prælatis Pontificiiſque oppugnatam, ſed etiam libertatis publicæ privilegia univerſa violata toleravimus; & Religionis fundamenta tantum non everſa: cujus tamen unius ſolatio apud Deum nitebamur, & quæ gentem univerſam glorioſam apud exteras Eccleſias reddebat; quarum Theologis Reformatio noſtra ſumma fuit votorum, quam vel graviſſimis rerum terreſtrium jacturis redemptam libenter volebant. Mox ubi Canonum & Liturgiæ publicæ libri Eccleſiis invitis obtruſi, craſſis Papiſmi tenebris divini cultus purita-

tem obnubilare cœpiſſent, & communicata Prælatorum Pontificiorumque conſilia de eodem Papiſmo in utraque natione ſtabiliendo patefacta eſſent, ad priſtinam tolerantiam non alia adjecimus arma, quam effuſas ad Deum preces ac lacrymas; & delatos Regi libellos ſupplices: quibus tamen penitus repudiatis, & libri ac corruptelæ quæ deprecabamur, magnificis elogiis commendabantur, & inſolenti ſuaſione eorum, qui nunc regia moderantur conſilia, quique malis artibus acquiſitæ potentiæ ſtabilimentum in Religionis ac libertatis noſtræ ruderibus fundare conantur, nobis ultrà ſupplicare, indicta etiam perduellionis pœna, interdictum. Horum malorum ſenſu animum vellicante, à demiſſa ſupplicandi modeſtia non recedentes, ad Nationale Juramentum & ſanctiſſimum fœdus cum Deo renovandum nos contulimus, ut Religionem, libertatemque publicam juxta ac Majeſtatis Regiæ authoritatem ſartam tectam conſervaremus: quippe conſcii fœderis illius violati reatum omnium deinceps malorum fontem & originem nobis fuiſſe; neque aliter ſperandum à Deo proſperum rerum eventum, quam ſi ad eum converſi & admiſſi pœnitentes ad officium intermiſſum reverteremur. Quum apud Regis noſtri Majeſtatem tantum potuiſſent improborum conſilia, ut adverſus nos nec demerentes nec exſpectantes cum exercitu armato expeditionem ſuſceperit, nobis facile perſuaſum eſt, ut potius quam minima in re ab obedientiæ orbita exerrare, aut *Anglis* longe chariſſimis fratribus leviſſimam offenſionis anſam præbere videremur, neglectis rationibus quibus incolumitati & ſecuritati rerum noſtrarum conſulendum videbatur, collectas copias ſtatim dimiſerimus, arces & munitiones quæcunque poſcebantur obedientiæ noſtræ teſtes, ſine cunctatione dediderimus, eoque obſequii erga Regis noſtri

noſtri Majeſtatem nos demiſerimus, ut quantumvis priore Synodo ex Regis authoritate convocata res Eccleſiaſticæ determinatæ fuerant, novæ tamen Synodo, noviſque Comitiis quæcunque ad Religionem libertatemque publicam ſpectarent, dijudicanda permiſerimus. Et rebus quidem Eccleſiaſticis in legitime conſtituta Synodo, præſente & aſſentiente Regiæ Majeſtatis Legato ſtabilitis, ac facto ordinum Regni in Comitiis conventu, qui ſummam operi manum adderet, etſi ſummo ſtudio caverimus, nequid tractaretur, quod Regiam Majeſtatem jure irritaret, conventum tamen ordinum, quem per improborum conſultorum abſentiam tanta cum certitudine promiſerat, prava eorundem ſuaſione inductus, contra leges & inſtituta hujus regni prorogari Rex juſſit. Et hoc quoque, ut invictam obediendi voluntatem teſtatam faceremus, tolerare non abnuimus; miſſique *Londinum* Legati, qui poſtulatorum noſtrorum rationem redderent. Hi, delegati licet omnium regni ordinum ab ipſa regia Majeſtate invitati, ita tamen rejecti fuere, ut neque ipſi in præſentiam admiſſi, neque petitiones quas à comitiis adferebant auditæ fuerint. Novam poſtea legationem ſubmiſimus cum poſtulatis noſtris, nihil quidem illis complectentibus niſi quæ ad Regni commodum & tranquillitatem facerent, quæque Majeſtas Regia, etiam adſcripta manu, publice conceſſerat. Et hi quoque ſine ullo reſponſo tandem dimiſſi: Res miranda omnibus aulæ myſteriorum ignaris, nec cogitantibus qnanto ſtudio Præſul *Cantuarienſis*, & Regis in *Hibernia* Legatus, Pontificiorum nimis quam potentis factionis opibus nixi, Regiæ potentiæ promovendæ zelum extincta civium libertate & religionis veritate in omnibus tribus regnis venditare contendant! Horum ſuaſu delegati noſtri, dum æquum ad poſtulata reſponſum ex-

 ſpectatur,

pectatur, in privata hoſpitia relegati, quartus, vir è primo nobilitatis ordine, arctiſſima cuſtodia concluſus, exterorum militum præſidia cervicibus noſtris impoſita, quorum barbara inſolentia in mulieres etiam & puerulos cæde debacchatur, naves cum mercibus aut captæ aut demerſæ, vectores ad nuditatem ſpoliati, majore cum feritate à regis noſtri ſubditis cum authoritate ſævientibus excipiuntur, quam à *Turcis* aut infidelibus exſpectari poſſet; magni in nos exercitus conſcribuntur cum ſæviſſimis mandatis ad nos debellandos & excidendos, ad religionem, libertatem, leges, fortunas, omnia denique apud nos exſtirpanda.

In hoc extremo rerum ſtatu novam delegationem cum petitionibus ſubmittere, ſenſus communis & experientia prohibet: regiorum conſiliorum moderatoribus nihil minus paſſuris, quam ut civium juſtiſſimæ querimoniæ & petitiones ſupplices æqui quicquam à Rege impetrent: quod prorogatis utriuſque regni comitiis luculentiſſime demonſtrarunt: per ſocordiam ignavos deſidere, dum ſæviſſimis hoſtibus viſum fuerit ad lanienam nos protrahere (quod niſi cum Dei cauſa complicatum eſſet, minus moleſtum nobis accideret) non religio modo diſſuadet, ſed natura inſuper, quæ ſuæ quemque incolumitati ſtudere æterna & inviolabili lege præcipit; At ut minas quotidie acerbiſſimas feramus, ut diuturno bello crudeliſſime ſævientes hoſtes quotannis ſingula carpendo univerſa tandem labefactare toleremus, (quo artificio ad nos ſubvertendos aperte graſſantur inimici) ſupra vires noſtras eſſe experimur. Re igitur diu multumque apud nos deliberata, conſtituimus tandem efficere, ut poſtulata noſtra multoties à multis exagitata, & in Comitiis proximis aliqua ex parte à nobis determinata, regiæ Majeſtati, orbique univerſo, ac præſertim

Angliæ

Angliæ regno magis innoteſcant, ut detracta mendaciorum larva, nuda rerum noſtrarum veritate detecta, firmiorem ipſi pacem & ſolidioribus nixam fundamentis, cum religionis & legum noſtrarum libertate impetremus. Turbarum architectos eos quidem qui è nobis egreſſi ſunt, remitti volumus, ut ex legibus patriis cauſa ipſorum cognoſcatur, & ſententia feratur: At pernicioſos conſultores *Anglos*, omnium utriuſque regni ærumnarum fontes & capita, ad ejus gentis Comitiorum tribunal remittemus, eorumque ſupplicium ordinum regni arbitrio permittemus.

Quum reformationis hujus progreſſus ab ultimis uſque primordiis, reflexa mentis acie ſpeculamur, & divinæ providentiæ admirando omnia conſilio moderantis veſtigia obſervamus, in mediis quantumvis anguſtiis, paternam Dei erga Eccleſiam patriamque noſtram curam & gratiam non poſſumus non celebrare, & animoſioris deinceps ac bonæ ſpei pleni ejus ductum & auſpicia ſequi perſeverare. Quum jam immenſis opibus, ampliſſimis honoribus, eminente in omnes omnium conditionum cives, Euangelii miniſtros juxta & cæteros, poteſtate, eximia dignitatis Parliamentariæ, Senatoriæ Prætoriæ, Scaccariæ, & in celſa Commiſſione Delegatoriæ authoritate ad ſummum dominatus faſtigium Prælati aſcendiſſent, & altero pede Eccleſiam, altero Rempublicam complexi, ad intolerandam arrogantiam aſſurrexiſſent, in ipſo extremitatis articulo (quod Domino tempus opportunum eſſe ſolet) opus hoc inchoari cœptum eſt: initiis quidem tenuibus, & nihil eximium ominantibus: ſed majora tamen quotidie, divino conſilio, per ſingula veſtigia neceſſitate quadam ineluctabili premente, pedetentim eſt progreſſum. Verbis aſſequi non poſſumus, qui fuerint animorum mo-

tus, quæ lacrymarum profuſiones, qui clamores tot millibus hominum ora in hac Eccleſia ſolverint, ubi amorem & potentiam Dei, quaſi ex mortuis exſuſcitantis, & poſt tantum cataclyſmum ac vaſtitatem, ad renovati mundi, in quo Religio cum Juſtitia vigeret, ſpem certam excitantis, præſentem ſenſiſſent. Sæpenumero in vado hærentibus, nec qua ratione progrediendum eſſet videntibus, dementium adverſariorum timores, furores, & conſilia ipſa viam aperuerunt, quaſque in exitium noſtrum comparaverant machinas, cauſam ipſi quam defendebant maxime labefactarunt, opuſque nobis in manibus promoverunt. Convenimus jam per aliquot annos multa ſæpe hominum millia, cum neque interim ſanctioris Senatus, neque Iudicum conſeſſus eſſet, tamen citra motum aut tumultum, pacatiores multo quam temporibus etiam maxime tranquillis apud nos fieri ſolebat. In nupera Pacificatione ita nos comparavimus, ut arma non inviti abjecerimus, & graviſſimo rerum noſtrarum damno ad pacatam domi vitam nos contulerimus: cum hoſtium interim improbitas, maris ferveſcentis & cœnum perpetuo eructantis inſtar quieſcere non potuerit, ſed ad ea nos adegerit, quæ Dei conſilio in ipſos decreta eſſe apparet. Honeſtæ nobis intentiones ab omni ſordido & terreno propoſito averſæ, animi in mediis quamvis periculis propenſi, tanti operis adminiſtri, non voluntatibus modo ſed facultatibus etiam ad impedimenta omnia perrumpenda inſtructi, pax denique inviolata adverſus omnes accuſantium petitiones corda noſtra firmiſſime ſuſtentans, perſuaſionem faciunt certiſſimam Deo acceptum eſſe quod faximus, neque eſſe quod deſertionem ab eo vereamur. Non diffitemur poſſe Deum ſceleratorum etiam hominum miniſterio uti, quos & facultatibus idoneis inſtruat, & quibus manu potenti

tenti conata provehat. Quod tamen ut nos ad cordium ſinceritatem penitius explorandam exſtimulare, ita nec fideles Dei ſervos ex vero ipſius amore gloriam ejus ſpirantes, ſemitas ejus calcantes, pacis ipſius ſolatium, conſilii directionem, præſentiæque in negotiis benedictionem ſentientes, ulla ex parte abſterrere, nec hominibus ad Dei opera vituperanda anſam præbere debet.

Atqui iſthæc tamen omnia, quantumvis nobis animos addant, & in mediis ſæpenumero anguſtiis hactenus ſuſtentaverint, ingreſſus tamen in *Angliam* ut juſtus nobis videatur efficere non poſſent, ſi pacem, quam tanto ſtudio ſectamur, aut domi aſſequi fas eſſet, aut alibi gentium. Ubiubi terrarum invenire dabitur, eam indagemus neceſſe eſt: nec citius ea nobis offeretur, quam depoſitis armis quantumque à turbulentis conſiliis ingenia nobis abhorreant certiſſimis documentis teſtati, toti terrarum orbi, præſertim vero *Angliæ* regno, non aliud noſtrum fuiſſe conſilium demonſtrabimus; neque aliena occupandi, ſed nos & noſtra defendendi cauſa arma à nobis induta. Non eget Neceſſitas poſitivarum legum patrocinio. Eſt hoc omnium cordibus inſcriptum, omniumque gentium inſtitutis receptum, *Neceſſitatis ſupremam eſſe authoritatem, legem eam eſſe omnes alias leges tranſcendentem, nullique legi obnoxiam: cui propterea ferunt, nullam legem eſſe poſitam.* Imperanti neceſſitati aſtipulantur Naturæ gentiumque jura, aſſurgunt & loco cedunt poſitivæ hominum leges. Hujus legis vis eſt nonnunquam in excuſando, interdum in elevando poſita; interim ut actiones alioqui ambiguas ab injuſtitiæ macula vendicet. At quæ major eſſe poſſit Neceſſitas, quam ut Religionem quæ anima eſt; Patriam, quod corpus eſt; noſtram omnium vitam, qui membra ſumus; Regis denique, qui caput eſt, honorem illibatum tueamur? Quæ omnia

communi hodie diſcrimine periclitantur, nec ad ea conſervanda aliam ſub cœlo rationem ipſi novimus (quod ſi quis ea ſit ſapientia, ut aliam agnoſcat, ex eo diſcere flagitamus, & ad eam ſequendam promptos & alacres nos ſpondemus) quam ut in hoſtes publicos ubiubi demum inveniri poſſint, animadvertamus; & regni ſecuritatem, unde impetrari poſſit, deprecemur. Non id agitur, noſtrane ſorte, quantumvis tenui contenti acquieſcamus, an occupatis *Anglorum* bonis nos locupletemus; dubitare hic impium eſſet non minus quam abſurdum: nec id agitur, noſne & noſtra domi tueamur, an in vicinos fratreſque nobis chariſſimos graſſemur: Nam de hoc ambigere nec Chriſtianum eſt, nec rationi conſentaneum: Illud demum agitur, num pietas, num prudentia ſuadeat, intra regni limites nos potius continere, dum noſmetipſos jugulare; ſacra, leges, patriamque noſtram extirpare hoſti viſum fuerit; quam excuſſo torpore ſecuritatem, pacem & libertatem ex *Anglia* petere: num agendo, vigilandoque incolumitati publicæ conſulamus potius quam per ſocordiam & ignaviam ſedentes pereamus: aut ut paucis omnia complectamur, num qui non pauci ſumus privati cives,; ſed univerſa regni civitas, tot & tantis criminibus inſimulati, quanta vix peſſimis etiam ſeculis hominibus Chriſtianis intentata fuerant, diſſimulemus, Liturgiam cum univerſo Papiſmi corpore amplectamur, Prælatos cum ejerata ipſorum Hierarchia poſtliminio recipiamus; ſanctiſſimum & tot ſacramentis confirmatum fœdus & jusjurandum abdicemus; laboris omnis & operæ in hac cauſa poſitæ fructum amittamus, priſtinæ ſervitutis memoriam abjiciamus, priora ſtudia quantivis etiam noſtri aſſerendi obliviſcamur, hoſtium animis lætitiam ſuggeramus, violentia dexteras armemus; amicorum cordibus mœrorem,

vulti-

vultibus pudorem, noſtro probro ſuffundamus; Filii Dei cauſam quam à nobis ſuſceptam, explicato ipſius vexillo, veritas & potentia ejus ita hactenus tutata ſunt, ut plus inde ſolatii perceperimus, quam omnis pax humana, omnis omnium terreſtrium rerum affluentia conciliare poſſent, cum auguſti nominis ipſius dehoneſtamento, deſeramus, eoque pœnas omnes hominum omni ſeculo Apoſtaſiæ irrogatas in capita noſtra detrahamus; num complicatis manibus & noſtram & poſterorum abſolutam ſervitutem animarum pariter corporumque & fortunarum omnium exſpectemus; aut (quod idem eſt) ibi pro defenſione noſtri pugnemus, ubi eam præſtari non poſſe ſatis compertum habemus, an Deum vocantem (quid enim aliud eſt impoſitæ neceſſitatis vinculum?) ſecuti, viamque quam, aliis omnibus occluſis, divina providentia nobis aperuit, ingreſſi, ad libertatem recuperandam, & incumbentia mala amolienda contendamus.

Noſtri hoſtes initio, regiæ authoritatis velum ita ſibi obtenderunt, quaſi ea, niſi ipſis incolumibus, ſalva eſſe non poſſet, aut quaſi eos accuſare, Majeſtatem eſſet violare: nos econtra demonſtravimus, non ita cohærere diadematis regii & Epiſcopalis mitræ dignitatem, quin hac proſtrata, majore illud cum ſplendore & majeſtate refulgere poſſit. Hinc repulſi ad aliud confugiunt latibulum, dum hominibus perſuadere conantur, *Angliam* nos ingredi ad eos quamvis ex ipſis legibus tantorum criminum poſtulandos, non aliud eſſe quam regnum in quo ipſi vivunt, hoſtilibus armis impetere: quaſi vero excreſcentia tubercula amputare, aut apoſtemati medicari, eſſet corpus ipſum perimere. Illi quidem ex cerebri ſui figmentis ſecuritatis ſibi præſidia ſomnient: Nos officii non ita ſumus immemores, ut furentium inſtar, in proximos & primum obvios incurſe-

curſemus. Etſi enim negari non poſſit, injurias nobis factas (nuperam pacificationem violatam, rebellionis & proditionis infamiam nominibus noſtris inuſtam, naves cum mercibus interceptas, legatos cuſtodiæ incluſos, hoſtilia ex arcibus noſtris ab *Anglis* præſidiariis perpetrata) ſi authore regno *Angliæ* patratæ fuiſſent, juſtas publici inter duas nationes diſſidii cauſas futuras fuiſſe. Cum tamen regni *Anglicani* ordines in Comitiorum conventu, ſubſidium adverſus nos decernere negaverint, & paria noſtris gravamina ſua obnixe deprecati ſint (quæ tamen Majeſtas Regia edito libello Declaratorio, extra Comitia curaturum ſpopondit: quæ ſane cura privatorum civium gravaminibus ſatis eſſe poſſet; cum publica gravamina publicam omnium ordinum in Comitiis regni curam depoſcant: quod ne fieret, conventus ille ordinum prorogatus eſt, & ſolutus) neque nos *Anglorum* nationem illius injuſtitię ream poſtulamus: neque *Angli* nos incuſare debent, quod præpotentem Pontificiorum & Prælatorum factionem tot malis utrique genti gravem oppreſſum imus. Quicunque Religionem & libertatem publicam aſſertam volunt, adverſus hoſtem communem operam conſiliumque conſocient: qui interim vicinæ nationis, qui religionis in ea & legum incolumitatem minore cura quam ſuam conſervare ſtudebunt (quippe conſcii communem utrique ſalutem aut ruinam exſpectandam eſſe) maledictos eſſe jubemus.

Ut ergo Deum Opt. Max. cœli & terræ dominum teſtem nobis appellamus, iſta nec alia nobis eſſe propoſita conſilia, ita eodem auguſtiſſimo ſacramento ſpondemus, nec vitæ, neque labori, neque fortunis, (quæ alibi nuſquam melius aut honeſtius inſumi poſſunt) ad ea conſequenda parcituros; ab amicis fratribuſque noſtris *Anglis* ligulam (quod ajunt) aut alii caput, niſi juſto pretio ſoluto non

to non exacturos, eorum fines non alio affectu ingreſſuros quam amicos & fratres, malorum quæ hactenus perpeſſi ſunt, periculorumque quæ ipſis, quæ Religioni, quæ legitimæ libertati apud ipſos impendent, ſenſu ductos, omnique qua poſſumus ratione ipſis commodare paratiſſimos; ab iis etiam exſpectantes, ut ex pari ſenſu anguſtiarum noſtrarum (quas cum ulterius tolerare nequeamus patria egreſſi ad eos confugimus) juſta omnia & honeſta conſilia nobiſcum communicent, per quæ poſtulata æquiſſima tandem impetremus: Cumque pecunias & commeatum noſtrum abſumpſerimus, præter ea quæ ad quotidianum exercitus uſum neceſſaria fuerint, eaque bona fide & certa cautione pretii quamprimum fieri potuerit reſolvendi interpoſita, nihil poſtulaturos: atque ea quidem, ut quibus carere non poſſe ipſi ſciunt, omnes (ita firmiter credimus) religionis & communis duorum regnorum pacis amantes ultro deferent, & qua ſunt providentia, rationem inibunt, qua & nobis neceſſaria ſuppetant, & ſuppeditantibus honeſta ſatiſdatione caveri poſſit. Quibus utrinque obſervatis, neque fratribus noſtris damnum dabitur (quippe queis ad ultimum teruncium ſatisfiet) neque nobis, qui Deum, cujus cauſa rerum omnium diſcrimen adivimus, ampliſſimum remuneratorem exſpectamus. Milites ſi forte aliqui nonnihil deliquerint, nobis imputatum iri non timemus, qui ne quid tale contingat, omnem dabimus operam, neque paulo majore ſeveritate delicta vindicabimus, quam ſi adverſus cives noſtros domi fuiſſent admiſſa. Prælatos & Pontificios ejuſque factionis populares, quique eorum bona receptaverint, non ita rerum imperitos eſſe credimus, ut commeatus neceſſarii copiam nobis facere negaverint; memores quo conſilio fortunas omnes & poſſeſſiones noſtras fiſco adjudicatas,

catas, ſibi tanquam bene meritis civibus conceſſas Regi perſuaſerint publico edicto promulgare. A Regia Majeſtate nihil poſtulabimus, niſi ut purioris religionis & libertatis patriæ ſecuritati ex conſtitutionibus nuperæ Synodi, & publicorum Comitiorum proſpiciatur; quæque alia debet ex lege divina & patriis inſtitutis Rex non injuſtus civibus graviſſimorum malorum onere fatiſcentibus demiſſiſque precibus opem ejus implorantibus. Moram in *Anglia* longiorem non trahemus, quam in ejus regni Comitiis juſtæ noſtræ querimoniæ & gravamina cognoſci, iis remedium adhiberi, cum malorum noſtrorum architectis lege agendum, & in eos animadvertendum ſatis caveri, Religioniſque & libertatis noſtræ ſecuritati proſpici poſſit. Quibus patratis ſine cunctatione pacato agmine nullique gravi reditum accelerabimus. Atque hujus quidem expeditionis fructum ſperamus futurum adverſus Pontificios Papiſmi exſtirpationem, adverſus Prælatos Eccleſiæ à corruptelis expurgationem, adverſus Atheos florentem Euangelii propagationem, denique adverſus Proditores & incendiarios, utrique regno ſocietatis & amoris vinculum firmiſſimum: quæ à Deo conſiliorum & honeſtæ voluntatis nobis conſcio, eaque effecta reddere potente demiſſi precamur: Quod ſi quid ulterius poſtuletur, Deus manifeſtabit; & utrique nationi præibit: cujus præeuntis auſpicium ſequi, operique Jehovæ collum ſubmittere, quis gravabitur? *Finis.*

Cum in aula regia certo conſtitiſſet Scotis propoſitum in Angliam progredi, ſtatim dimittitur Claſſis regia deſtinata ad maritima Scotiæ loca infeſtanda, militeſque relictis navibus coguntur ad regium exercitum in Eboracenſi provincia ſe conferre, cui ſummo cum imperio tum præfuit *Deputatus*

tatus Hiberniæ, cujus opera ſereniſſ. regem contra animi ſui impetum ad violenta hæc conſilia protruſum paucis ignotum fuerat: promulgatur etiam edictum, quo non ſolum Scoti qui in Angliam cum armato exercitu ingrederentur, verumetiam omnes eorum fautores qui eis pecuniam, apparatum bellicum, commeatum ſuppeditarent, rebelles & læſæ majeſtatis rei declarantur, gratia interim iis oblata qui armis depoſitis domum ſeſe conferrent, ac præterita crimina ſubmiſſe deprecarentur.

Verum terriculamentis hiſce dimoveri non potuerunt Scoti ab inſtituto: & exercitu recenſito qui 27 aut 28. millibus peditum & quatuor millibus equitum conſtabat, movere caſtra Angliam verſus præcipite Auguſto imperat *Leſlius*, quem patriæ ſuæ in extremis anguſtiis laboranti reddidit Dominus: Huic ſummam belli commiſiſſe Scotos, ſupra dictum: Totus exercitus ad commodiorem frumentationem in tria agmina diviſus: Primum ducebat *Aumontius*, aliud *Baylius* tertium ipſe *Leſlius*, cum ingenti apparatu bellico & multorum dierum commeatu: Tranſmittendus erat *Tueda* fluvius Angliam à Scotia diſterminans; & hic honos *Comiti montis Roſarum* peditum tribuno ſorte obtigit; qui ex equo deſcendens, pedes flumen ad ordinarium vadum primus pertranſiit, quod ab aliis omnibus peditum ductoribus factitatum, ut gregariis militibus animos adderent, ex æquato ſcilic. omnium labore & periculo. In hoſticum cum caſtrametarentur, ſevere omnibus ſub pœna capitis interdictum, ne ulla injuria Anglos eorumque villas, agros, bona afficerent: præſidiarii interim *Berwicenſes* huc atilluc diſcurrebant, ut milites feſſos aut palantes ab agminibus interciperent; ſed nullo prorſus operæpretio: Nam 28. Auguſti, ad condictum locum ericetum videlic. Novocaſtrenſe, in ſiniſtra *Tinæ* fluminis

minis ripa quinque millibus paſſuum ſupra Novum-caſtrum caſtrametantur. Urbecula ibi ſita eſt quam *Neuburnam* vocant, ibique recedente æſtu marino vadum eſt ſatis commodum: Sed dextram ripam ex adverſo occupaverant Angli, peditum 5000 & equitum 2500: vallo & aggere ſubitario muniti: Verum Scotorum tormenta majora uſque adeo opportune diſpoſita fuere; ut quem precibus obtinere non potuerint tranſitum, vi ſibi aperuerint: Etenim per fecialem Anglos in adverſa ripa enixe rogarunt, ut mature ſe ſubducerent, neque amicis tranſitum præcluderent, nullo hoſtili animo Angliam ingreſſis, & qui in hoſtico pacifice adhuc ſeſe geſſiſſent, ſine ullo cujuſlibet damno & injuria: Sed fecialem hunc non ſine procacibus convitiis faceſſere confeſtim juſſerunt Angli: Quare arma expediunt Scoti experturi an eorum, qui ſe manifeſtos hoſtes declaraſſent, dexteræ linguas æquarent: Tormentorum diſploſionibus uſque adeo terrebantur pedites Angli, ut vexilla deſererent; eoque metu perculſos cum vidiſſent Scoti, confertis agminibus tranſitum meditabantur, & vix Imperatoris imperio contineri potuerunt; Atque hic inſidias metuens, paucas Equitum turmas tentare vadum juſſit, qui flumine ſuperato in adverſa ripa conſiſterent; & ſi Angli aggrederentur, regreſſum ſimularent: eoſque in inſidias diſpoſitas allicerent, nam in ripa ſiniſtra fluminis locis opportunis, ſed occultis, tormenta bellica diſponebantur. Quare cum equitum recedentiumm ſiulatam fugam veram putarent Angli equites, effuſi ſequuntur uſque ad fluminis ripam, & in inſidias inciderunt, nam tormentorum ictibus frequentiſſimis ex inopinato ita obruuntur, ut concitatiore curſu retroceſſerint, & turmæ illæ Scoticæ quæ fugam antea ſimularunt, momento obverſæ tanto impetu retrocedentes Anglos aggrediuntur,

diuntur, ut in fugam conjecerint, interea univerſus exercitus Scoticus ſine ullo oblato impedimento flumen tranſmiſit, & levioris armaturæ equitibus imperatum ut reliquias exercitus Anglici quæ in vicino colle adhuc hærebant, diſſiparent: Ibi acriter aliquandiu pugnatum utrinque; ſed Angli tandem cum Scotorum impetum diutius non ferrent, fugam capeſſivere, nec ſine ingenti clade evaſiſſent, niſi ſævire in fugientes vetitum fuiſſet, vel hoc indicio teſtatum faciebant, nullius Angli ſanguinem Scotos ſitire. Numerus cæſorum incertus, captivorum tam equitum quam peditum major, inter quos qui ordines ducebant retenti, dimiſſis gregariis & tenuioribus militibus: Ex Scotis pauci deſiderati: ex quibus illuſtris equitis Comarchæ *Largi* filius & hæres, qui vexillum regium hoſtibus eripuit.

Prælium hoc incidit in 28. diem Auguſti.

Victoriam hanc incruentam Scoti adepti, ubi publicas in ipſis caſtris Deo gratias egiſſent, in armis inſomnem eam noctem ſub dio tranſegerunt; hoſtium quippe vires magis diſſipatas quam fractas noverant: nihilque facilius eſſe ad victorem exercitum vincendum, quam ſi poſt victoriam quam cito fieri poſſit aggrediaris, quod tum fere ſoleat eſſe negligentior, & rerum geſtarum proſperitate in nimiam ſecuritatem quæ ſemper exitialis eſt, reſolutus.

Die ſequenti *Novum Caſtrum* accedunt Scoti, oppidum hoc tuebantur regii, qui audita ſuorum clade deſerto oppido in interiora Angliæ ſe receperant, & ad primarium exercitum regium ſe contulerant, quem ita lente colligebat Hiberniæ deputatus, ut multi judicarent, eum non moleſte laturum ſi Scoti inſigni aliqua calamitate copias contra ſe miſſas affeciſſent, & *Novo-Caſtrum* interciperent, ratus ſic tandem, aliis omnibus conſiliis fru-

ſtra tentatis, univerſam gentem Anglicam excitatum iri in Scotos, quos ferro & flamma in omnia ſævituros judicabat: At Scoti contra, quia pacem quærebant, terrorem ſolum belli oſtentabant, ac ſine ulla fere noxa in hoſtico degebant, victoria modeſte & clementer utebantur, captivos humaniter habuerunt: quibus actionibus magnam moderati animi laudem adepti ſunt, & ut ſibi benevolentiam, ita factioni adverſæ odium omnium fere in Anglia conflarunt: Accedebat quod regii milites quacunque tranſibant, triſtia incontinentiæ & rapacitatis veſtigia poſt ſe reliquerint, agricolas expilarint, ac virginibus ſtupra intulerint, ut ex literis ſupplicibus ad regem complurium Angliæ procerum manu obſignatis conſtat. Itaque Novo-caſtrenſes, qui ante biduum amicas Scotorum literas quibus tranſitum ſecurum petebant, vel aperire dedignati fuerant, portas ſuas jam lubentes aperiunt, & exercitui commeatum ſuppeditant: præſidiariis bis mille ſimul cum Imperatore ac proceribus hoſpitia deſignant: Ingens hic reperta omnis generis annonæ copia in cellis & penuariis recondita in uſum exercitus regii, undique huc non ex Anglia ſolum, verumetiam ex ſinu Baltico advecta: quam ad exercitum ſuum alendum deprompſerunt Scoti: Uti etiam quæ in armamentariis regiis repoſita fuerunt arma. Hæc omnia in tabulas referebant; privatis vero civibus nihil damni illatum, nam bona fide ab hoſpitibus accepta vel præſenti pecunia ſolvebant, aut ſyngrapho obſignato de ſolutione cavebant, licet ab hoſtibus ut prædones quaſi publice permiſſo latrocinio calumnias atroces paſſi ſunt, quas falſas fuiſſe dies docuit.

Eodem fere tempore Berwicenſes præſidiarii putabant ſibi rei bene gerendæ occaſionem oblatam. Nam ad oppidulum Dunſianum, in Mercia Scotiæ, ſibi

ſibi propinquum audiverant reſervari Scotorum commeatum & apparatum bellicum qui ad exercitum tranſvehendus eſſet, cuſtodiam militarem admodum infrequentem, & ſecuram eſſe: Quare recta *Dunſum* tendunt, cum curribus & plauſtris ad commeatum illum & apparatum avehendum: rati paucos illos præſidiarios, plus minus centum & ſexaginta pedites, non auſuros aleam certaminis experiri contra mille equites & centurias aliquot peditum. Oppidulum itaque magnis animis adoriuntur, ſed majoribus repelluntur, & poſt duarum horarum acre certamen, retrocedunt, ac plauſtris militum ſuorum cadaveribus onuſtis citatiore quam advenerant curſu Berwicum redeunt: metuebant quippe ne à Scotis in vicinia habitantibus & ad ſua defendenda convolantibus Berwico excluderentur, aut ad pugnam in reditu cogerentur. Neque illud fruſtra, nam *Comes Hadinæ* orientalis limitis & Marciæ præfectus, intellecto eorum conſilio, cum ingenti incolarum omnis ordinis manu Dunſum advolabat: Sed accepto nuncio reditus Berwicum, *Dunglaßum* munitum caſtrum in littore Forthæ divertit: ubi miſere cum compluribus nobilibus periit. Erat in caſtro illo cella quædam in qua reconditus fuerat pulvis tormentarius, ejuſque cuſtodia commiſſa fuit curæ & fidei Angli cujuſdam prædicto Comiti à cubiculis, cujus ſeu negligentia ſeu inexpiabili perfidia factum fuit ut incenſo pulvere tormentario caſtrum illud momento ſubverſum ſit, & cum caſtro Comes ipſe cum aliis fere octuaginta ſeu conſanguineis, ſeu familiaribus; inter quos & Anglus iſte. Infœlicis hujus calamitatis triſtiſſimus nuncius, præcedentium victoriarum lætitiam minuit.

Sed ad exercitum Scoticum revertamus. Poſt Novi-caſtri deditionem, reliquæ viciniæ urbes præſidia Scotica admiſere; *Dunelmi* cuſtodia *Comiti Fer-*

meloduni cum valido peditum equitumque præſidio traditur. Portus etiam Novi-Caſtri qua Tina fluvius ſe mari Germanico miſcet, à Scotis interceptus, & munitus contra ſubitariam vim: atque hic interceptæ naves quædam onerariæ quæ annonam regio exercitui advehebant, nautis ignaris ſubitæ mutationis.

Dein deliberatum fuit à Scotis, quid ſibi ultra faciendum eſſet, an protinus *Eboracum* progrediendum, ubi ſereniſſ. rex ſimul cum exercitu primario hæreret, an vero ſupplicibus literis denuo conveniendus eſſet, vicit eorum ſententia qui ſupplices literas ſuadebant; licet non ignari eſſent regem publicis edictis omnes nobiles ſimul cum clientibus evocaſſe, ac edixiſſe ut 20. Septemb. ad ſigna adeſſent, dimicaturi contra Scotos: Literæ porro hæ ſic ſe habuerunt.

Literæ ſupplices Deputatorum à nupero parlamento & aliis ſereniſſ. regis fidelibus ſubditis.

QUa decet animi ſubmiſſione repræſentamus; Quod poſt adverſa plurima æquis animis hactenus perpeſſa, extrema neceſſitate coacti fuerimus in Angliam venire, ut malis noſtris medelam & juſta noſtra ac humilia poſtulata ab æquitate Majeſtatis V. obtineremus; ac prout in tractatu de ſcopo & intentione hujus expeditionis notum univerſis fecimus; ita in itinere noſtro commeatu nobiſcum allato contenti viximus; neque regni hujus publicam pacem turbantes quemlibet ſereniſſ. M. V. ſubditorum cujuſcunque demum ordinis eſſet damno ullo affecimus; & hactenus pacifice & amice nos geſſimus donec cogeremur ac ſollicitaremur armis ſubmovere violentiam nullo noſtro merito contra nos intentatam, qua tranſitum fluminis Tinæ prope Neuburnam nobis prohibere conabantur;

Atque

Atque hac violentia complures in articulo mortis confeſſi ſunt ſe peccaſſe in nos contra ſuam conſcientiam, ac reos ſemet feciſſe ſui ſanguinis: Ut pari aut majori incommodo obviam eatur, & ut nobis liceat ad ſereniſſ. M. V. ſine ulteriori oppoſitione accedere, quo ab æquitate & bonitate M. V. æquiſſimis & humillimis noſtris poſtulatis ſatisfieri poſſit: Nos humillimi & devotiſſimi M. V. ſubditi per ſupplices literas adhuc inſtamus, quam ſemitam à motuum horum initio hactenus conſtanter trivimus, & à qua nulla irritatio aut provocatio ab hoſtibus tam M. V. quam noſtris, nihil adverſi quod perpeſſi ſumus, nihil proſperi quod nobis evenire poſſet fideles & M. V. devotos animos unquam divertet. Quare humillime obſecramus, ut ſereniſſ. M. V. pro regia ſua prudentia tandem velit oculos & animum ſerio conjicere in gravamina noſtra, digneturque damnis & injuriis noſtris reparandis providere; ac conſilio & conſenſu ordinum regni Angliæ in Comitiis, firmam & ſolidam pacem ſancire tam terra quam mari: ut ſic animo hilari & alacriter M. V. ut nativo nobis regi perſolvere poſſimus legitimam omnem obedientiam quæ à fidelibus ſubditis exſpectari poterit; atque evitentur mala & calamitates utrique pariter regno nunc imminentes, quorum M. V. proborum ſubditorum animi meminiſſe horrent. Rogamus inſuper Deum omnipotentem, ut M. V. ſolium adaugeat, ac in medio noſtrum pietatis & juſtitiæ artibus in æternum ſtabiliat. M. V. benignum reſponſum humiliter exſpectamus.

Quibus literis rex per *Comitem Lanurci*, regni Scotiæ ſecretarium, Eboraci in aula tum commorantem, Septemb. 5. in hæc verba reſpondit.

Sereniſſ. rex vidit & perpendit ſupplicem hunc libellum & clementer dignatus eſt reſponſum hoc per me referre. Uſque adeo generalibus terminis

conceptum eſſe, ut donec particularia poſtulata deſignaveritis, directe nequeat reſpondere; Quare vult ut eadem ſtatim deſignetis. Paratum hactenus ſe ſemper fuiſſe ad audienda & corrigenda ſubditorum ſuorũ gravamina. Atq; ut maturo conſilio de rebus hiſce momenti maximi deliberatio inſtituatur, juſſiſſe proceres omnes hujus regni ſibi adeſſe Eboraci 24. Septemb. quorum conſilio illud poſtulatis veſtris referetis reſponſum quod maxime futurum ſit in regis honorem, & pacem ac ſalutem regnorum. Interim ſi pax illud ſit quod expetitis, prout præ vobis fertis, rex ſereniſſ. exſpectat, & reſcripto hoc mandat vobis, ne ulterius cum exercitu procedatis, nam unicum hoc ſupereſt ad pacem & concordiam inter duo regna reſarciendam, ac infœlices controverſias componendas, quod nulli magis in votis eſt quam ſeren. & clementiſſimo noſtro regi.

Accepto hoc reſponſo ſpecialia poſtulata deſignarunt, quæ opera *Guilielmi Flaminii Victonienſis Comitis* filii, ad Lanurci Comitem tranſmiſerunt: quorum ſumma hæc fuit. 1. *Vt nuperi parlamenti ſtatuta rex jubeat promulgari ſuo nomine*, hoc eſt, ut ea rata habeat & ſanciat, quænam vero illa eſſent ex ſtatutorum exemplari antehac miſſo ſatis conſtare. 2. *Vt arx Edenburgenſis ſimul cum aliis omnibus munitis regni arcibus, muniantur & convertantur in tutelam & ſecuritatem regni*; cum eo fine primum conditæ ſint. 3. *Vt Scoti in Anglia & Hibernia liberi pronuncientur ab omni pæna ob fœdus in Scotia obſignatum: neque poſthac adigantur in novas jurandi formulas quibus damnetur fœdus Scoticum regia authoritate munitum*. Hujus vero articuli ideo mentionem faciebant, quia in Anglia ex incude Cantuarienſi novæ juramentorum formulæ excudebantur, in quæ ſoli Scoti a publicanis & vectigalium exactoribus cogebantur ſub pæna carceris, cujus diutinũ ſqualorem quidam adhuc experiebantur. Sed in Hibernia

novo

novo hoc inquiſitionis commento ſæviebat contra Scotos omnis ſexus & conditionis Hiberniæ prorex, quos in expreſſam fœderis & confeſſionis Scoticæ etiam in ſynodo authoritate regia nuper ſancitæ abjurationem conceptis verbis adigebat, licet ipſi compertiſſimum fuiſſet eoſdem confeſſionem Scoticam ante annos quadraginta mandato regio obſignaſſe: renuentes vero in carcerem & vincula abripi jubebat, contra tenorém edicti regii quo renuentium nomina ſolum notari mandabatur. Unde factum ut complures relictis laribus in Scotiam ſe proripere cogerentur, non-ſine notabili coloniarum damno, mulieres vero Scoticæ cum liberis qui nocturna fuga ſibi tam commode conſulere non poterant, ad judicia protrahebantur, quarum una ſimul cum infante ab uberibus pendente pro ipſo tribunali inter viatorum & lictorum manus expiravit. 4. *Vt in belli hujus faces, & incendiarios, ſæviſſimorum horum motuum authores ſevere ex legum præſcripto animadvertatur.* 5. *Vt naves in Anglia & Hibernia detentæ ſimul cum bonis interceptis reſtituantur, ac de damno nautis & mercatoribus illato ſatisfiat.* 6. *Vt de injuriis, damnis, ſumptibus hoc bello expenſis ſatisfiat.* 7. *Vt edicta regia contra Scotos promulgata reſcindantur & revocentur.* Denique, *ut, conſilio & conſenſu ordinum regni Angliæ in publicis Comitiis, præſidiarij milites a limitibus removeantur, & quicquid libero commercio remoram ullam afferre poſſit: ac ut communicatis conſiliis firmæ & ſtabili paci ita provideatur; ut ſine moleſtiarum ex anno in annum recurrentium ſolicitudine, liceat religione & libertatibus a majoribus tranſmiſſis frui.*

Interea complures Angliæ proceres ſimul cum Londinenſibus ſupplices literas ad Regem mittunt, quibus miſerum regni ad extrema ruentis ſtatum proponunt, qua innovationibus in cauſa religionis per Epiſcopos, quæ licet antehac per novatores ſedulo promoverentur, nunc tamen ſevere obtruderentur

authoritate Canonum eccleſiaſticorum, unde metus eſſet ne major procella eccleſiam obrueret, papiſmo præſertim lacertos ſuos movente, & pontificiis evectis ad militares præfecturas contra expreſſa legum ſtatuta quibus exarmari jubentur: qua advocatione legionum Hibernicarum, &, ut rumoribus fertur, aliorum etiam exterorum militum in regno: qua monopoliis & exactionibus: qua comitiorum intermiſſione aut interruptione: Regii etiam ærarii nervos acciſos, & periculum ſereniſſ. regi imminens ſi in expeditione hac contra Scotos progrederetur, libere ſed ſumma verborum cum modeſtia commemorant. Neque ſibi malis hiſce graviſſimis avertendis præſentius conſtare remedium, quam ut comitia regni publica quam maturrime indicerentur; ubi in gravaminum horum cauſas ſedulo inquiri & in authores animadverti, ac præſentes hi motus ſine cæde & ſanguine componi poſſint, ita quidem prout maxime conducet ſaluti & dignitati regiæ, populi ſolatio, & arctiori utriuſque regni unioni contra reformatæ religionis hoſtes.

Literis hiſce benigne admodum a ſereniſſ. rege reſponſum fuit, ac publico edicto ſolennem omnium Angliæ procerum conventum ad 24. Septembris indixit, locumque conventus *Eboracum* ſtatuit.

Scoti interim oppida intercepta contra ſubitariã vim muniebant, & cum metus eſſet, ne, oblata falſa concordiæ ſpecie, Deputatus Hibernię novis quas ex Hibernia exſpectabat auxiliis auctior, captata rei bene gerẽdæ occaſione ex improviſo eos adoriretur; novum militum delectum præſto eſſe jubent ſub ductu *Argathelii* comitis, ad quem ex flore nobilitatis maximus concurſus undique fiebat. Querebantur tamen complures rerum præclare agendarum occaſiones amitti, lentiſque hiſce conſiliis militum alacritatem obtũdi, hoſtibus a quibus nihil ſinceri exſpectan-

ctandum eſſet animos addi;itaq;ſe omnia potius extrema quam moras iſtas malle, ſæpiuſque ingeminatum illud Poetæ *Semper nocuit differre paratis*. Sed vehemens prudentiorum pacis & concordiæ ſtudium, & regii mandati reverentia præfervida militum ingenia ſedavit: Ac ad diem præfixum quid a ſereniſſ. rege & proceribus Anglis exſpectandum eſſet inter ſpem & metum, Deo exitum committentes animis dubiis pendebant.

Proceres Angliæ frequentiſſimi conveniunt, quibus ſignificatum a rege, ſe proprio ſuo motu comitia regni indixiſſe ad tertium Novembris,de quibuſdam tamen jam agendum eſſe quæ differri non poſſent: ac *primum*,perpendendum ſerio quid reſpondendū eſſet rebellium Scotorum poſtulatis, & quomodo reprimenda ipſorum audacia qui Angliam ipſam explicatis ſignis invaſiſſent: porro ut omnes ſtatum controverſiæ perſpicue intelligerent,imperatum a Rege Comiti *Traquario* Scoto ut totum illud negotium explicaret. *Dein*,quomodo exercitus,quem ſanctioris ſui ſenatus conſilio collegiſſet ad immanem hanc ſubditorum ſuorum rebellionem reprimendam,alendus eſſet, uſque dum in comitiis ſubſidia parlamentaria, ut vocant, concedi poſſent: atque in hunc finem imperatū Deputato Hiberniæ exercituum ſupremo præfecto ut belli & exercitus ſtatum explicaret.Hic nobiles quibus concordia & æquitatis ſtudium cordi erat, & cognitæ artes factionis aulicæ quæ regem contra animi ſui impetum ad bellum hoc impuliſſet, pacifica & moderata conſilia ſuggerebant,neq; Comitis Traquarii ſermonibus,Scotorum actiones ad ſequiorem ſenſum detorquentis multum fidebant, Incertus bellorum exitus, exhauſtum regis ærarium, Scotorum etiam innocentia per quos non ſteterat quominus præſtarentur in quæ conventum fuerat *Berwici*, multorum oculis obverſabatur.

Occurrebat & illud Taciti. *Præſtat difficilem pugnam evitare, honeſtis conditionibus hoſti conceſſis: quam ſe cupiditate vindictæ in incertum Martis eventum conjicere.* Dein ex victoria etiamſi certa parum gloriæ, minus lucri comparari poſſe, cum Scotorum in ſuis tutandis obſtinata pertinacia ab omni ævo ſatis ſuperque cognita eſſet. Sed complures maxime movebat manifeſta ſervitutis imago a publicæ ſalutis hoſtibus jampridem excogitata, & magis quam boni vellent hactenus promota, velata quidem ſpecie egregia promovendi authoritatem regiam, contra æquiſſimi regis innatam indolem; ſed qua revera nihil aliud peteretur ab iſta regum etiam optimorum peſte & pernicie, quam ut ſibi in præſentia graſſandi licentiam, & in futurum ſecuritatem conciliarent: Hiſce miſeriarum ſub quibus utrumque pariter gemit regnum authoribus, nihil magis in votis eſſe, quam ut utrumque regnum ſanguini ſuo innataret: Eo ſpectare eorum conſilia ut pro inveterata ſua malignitate & conſuetis artibus, Scotos horrendis calumniis inſimulatos omnium odiis objicerent, quia ſcilicet auſi fuerunt eorum ambitioni remoram & obicem ponere: Quare judicarunt, omnes prius rationes tentandas eſſe quibus vulnus hoc componi poſſet, quam ad extremum belli inteſtini remedium confugiendum eſſet: mali fontes perſcrutandos eſſe, quando ſi compertum fuerit Scotis propoſitum eſſe regiæ authoritatis jugum petulanter excutere, indignos eſſe vita qui eam non impenderent ad regis ſui authoritatem ſartam tectam conſervandam. Quod ſi vero rem aliter ſe habere conſtiterit, metuendum eſſe ne Deum innocẽtiæ & æquitatis vindicem experiantur, qui belli injuſti aut ſaltem non neceſſarii authores eſſent, præſertim cũ Scoti profiteantur ſe paratos eſſe jure agere: Controverſiam itaque hanc legatorum & caduceatorum opera non præliis tractandam eſſe.

Aſt

Aſt alii, inter quos Deputatus Hiberniæ familiam ducebat, omnes ingenii nervos intendebant, ut præſens hoc negotium vi gereretur, neque ſocordibus conſiliis honorem ſereniſſ. regis à rebellibus fœde conculcatum, & Anglicæ gentis decus proderent, (honeſta quippe hæc nomina occultæ ſuæ fraudi & ambitioni jampridem aſſueverunt prætexere) facilitatem etiam victoriæ, ſuo ſcilicet ductu, contra inermes pauculos rebelles & inter ſe diſcordes jactitabat Hiberniæ deputatus, non ſine ſingulari ſignificatione odii ſui in nomen Scoticum, cujus memoriam ſe aboliturum olim inter ſuos eſt minatus; Scotoſque vel in cruore ſuo natitantes ex Anglia compellendos eſſe. Verum Deo Sereniſſ. & clementiſſimi regis ac prudentum procerum corda flectente, pacis conſilia ut æquiora & tutiora, vicerunt: ac in hanc ſententiam itum eſt, ut communibus procerum ſuffragiis decem & ſex nobiles pacis ſtudioſi deputarentur qui cum Scotis agerent, & ſi fieri poſſet, æquis conditionibus tranſigerent: nominati fuerunt octo Comites *Bedfordius*, *Eſſexius*, *Hartfordius*, *Sarisburienſis*, *Warwicenſis*, *Hollandus*, *Briſtolius*, *Barcerius*. Octo Barones Parlamentarii *Whartonius*, *Pagetus*, *Kinboltonus*, *Broukius*, *Poulettus*, *Howartus*, *Savillus*, *Dunſmorius*. Monentur etiam Scoti ut deputatos ſuo nomine cum plenis mandatis mitterent, quibus literæ ſalvi conductus in ampliſſima forma, nulla jam facta rebellium mentione, expedirentur. Atque hi nominarunt *Comitem Fermeloduni*, *Laudonium* ſupremi ordinis, quibus poſtea additus *Rothuſius* Comes. *Patricium Hepburnum*, *Gulielmum Duglaſſium*, quibus poſtea additus *Gulielmus Dromondus*, equeſtris ordinis; *Iohannem Smithum* conſulem ſeu, ut vulgo vocant, Balivum Edinburgenum; *Alexandrum Wedderburnum*: hiſque poſtea additus *Hugo Kennedus* cives tertii ordinis: & quia controverſiæ eccleſiaſticæ forte

te diſceptandæ eſſent, nomine eccleſiæ adeſſe juſſerunt *Alexandrum Henderſonum*, *Archibaldum Ionſtonum:* quibus poſtea aliquot additi. Atque hi *Rupponæ* (qui locus conventui deſtinatus, medio fere inter Eboracum & Novo-Caſtrum itinere) Kalendis Octobris cum proceribus illis Anglis pacis interpretibus convenere: in quorum comitatu advenerant *Traquarius*, *Mortonius*, *Lanurci*, *Comites*, ſimul cum Ludovico Stuarto nobili cauſarum advocato, hos quatuor natione Scotos conventui intereſſe voluerat rex: Sed negabant Scoti, cum nulla eorundem in publicis illis fidei literis facta eſſet mentio, & in mandatis ſuis haberent ut cum iis ſolum agerent qui a conventu procerum deſignati, & literis fiduciariis inſerti eſſent: Comitem etiam Traquarium rejiciebant, ut ineptum & inidoneum pacis interpretem, utpote quem inter belli hujus primos authores cenſerent.

Cum ad actiones deventum fuiſſet, placuit ſcripto & conſignatis tabulis ſumma rerum capita utrinque deſcribi. Pro Anglis ut plurimum perorabat *Comes Briſtolius*, vir ſubacti ingenii & raræ prudentiæ: pro Scotis *Laudonius*. Urgent Angli ut legibus pacis anno ſuperiori initæ inſiſterent Scoti; ſed fruſtra, cum mandata & univerſus hic tractatus directe referret omnes actiones ad poſtulata à ſe tranſmiſſa Septemb. 5. ad Comitem Lanurci; quænam vero ea ſint vide ſupra. Verum cum poſtulata illa varia eſſent, placuit agi de induciis, quas Scoti ea lege admittebant, modo induciarum tempore ſtipendia exercitui ſuo a rege perſolverentur, ne dura neceſſitas famelicos milites ad extrema conſilia præcipitaret, quos edicti regii & militaris ſacramenti reverentia intra modeſtiæ & æquitatis limites hactenus continuiſſet: Atque hic graviter queſti ſunt Scoti de calumniis denuo contra ſe ſparſis, & patulis nimium auribus ubi minime decuit acceptis, quaſi publica

blica permiſſa militibus populatione agricolas, & cives Novocaſtrenſes expilarent. Et quod calumniæ indignitatem augebat, ſparſæ fuere ſchedulæ typis excuſæ, & approbatæ calculo *Winnebankii* ſecretarii regii, hominis factioni Hiſpanicæ & Pontificiæ penitus mancipati, ut imperitæ plebis animos irarum facibus contra Scotos incenderet. Ad hanc calumniam depellendam rogarunt ut ſycophantæ iſti procerum judicio ſe ſiſterent. Sed nullo auſo tam impudentis calumniæ patrocinium ſuſcipere, ſtatim patuit ex qua mendaciorum officina prodierit, uti & literæ Gubernatoris Berwicenſis, quibus a vicinis Mercianis in Scotia tributum ſibi pendi juſſit etiam calente pacis negotio, ſevere comminatus ſe renuentes omnibus belli cladibus everſurum, ac ferro & flamma ſæviturum: licet ferociam hanc ſtatim compreſſerit *Munrous*, qui pacatis Borealibus in Scotia Provinciis, præſidiariis Berwicenſibus uſque adeo acriter imminebat, ut quoties egreſſi eſſent, trepida fuga toties ſtatim ſe receperint.

De exercitus Scotici ſtipendio a rege perſolvendo conſultatio multum exagitata fuit: & durum ac grave prima ſpecie videbatur proceribus Anglis, regis præſertim exercitu ſtipendiorum penuria laborante. Quare ad regem referendum judicarunt, apud quem egregiam operam pro Scotis interpoſuere, gnari eos regii mandati reverentia detentos ne progrederentur & in intima Angliæ penetrarent, quod ipſis haud difficile fuiſſet in tanta trepidatione regiorum militum, nec incognitum erat quam amicè in hoſtico ſe geſſiſſent, contenti pecunia à provincialibus pacta: Cum res hæc in publico procerum conventu agitaretur, egregiam occaſionem ſe denuo nactum fuiſſe ſibi viſus eſt *Deputatus Hiberniæ* debacchandi contra Scotos, quibus æquiorem futurum ſpes erat poſt exoneratam diebus ſuperioribus bilem

lem, nec ſatiatus eos quibus apertum ſe hoſtem jampridem profeſſus fuerat laceraſſe, nobilem etiam Anglum pacis ſtudioſum acerbe & ſalſe coram ſereniſſ. rege perſtringebat, quia ſcilicet auſus fuerit profiteri rationes inveniri poſſe conficiendæ pecuniæ ad Scotici exercitus diſſolvenda ſtipendia, ne remora illi omnem concordiæ ſpem præcideret, quam boni omnes non majori ſtudio proſequebantur, quam *Deputatus Hiberniæ* cum ſua factione averſabantur: Sereniſſ. tamen regi viſum bonam pecuniæ ſummam induciarum tempore Scotis concedere, ac deputatis ſuis mandare ut finitis ad ſolidum tractatum præparatoriis abſolutam actuum bellicorum ceſſationem & inducias ſancirent, quæ hiſce ferme legibus utrinque pactæ fuerant. 1. Vt induciæ eſſent bimeſtres uſque ad 16. Decembris, & utrinque tam terra quam mari bellicis & hoſtilibus actibus abſtineretur. 2. Vt Scotis bona fide perſolverentur in dies ſingulos induciarũ 850 libræ Anglicæ, quam ſummam præfecti juridici provinciarum *Northumbriæ, Cumbriæ, Weſtmoriæ,* & *Dunelmi* ac *Novo-Caſtri,* habito conventu & cenſu provincialium ſuorum, conficerent. 3. Quod ſi mala fide deſignata hæc ſumma Scotis penderetur, licitum fore declaratur ſine ulla induciarum violatione, prædictarum provinciarum incolas ad præſentem ſolutionem cogere, & numerandas dilatæ ſolutionis impenſas. 4. Provincias haſce & quicquid fluvium Teſin & Scotiam interjacet rex Scotis ad hybernandum conceſſit, monitis ſuis militibus ne frequentiori comitatu transflumen illud vagarentur, & Scotis pariter aſtrictis ut intra deſignatos illos limites ſe continerent, fluvius itaque hic limes fuit utrinque militibus frumentatum prodeuntibus. 5. Ne novæ munitiones, novæ militum conſcriptiones utrinque fierent. 6. Privata damna inducias non rumpent modo in reum delatum

tum animadvertatur & damnum illatum reſarciatur. 7. Fas eſto mercatoribus ſine literis ſalvi conductus in utroque regno mercaturam agere, nefas tamen militibus ſine commeatu ſeu ſalvo conductu deſignatos ſuprà limites tranſgredi. Conditiones haſce & alias aliquot minoris momenti ratas habuit ſereniſſ. rex & conſilio procerum Angliæ negotium hoc pacis Londinum transferendum decrevit, (nam ibi publica regni comitia aperiebantur) ubi ſingula Scotorum poſtulata ordine excuterentur: eorumque deputatis ſeu præſentibus, ſeu aliis quos viſum illis eſſet eligere, literæ ſalvi conductus in ampliſſima forma expediuntur. Atque hæc ſumma præparatorii tractatus.

Quid vero in ipſo pacis negotio Londini hactenus inter partes peractum & definitum ſit, cum omnia adhuc in herba ſint, necdum ad perfectam maturitatem adoleverint, imprudentis eſſet typis committere: Interim ſatis conſtat Scotorū omnia & ſingula poſtulata 5. Septemb. ad Comitem Lanurci tranſmiſſa & octo capitibus comprehenſa, uſque adeo æqua & moderata viſa eſſe ſereniſſ. regi, cum in ea penitius introſpiceret ac excuteret; uti & proceribus pacis interpretibus, quin Ampliſſimis comitiorū Anglicorum ordinibus, ut non ſolum ſereniſſ. rex eadem fere omnia conceſſerit, verumetiam Comitiorum ſolenni ſtatuto promiſſa ſint trecenta millia librarum Anglicarum, ſeu tres milliones florenorum ad diſſolvendam partem ingentium iſtarum impenſarum ad quas *fratres ſui Scoti* bello hoc adigebantur; & inter alia crimina objecta *Cantuarienſi Archiepiſcopo* & *Deputato Hiberniæ*, nunc reis ex vinculis ad cauſam capitis dicendam advocatis, inter poſtrema non collocetur, quod funeſti hujus belli authores fuerint & faces, nihilque intentatum reliquerint quo ad mutuam lanienam protruderent duas gentes mutua ſocietate

cietate fœliciſſimas. Quæ ut arctius coaleſcerent, diſſidio opus fuiſſe videtur ut ex belli diſpendiis pacis compendia pernoſcerent, eamque poſthac impenſius colerent, perinde ut nuſquam lætior dies quam ubi triſtes nebulas ſolis radii diſpulere. Qui vero innoxiorum ruinas improba ſpe præceperant, ac ferro & flamma per ſummam immanitatem omnia involvere ſatagebant, ſemperque obnitebantur ne concordia coaleſcerent, ecce rebus aliter jam fluentibus, quam amaram rerum viciſſitudinem experiuntur! ἔκδικον illud ὄμμα vivit & vigilat, juſtitiæ ille oculus illibatus, hic hic eſt qui

Funeſta belli incendia ſuſtulit:
Fregit cruentæ ſpicula lanceæ:
Contrivit arcus, & volucres
In cinerem minuit quadrigas.

FINIS.

EPI-

EPISTOLA

AB

ECCLESIIS SCOTICIS

Ad Helveticas miſſa, qua origo & progreſſus motuum breviter oſtenditur, uſque ad Kalendas Aprilis. 1640.

Lectori S. P.

QUia viſum fuit Archiepiſcopo Cantuarienſi aut aſſeclis, literas ſuas ad profeſſores & paſtores Helveticos; viros pacis & veritatis ſtudioſiſſimos, in lucem communicatis exemplaribus efferre, quibus motuum horum cauſas confert in obſtinatam Scotorum rebellionem excitatam & fotam tribunitiis paſtorum quorundam concionibus, in quibus potenter operaretur humani generis hoſtis, & qui totam reformatam eccleſiam pontificis ludibrio exponerent, qui noſtris contentionibus lætentur. Non inconſultum judicarunt prudentiores, ſi audirentur paſtores illi cauſam ſuam agentes coram iiſdem (Clariſſimis & Reverendis paſtoribus, quos ſelos Zelus domus Dei & pax Sionis ex omnibus reformatis eccleſiis exſuſcitavit ut operam ſuam conferrent ad immane hoc incendium extinguendum. Ac licet bona conſcientia facile antiſtet omnium hoſtium ſuſurris, & jampridem obſurduiſſent ad convitia iſta ex plauſtro jactata, ut accola Nili ad Catadupam, ac opere & facto calumnias illas refutarent, ne tamen famam ſuam proſtituiſſe viderentur, epiſtolam hanc conſcripſere, ut fratribus ſuis liquido conſtaret per quos factum ſit quod motus hi primum excitati fuerint, & per quos ſteterit quominus commode ſopirentur. Quare propria vineta cadit Archiepiſcopus ſcandala hinc orta ingeminans, quorum ipſum Authorem eſſe notius eſt quam ut à quolibet in dubium trahatur. Contentionibus hiſce ludos fieri pontificiis, eoſque in ſuam rem vertere reformatorum diſcordias, nullus negat.; ſed audi quid olim repo-

repoſuerit Hierarchicorum ille malleus Parkerus de politia eccleſiaſtica lib. 1. *cap.* 34. *ſectione ultima.* Quaſi vero (*inquit*) contentione inter caſtra oborta, lætentur hoſtes de eorum fortitudine qui in vallo fortiter dimicant, ac non de illis fœderatis potius qui intra vallum deliteſcentes ipſorum partes promovent? Ii vero in noſtris caſtris Hierarchici ſunt, qui & contentionem excitarunt, & pro regimine papiſtico excitarunt, in qua non leviter gaudent papiſtæ & lætantur. *Hæc ille, quid dicturus ſi vomicam ſcholæ Cantuarienſis apertam hodie cerneret?*

EPISTOLA
AB
ECCLESIIS SCOTICIS
Ad Helveticas miſſa, qua origo & progreſſus motuum breviter oſtenditur, uſque ad Kalendas Aprilis 1640.

Literas veſtras fratres in Domino plurimum honorandi 10 Januar. datas vertente Martio accepimus, cum Apographo Epiſtolæ menſe ante Junio exaratæ; ex quibus curæ eſſe vobis & cordi Eccleſiæ noſtræ pacem & ſalutem percipimus, quod non modo noſtræ incolumitatis ergo nos orare hortari pergitis; ſed & apud eos qui gratia, & authoritate apud Regem pollent laborem operam & ſtudium ad nos ſublevandos interponere non gravamini. Debemus & hoc humanitati veſtræ, quod adverſariis temere fidem non adhibendam duxeritis, qui nos etiamnum calumniis onerare, & ſiniſtris rumoribus differre ſatagunt. Quibus arctiſſimis benevolentiæ vinculis nos ita obſtrinxiſtis, ut tanti beneficii memoriam nulla ætas, nulla oblivio delere poſſit.

Quod vero vos angi & cruciari ſcribitis triſti accepto nuncio, Regem Orthodoxum in ſubditos orthodoxos, eoſque in ſui defenſionem arma parare; atque idcirco tantorum motuum totiuſque controverſiæ cauſas edoceri à nobis ſtudioſe exoptatis. Quæ quia in abdito non ſunt reconditæ, ſed in aprico poſitæ ſolicita inveſtigatione non egent. Malorum etenim omnium fontes in Regni hujus & Eccleſiæ perniciem redundantes ex Epiſcoporum noſtrorum Typho tyrannide & Heterodoxia certo certius

certius promanare cernimus. Non pigebit ergò in veſtri gratiam (fratres in Domino plurimum colendi) rem omnem altius repetere, atque à Chriſtianæ fidei initiis in hoc Regno exordium paucis arceſſere. Tenete igitur;

Depulſis ethnicorum ſuperſtitionum tenebris Scotis per Apoſtolos aut Apoſtolicos ſaltem viros cæleſtem Euangelii lucem affulſiſſe, & regnante *Donaldo* anno a ſalutari partu plus minusve ducenteſimo ſubditos cum Rege, Chriſto nomen publice dediſſe, exinde per totos ducentos annos genti Scoticanæ Epiſcopi poteſtatem & nomen non innotuiſſe, ſed Presbyteros Eccleſiæ gubernacula tenuiſſe. Quo temporis ſpatio exacto ad annum Chriſti uſque milleſimum quatuor titulo tenus Epiſcopos nullis diſtinctis limitibus, nullis diviſis diœceſibus, non imperio, ſed ſanctimonia in communi Eccleſiam rexiſſe tradit Boethius, lib. 10. Hiſt. Scotiæ. Quantum vero à Præſidentia Epiſcopali abhorruerit noſtra Eccleſia teſtis locuples venerandus Beda lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. qui in Inſula illa in qua ſepultus eſt Columbanus Presbyteri dicto Epiſcopum eſſe obedientem refert. Unde tria iſta conſtant. 1. Exiſtimaſſe majores noſtros commodiſſime ſine Epiſcopis adminiſtrari poſſe Eccleſiam; 2. Cenſuiſſe etiam jure divino Epiſcopum Presbytero non ſuperiorem fuiſſe. 3. Tantum itidem diœceſium diviſionem illis diſplicuiſſe ut diœceſianis Epiſcopis ad annum Chriſti milleſimum Eccleſia noſtra caruerit. Poſt quæ tempora & tenebrarum carcere vinculis exolutus Satanas Eccleſiam Chriſti majorem in modum infeſtare turbare & tantum non peſſundare occœpit; perfecitque ſuis artibus ut perpetua errorum nox Eccleſiæ huic incumberet totos quingentos & quod excurrit annos; donec miſericordia ſumma commotus Deus Religionis purioris vindices exitaverit, qui ex Anti-

chriſti faucibus Eccleſiam ereptam natalibus ſuis reſtituere & Apoſtolicæ ſimplicitati conformare enixe ſtudentes, Epiſcopalis ὑπεροχῆς nullam rationem habuerunt, ſed eodem eſſe loco Presbyterum quo Epiſcopum duxerunt. Politiā quoque Eccleſiæ verbo Dei conſentaneam ita deſcripſerunt, ut retinendæ puritati, morum & doctrinæ, quatuor in ea conſeſſus conſtituerentur; quorum infimus Parochianus ex unius Eccleſiæ paſtore cum ejuſdem ſenioribus, cui proximus ſed authoritate major ex plurium paſtorum in vicinia degentium conventus, quem alii Claſſem, nos cum veneranda antiquitate *Presbyterium* indigitamus: ſubjacet hoc provinciali Synodo atque ea Generali, in quibus ab inferiori ad ſuperiorem datur provocatio. Quam diu ſtetit integra hæc noſtra diſciplina, nulla emerſit corruptela, quæ ſi non in herba enecata, robur aut maturitatem aliquam non eſt aſſecuta. Sed ubi reformatorum anteſignani, præcipue *Ioannes Knoxus* vir omni laude cumulatiſſimus & prophetico plane ſpiritu præditus, ubi, inquimus, confectis vitæ ſtipendiis ad cœleſtem Patriā migraſſet, Proregis auſpiciis qui tum rerum potiebatur, atque aulicorum artibus & cupiditate qui ſuis commodis velificabant, procuratum eſt ut in Epiſcopos legerentur qui maxima redituum parte illis cederent, ſed factum hoc fuit, reclamante Eccleſia quæ Generali Synodo ſancivit, ut unus uni tantum Parochiæ Epiſcopus non pluribus præficeretur; ſympresbyteris non ſe anteferrent; Magnatum titulis abſtinerent, nec ſe ſeculi negotiis immiſcerent, Reditus haberent non ad pompam & luxum, ſed ad honeſtatem tuendam idoneos; verum mox has lineas tranſilientes, cum neque modum neque modeſtiam ſervaſſent, publicis indictis Comitiis ad jus vocavit Eccleſia, multorum criminum poſtulatos ad unum omnes damnavit, gradu Epiſcopali dejecit, gravioribus fla-

bus flagitiis coopertos anathematum vinculis innodavit, Epiſcopatum denique omnem tollendum decrevit. Eodem quo hæc geſta ſunt anno videl. 1580 edita eſt brevis fidei confeſſio, in qua cum Pontificiæ doctrinæ corruptelis Antichriſtiana omnis Hierarchia perpetuum damnata eſt. Ad quam confeſſionem ſartam tectã tuendam quà doctrina qua regiminis forma ante memorata, Rex Sereniſſimus *Iacobus* cum auguſta familia, & Regni omnes ordines Sanctioris Senatus edicto fidem jurejurando additis chirographis obſtrinxerunt. Hinc aurea inſecuta ſunt tempora in quibus pax & concordia maxima inter fratres vigebat: Orthodoxia florebat, pietas magis & magis invaleſcebat. Sed iſtis Alcyoniis diu frui non tulit Eccleſiam noſtram reciprocans adverſæ ſortis æſtus. Nam vix emenſo integri decennii curſu per clandeſtinas artes & cuniculos Epiſcopatus inſtaurari cœptus eſt. Ad perjurii autem maculam incruſtandam verius quam abſtergendam fucus hic eſt factus; Vt crearentur è paſtorum albo non qui Epiſcopi ſed Commiſſionarii dicerentur, quibus in publicis Regni comitiis ſententiæ dictio daretur Eccleſiæ nomine, ne quid ea detrimenti caperet; Huic cum à ſagacioribus reſtitum fuiſſet, iſta excogitata eſt ratio, ut quibus munus hoc mandatum certis finibus & cancellis circumſcriberentur, extra quos ſi pedem efferrent, ſibi & officio fraudi futurum. In hos tamen poſteaquam Sereniſſimus Rex Iac. titulos reditus & honores Epiſcopales contuliſſet, tum procerum titulis compellari, in foro ſe jactare, in ſanctiori Senatu ſedere, exoſi vulgo & Eccleſiæ formidabiles eſſe cœperunt: Nec tamen ulla lege vel legis colore dominandi aliquam poteſtatem in Eccleſiam habere; donec reparatæ ſalutis anno 1610 in Glaſguenſi conciliabulo conductitiis ſuffragatoribus divenditis ſententiis poteſtatem ordinandi

excommunicandi & præſidendi in Comitiis Eccleſiaſticis ſurripuerunt potius quam acceperunt. Ad hanc προεστασίαν ubi per gradus iſtos aſcendiſſent, ne quid pontificiarum ceremoniarum deeſſet Pesbyterorum ordinationi Epiſcopalem conſecrationem ſuperadjici voluerunt, quam quia in Eccleſiis noſtris conſequi non poterant; Londini non ſine Patriæ & Eccleſiæ libertatis diminutione ab Epiſcopo Cantuarienſi obtinuerunt. Tum ſuccum ſanguinem & calorem priſtinæ Eccleſiæ amiſimus; hinc omnia in pejus ruere & retro ſublapſa referri, adeo ut Antichriſtiana omnis Hierarchia ante ejerata, bonorum ſummo cum gemitu & mœrore ab inferis in lucem revocaretur. Non enim vos fugit viri doctiſſimi & fratres venerandi quatuor iſtis Ordinationis nempe juriſdictionis, Confirmationis & locorum ſanctorum Conſecrationis poteſtate Hierarchiæ illius munia perfici & abſolvi. Quæ omnia ſacræ paginæ largitioni non humanis inſtitutis accepta ferunt Pſeudo-Hierarchiæ iſtius patroni: quod quam putidum ſit commentum refellendi nobis nec locus nec animus. Utut eſt hæc ſibi ut propria vendicarunt Epiſcopi noſtri; quæque ſibi vendicarunt licenter ea, aut crudeliter potius in fidos Dei adminiſtros exercuerunt; quorum alios exauthorarunt, alios ſilentio damnarunt, carceri non paucos manciparunt, patrium ſolum nonnullos vertere compulerunt: quin & eo ſuperbiæ pervenerunt, ut in compitis & plateis magno ſtipante clientium numero Holoſericis amicti ſe jactarent. Si quæ ſacra domi obeunda (quæ perrara) ſacellanis ſuis ea demandarunt, jus utriuſque gladii ſibi arrogarunt, in Sanctioris Conſilii Senatu dominabantur, jus in foro dicebant, vectigalibus & fiſco Regio præſidebant, Generalis Synodi indictioni, ne male adminiſtratæ Eccleſiæ poſtularentur totos viginti annos interceſſerunt: ad Cancellariatus faſtigia

ubi

ubi tandem perveniſſent cum ne mutire aut hiſcere contra quempiam exiſtimarent, Canonum libellum in lucem ediderunt, quo jus omne Eccleſiæ in ſe tranſcripſerunt ad ſuum nutum & renutum omnia geri imperantes, presbyteros κωφὰ πρόσωπα eſſe juſſerunt. Præter verbi & ſacramentorum adminiſtrationem, quæ moralis tantum ut loquuntur in ſcholis poteſtas, iis nihil reliqui fecerunt.

Atque hæc hactenus de typho & tyrannide Epiſcoporum pauca delibavimus; reſtat Heterodoxia, quæ vel hinc conſtat quod ingrati in gratiam Dei Arminianiſmum, hoc eſt, Pelagianiſmum recoctum ex ambone promulgare & populo ingerere non ſunt veriti, manubiiſque Dei gratiæ voluntatem humanam exornare non perhorruerunt. De ſtatuis in templis reponendis ambigue pro concione diſſerebant; Pontificem Romanum eſſe illum Antichriſtum & purpuratam Meretricem nefas ducebant; Præſentiam Chriſti in ſacra Cæna non objectivam tantum & fide contrectandam, ſed ſubjectivam in terris & loco certo circumſcriptã aſſerebant, & quod horret animus meminiſſe, Chriſti juſtitiæ imputationem in quo ſalutis cardo vertitur ex eorum numero non poſtremi pro ſomnio & figmento habuerunt. Nihil crebrius nihil frequentius in omni cœtu & congreſſu quam concordiam inter Orthodoxos & Rom. Eccleſiam iniri facile poſſe, quod in articulis fidei palmariis & fundamentalibus nullum eſſet diſſidium. Addo quod menſam Domini in aram transformarunt, quam ad Orientem ſiſti, cancellis circumdari præceperunt; illam flexis genibus, quoties præterirent, venerabantur, Solis ortum adorabundi ſpectabant. Liturgiam idolatricis refertam ritibus Eccleſiæ noſtræ pro norma cultus divini obtruſerunt, quam ſi amplexa eſſet, actum de religione actum de cultu Dei fuiſſet. Tantum enim aberat ut Anglica-

nam à quibus ſcatet fæcibus repurgarent, ut contaminatiorem multo nobis exhiberent, ſanioribus expunctis ſequiora inſeruerunt; quæque verſo ſtylo *D. Bucerus* eximiæ pietatis & reconditæ eruditionis Theologus olim delevit, ea repoſuerunt; adeo ut nullus ſit in farragine ea pontificiorum errorum mole cujus in ea fere maturam meſſem aut ſementem ſaltem oculatus & judicioſus lector non deprehendet. Hinc novorum motuum & tot malorum origo quæ exterorum aures atque animos implevit. Nam cum Regio diplomate in eas anguſtias Paſtores & populus conjecti eſſent, ut vel perduellionis crimen ſubire vel illam liturgiam contra jusjurandum, fidem, Eccleſiæ & Patriæ inſtituta amplecti cogerentur, effectum eſt, ut Regni omnes Ordines quorum jamdudum in tolerandis Epiſcopis patientia obrutuit, hujus liturgiæ experrecti nuncio de profligandis corruptelis & primæva puritate reſtituenda conſilium inierint. Regem itaque Sereniſſimum complurimis ſupplicibus libellis & ſanctiorem ejus Senatum rogare, orare, hortari non deſtiterunt, ut afflictæ Eccleſiæ ſuccurrerent, in Epiſcopos vero tantorum malorum authores ſerio animadverterent. Dum tardius auxilium parari, ſupplicibus libellis non reſponderi, poſtulata ſua nihil penſi haberi cernerent; in ſe altius deſcendunt, mentis latebras penitus excutiunt, violati fœderis memoria conſcientias pungit, lancinat, perfodit; quare ſeria pœnitentia ducti fœdus cũ fidei confeſſione renovare ſtatuerunt; quæ Chirographis primo conſignarunt, deinde ſolenni indicto jejunio jurejurando ſublatis dexteris multo cum gemitu & lachrymis publice in templis confirmarunt. Dum hæc aguntur miſſus eſt à Sereniſſimo Rege *Marchio Hamiltonius* ad controverſias has cognoſcendas, lites componendas & tempeſtates omnes in tranquillum redigendas: cujus ope & induſtria hoc conſe-

conſequuti ſumus, ut His tollendis diſſidiis Comitia Eccleſiaſtica *Glaſguæ* habenda indicerentur. Ad condictum diem & locum convenerunt frequens Paſtorum numerus & Seniores quibus jus ferendi ſuffragii ab Eccleſiis demandatum. Epiſcopi citati & adeſſe juſſi ſuperbi renuerunt, Eccleſiam ferre judicem recuſarunt. Ventilata itaque eorum cauſa, quod innumera & ingentia in Eccleſiam mala intuliſſent, ſuſque deque eam, ejuſque judicium habuiſſent, omnium calculis de Epiſcopali gradu dejecti fuerunt. Epiſcopalem etiam Hierarchiam quod ex humano inſtituto multiſque nominibus noxiam & exitialem noſtræ Eccleſiæ ſemper eſſent experti ex noſtris Eccleſiis eliminandam cenſuerunt. Epiſcopi ira perciti & efferati ad Regem confugiunt, apud quem partim importunis precibus & clamoribus, partim gratia & potentia *Archiepiſcopi Cantuarienſis* (quem conatuum, molitionum & ſuperſtitionum omnium Authorem Fautorem & Patronum habent) tantum profecerunt, ut ſacroſanctum ejus pectus contra indolis probitatem & innatam clementiã impulerint, ut bellum in nos tanquam perduelles indiceret, imo paludatus ipſe in nos ducit, terra marique exercitu cingimur. Cum in procinctu utraque acies ſtaret, & viderent adverſarii nec numero nec animis noſtros inferiores, conventum eſt utrinque ſuffragante Rege, ut Eccleſia ab Eccleſiaſticis, Politia ſuis legibus regeretur, Sereniſſimus Rex quæ recepit præſtare viſus eſt, Eccleſiæ congregandi Synodum poteſtatem fecit; in qua omnium ſuffragiis annuente etiam *Traquario* Comite, qui Regis perſonam ſuſtinebat, repetita & confirmata eſt Epiſcoporum & Epiſcopalis Hierarchiæ damnatio; Sed ſalvo aliarum Eccleſiarum judicio. Synodum hanc Parliamentum excepit, in quo ante omnia (quod uſu & conſuetudine ſemper obtinuit) poſtulatur à verbi Dei præconibus, ut

canones Eccleſiæ ſanciantur & comprimis ille de damnato & conclamato Epiſcopatu. Ad hoc à Traquario Comite qui Regis nomine Comitiis præerat, cunctanter reſpondetur, tempus extrahitur, diverticula quæruntur; fallacia tandem hæc reperitur, ut ſi Epiſcopis Regni corpus careret, præcipuo membro truncaretur, quare in eorum locum ad abſolvendum regni corpus, ſubſtituendos cenſent Abbates, priores & ejus farinæ homines: ſed perpaucorum fuit hæc aut pene nullorum ſententia, qua quid abſurdius dici poteſt, ſi antiquitatem conſulamus, quam Monachos & mandritas qui in locis ſubterraneis aut ſolitudine latebant in luce multorum, urbium frequentia, publicis congreſſibus verſari. Quid à decoro magis alienum quam illos quorum erat non docere ſed plangere, in cilicio & cinere ſordeſcere, in ſuprema Regni Curia murice & bombicina veſte ſplendeſcere. Sed quia dominante papatu in hoc regno receptum fuit ut abbates & Priores ſuffragium in his Comitiis ferrent, tolerandum hoc quod nondum exolevit; at novos & inauditos Abbates renunciari, qui Epiſcoporum vicem ſupplerent, & numero exæquarent nullo jure nitebatur, eoque ſpectare videbatur, ut quando recta ad reſtituendum Epiſcopatum aditus non pateret, his artibus per poſticam intromitteretur. Quamobrem iſti de Archimandritis ſententiæ jure reſtitum fuit à Regni ordinibus. Comitiorum Præſes partim metu partim aulica gratia ineſcatus, Sereniſſimum Regem de eo nec non de Comitiorum ordine ſuffragatorum numero aliiſque ſubditorum querelis conſulendum cenſuit. Dum reſcriptum Principis exſpectatur, controverſiis omnibus læta cataſtrophe bonorum votis ſperatur, præter exſpectationem, contra morem majorum, Regis ſolius auſpiciis Regni Comitia diſſolvuntur. Magnates reliquique

Regni

Regni ordines graviter moleſteque ferentes vulnera Eccleſiæ & Reipublicæ non ſanata recrudeſcere ex primaria nobilitate ſupplices ad Regem delegarunt, qui omnium nomine (ut par eſt) omnem illi obſervantiam & obſequium deferrent, ſed inaudati ſine fructu & effectu in patriam ſunt reverſi. Hanc etſi repulſam tulimus, non ceſſamus Regi ſupplicare, viaſque omnes quærere quibus ad ejus benevolentiam aditum aperiamus. Parati itaque pro ejus ſalute fortunas omnes & vitam profundere, interea certis ad nos perfertur rumoribus Regem exercitum contra nos conſcribere, quod non ſua ſponte ſed adverſariorum hortatu & impulſu facere perſuaſiſſimum habemus. Verum Epiſcopi noſtri aliique Babiloniæ meretricis lenones claſſicum canere, cædem ſpirare, Regni & Eccleſiæ everſionem moliri non deſinunt; nec harum Tragœdiarum ſonticas cauſas alias eſſe ſcimus, quam quod nefariis illorum conatibus, typho, tyrannidi, & heterodoxiæ via à nobis præcludatur.

Videtis ergo fratres plurimum obſervandi, quam immerito ſeditionis & Rebellionis traducamur, quantaque cum injuria nos Paſtores, tribunitii Concionatores ab adverſariis audiamus; quibus non carceres non cruces, ſed mentem melioremq; exoptamus. Quid autem in caſu inculpatæ tutelæ præſtandum quoniam vos viros Doctiſſimos non latet, inſuper habemus ſcriptis mandare. Vobis autem à quibus ſolis literas benevolentiæ teſtes accepimus gratias quantas quantas poſſumus agimus, relaturi etiam ſi facultas dabitur, à vobis autem etiam atque etiam petimus ut innocentiæ noſtræ teſtimonium perhibeatis, cauſæ patrocinium ſuſcipiatis, ab obtrectatorum calumniis famam vindicetis, & uti nos afflictis Eccleſiis auxilio & adjumento fuimus, benignitatis vicem ſimiliter ſperamus. Quod intereſt votis omni-

bus

bus apud Deum contendit, pro nobis noſtrarumque Eccleſiarum pace ac ſalute , quem & nos obnixe oramus, ut Eccleſias veſtras æternum incolumes & florentes eſſe velit , vobiſque & veſtris laboribus ita propicius ſit , ut mortalitatis hoc ſtadio fœliciter in munere decurſo, palmam cœleſtem aſſequamini.

V. R. W. Addictiſſ. &c.

A. R. & cæt.

ERRATA.

CUm typothetæ familiariter ſatis cognita non fuerit Authoris manus ; fieri non potuit quin complura ſubrepſerint errata ; nam præter ea quæ in diſtinctionum notis ſunt, occurrent frequentia ſatis in literis : ita quidem ut ſæpius ſit numeri ſingularis pro plurali & vice verſa permutatio, quæ humanus Lector condonabit , & facile per ſe corriget. Ante lectionem vero monendus es ut hæc paucula ſic emendes, pag. 193. lin. 6. poſt ad ſeſſ. adde 16. *pag.* 259. & pag. 197. lin. 2. poſt ad ſeſſ. adde. 16. *pag.* 241. Et pag. 266. 15. pro queſtus fuit male, legendum, *monuit ſibi videri non ſatis commode.* & eadem pag. lin. 24. poſt quæſtionis, adde, *cujus ſententia fuit removendos & abjurandos , licet vix ſibi perſuaderet antea abjuratos fuiſſe.*

101 474089